This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

9000[redacted]

by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Ex Libris f: Guil: Vander Lynden ... gand:

# Dn. EMMANUELIS THESAURI,

Comitis, & Majorum Inſignium Equitis,

# INSCRIPTIONES,

## *Quotquot reperiri potuerunt.*

*Operâ olim & Diligentiâ*

EMMANUELIS PHILIBERTI PANEALBI,
In Auguſtotaurinenſi Almâ Univerſitate, Sacrorum
Canonum Interpretis Primarii;

*Cum ejuſdem Notis & Illuſtrationibus.*

bibliothecae gandensis

*EDITIO TERTIA,*
*Luculentior multò,*

Augustinianae 1734.

Et ab Impreſſionis Primæ innumeris mendis
Auctoris manu expurgata,
*Multiſque INSCRIPTIONIBUS aucta.*

Acceſſit Index Novus, decuplo major, non ſolùm ad ERUDITIONEM, ſed unà ad IMITATIONEM utiliſſimus,

*Ex*

*BIBLIOTHECA Ser.mi Potent.mi ELECTORIS BRANDENBURGICI COLONIENSE MARCHICA.*

*COLONIÆ BRANDENBURGICÆ,*
Typis GEORGI SCHULTZI, Elect. Typogr.
ANNO cIↄ Iↄc LXXI.

476 B

Digitized by Google

ΠΑΥΡΑ ΜΕΝ,
ΑΛΛΑ,
ΜΑΛΑ ΛΙΓΕΩϹ.

BIBL. UNIV. GAND.

Digitized by Google



Digitized by Google

SACRI ROMANI IMPERII

*Serenisſimo PRINCIPI,*

*ARCHICAMERARIO & ELE-*
*CTORI Potentiſſimo,*

# Magno
# FRIDERICO
# GVILIELMO,

MARCHIONI BRANDENBURGICO.
SUPREMO BORUSSIÆ PRINCIPI:
MAGDEBURGI, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, STE-
TINI, POMERANIÆ, CASSUBIORUM, VANDALORUM, IN
SILESIA CROSNÆ ET CARNOVIÆ DUCI: BURGGRAVIO NORIN-
BERGENSI: PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ ET CAMINÆ: CO-
MITI MARCÆ ET RAVENSPERGÆ: DOMINO RAVENSTEI-
NII, ET TERRARUM LAVVENBURGI ET
BUTOVII, &c. &c. &c.

PRINCIPI PIO, FELICI, AUGUSTO, PACIFICO,

Summo in terris ASSERTORI meo;

Digitized by Google

QUòd PUBLICA receptus BIBLIOTHECA
tanti HEROIS,
Ex eâdem REDIMITUS tam pulcrè ac
planè REDIVIVUS,
BIBLIOTHECARUM deinceps omnium
NOVUS HOSPES,
Æternitatem, quam alii optabant à me,
nunc Ipſe adeptus:

GRATES, ELOGIUM, VOTA,

Suſpiro poſt Fata,
Æternus ſic demum

CLIENTULUS CULTOR,

EMMAN. THESAURUS.

Digitized by Google

*Ad*

# *Benevolum Lectorem.*

INSCRIPTIONES, humani ingenii ſed divinum opus, Operum Coronides omnium, quæ condidit DEUS, Natura demonſtrat, HOMINES imitantur; à Sapientibus Viris ſumma attentione factæ; Honoris ac Memoriæ causâ ad Poſteros ſemper dicatæ ſunt. Verum illæ exiguis progreſſæ ab initiis, crevére eum in modum, ut ſuis contineri finibus difficulter, finem certè modumque ſic exceſſerint, ut ſuâ ſe iterum celebritate poſthac ſepeliant ac recondant. Solus inter omnes, qui ad tàm ſublime Sentiendi ac Scribendi genus, Magiſter idem atque Exemplum, exemplo ferme inimitabili, proceſſerit; noſtris temporibus fuit EMMANUEL THESAURUS, Majorum inſignium Eques ac Comes. De quo cum & *Argutiarum*, quæ Romæ prodierunt, integrum Volumen, quod Artis eſt ac Rationis; & *Inſcriptiones* ipſæ, quas pro divina ingenii ubertate plurimas atq; admirandas dedit, quod eſt Operis atque Effecti; & EMMANUEL PHILIBERTUS, in Notis atque Illuſtrationibus, quod erat boni monitoris, hoc

Digitized by Google

hoc quoque libro plus ſatis loquantur; non opus eſt immorari multis in tam celebri opere, ac ſoli facem accendere aut fœnerari aliunde velle. Priſcis temporibus Artificium hoc Exemplis conſtabat, non Præceptis. Et erat Exemplorum iſta raritas atq; admiratio, ut, ſi qui majora poſcerent ac meliora, aut non capere Artem, aut ignorare antiquitatem viderentur. Noſtro ſeculo poſtquam Exempla párere Artem cœperunt, eluxére Ingenia; quibus, cùm antiquorum gravitas ac decus, ad ſimiliter conandum, promtiùs ſubvenerit, & Studium atque Ratio fecerit Compendiariam; non difficulter viſum eſt, vetuſtis novitatem, novis gratiam admiſcendo, vel paria facere cum aurea ætate, vel dare in nonnullis majora, adeoq; ſuperare antiquitatem ipſam. Quippe cum & Inſcriptionum tot genera nunc reperta, & ferme conſtituta omnia, & ſingulis ſua definita ſint momenta, ſuæ leges; fontes quoque, unde libéret arceſſere, detecti atque demonſtrati; Colores ipſi ac Phantaſiæ conantibus præbitæ, & quicquid uſpiam artis atque ingenii eſſet, in ſubſidium advocare, cogi undequaque & conquiri cœptum èſt. Contulére autem in hoc faſtigium Novæ Eruditionis, Veterum omnis ævi Scriptores; Poëtæ, Oratores, Philoſophi ac Sapientes quique Viri; & qui eos quacunque in parte affectabant, Grammatici, Rhetores, Sophiſtæ, Declamatores; ipſis adeò ex Sacris Oraculis divini Prophetæ & eorum poſtea diſertiſſimi Tractatores; quorum omnium ſpatioſiſſimis & plusquam Hyblæis ex collibus ac campis cùm delibare placuiſſet ſaluberrimos quosque ac melleos flores, mirum non eſt, ſi inſolitæ cujusdam ſvavitatis abſolutos deinceps favos, operaque tot inde ac tanta, Novi Scriptores conſtipaverint. Neque enim ullis aut melioribus ſeculis, aut qui iſta ornarent, auctoribus bonis, Natura exſtitit noverca, ut

ſuperio-

ſuperiorum exemplis invitati poſteri, ex aureis quibusque illorum dictis alia, quâm aurea iterum ipſa legerent ac procuderent: dum ſuis veterum limitibus rectè poſitis & lege eorum ſeverâ contineri æmulatio Neotericorum poſſet. At verò, poſtquam in tam Ingenioſo, Sublimi, ac per hæc ipſa Difficili & Periculoſo auctoribus Signandi potius quam Scribendi genere, ipſa Novitas blandiri animis, & quod artes cunctas peſſum dedit, ſibi indulgere, vergereque in luxum cœpit, Ingenia autem inventis tantum ſuis & hoc ſolo juvenili impetu, plerumq; non naturâ REI ſuâ, quæ Sapientiæ & Judicii magiſtra eſt, ducebantur; ſed quod quisque novi, dum inſolens & obſcurum atque ideò ingenioſum videretur, commentus eſſet, id referri ſtatim velut in artem ac plauſum inceperat; omnis illa Inſcriptionum Divinitas atque Admiratio ſtetit ſimul atque obmutuit. Niſi quod gravius longè malum nunc iisdem incubet, ex eo, quod noſtra tempora, clandeſtinas Veterum etiam cenſuras, hoc eſt, nævos imitata, magnorum nunc & Excellentium Virorum Res, vita pariter ac morte deſignatas, detulerunt ad Pasquinum, & huic ingenuæ arti Caninam ſuffecerint atque exerceant. Is Herma hodie Inſcriptionum quoque Magiſter ac Præceptor factus eſt publicus, & poſt earum decus ac gratiam malè tanquam Apelles ſedet. Dolet a. ipſe plurimum, infamiâ ſe damnari, quam ij non vereantur, qui merentur; Inſcriptores æquè ut Inſcripti his ſtigmatibus ac notis. Adeo diſceſſum eſt in moribus pariter artibusque bonis ab ipſa Virtute; & quia delicias ibidem meras ac dulcedines conſectari placuit, hæc ſvavia nos deduxere tandem in Satyras, ut nihil ingenioſum exiſtimemus, niſi idem ſit amarum, & voluptatem quæramus ex malis aliorum. THESAURUS noſter magnitudinem animi oſtendit in eo, quod ſolam Virtutum materiam, maximis quibusque in Regibus,

Prin-

Digitized by Google

Principibus, Populis ac Civitatibus, publicè oſtenſam, pro argumento cepit, & ex omni beata rerũ Copiâ quod Pium, Grave, Serium & Sanctum; ex omni Artificiorum genere, quod Subtile, Acutum ac Sublime, legit; ipſis in Argutiis omnibus Decꝰ ac Venuſtatem, conſectatus, aliis vitrea fracta & ementitos ex iis fulgores, ſibi in his Inſcriptionum Gemmis certe atq; Unionibus, nativam & ingenitam pulcritudinem reſervavit. Atque hæc in Profanis, hæc in Sacris perpetua auctori obſervantia eſt. Cui facilè condonandum, in quod Religio eum ſua quandoq; induxit. At verò quod communi Pietate docuit in Sanctis Scripturæ Viris, id propemodum admirabile eſt; ita comparatum, ut præcipuis etiam Tractatoribus in mentem non venerit, ſenſus mentesque excitare omnium poſſit, ac de facili impellere ſimul ac implere. Quid dicam de Principibus Regibusque maximis? quorum Luctus pariter Lætitiasque publicas; jam Natales, jam Toros, jam Tumulos; omnesque in Vita aut Ludos aut Triumphos, ſuo proſequi ingenio, ornare Inſcriptionibus, Stiloque venerari, publicâ auctoritate juſſus eſt, publicâ exegit. Quantum Argo illi, plus centum oculis arguto, Opera cujusque Sua, magnifica certè atque admiranda, omnibus inſpecta ſunt partibus & diligenter conſiderata! ut Majeſtatem, quam in condendo tanti auctores præſtituiſſent, ipſe in ornando colendoque tueretur; ne vel ullum ſine ingenio præteriret locum, quin eum redderet vividum ac florentem Notabilis Senſus; nunc Emblemate, nunc Simulacro, nunc Imagine, nunc Hiſtoria expresſus; adeoq; vel Aulæ Principum ac Baſilicæ, ſpectantibus cupidè vivis poſterisque, quaſi Deorum Templa dehinc eſſent atque Oracula. Quid dicam de Civium erga hos Principes ſuos & Pietate, & Studiis? de Pompis ac Receptionibus publicis? quibus Obſequiis atteſtari cultum, quibus Officiis ho-

norem, quibus & quàm impenſis opibus commendare Liberalitates ſuas voluerint? Quæ licet ipſis cum facultatibus certare viſa, tanti tamen exiſtimata non ſunt, niſi ab Ingenio THESAURI exiſtimationem ſuam adepta, ingenia ſimul Civitatum Principibus approbaſſent; ſummorum Artificum Omnia ſic demum æternitati & ab hoc Artifice commendarentur: cogitata quippe ab eo, qui Rebus quibusq; Decus ſuum, ſingularibus Magnificentiam atque Admirationem, maximis propemodum Majeſtatem, conferre didiciſſet. Quæ cum ad aures Potentiſſimi ELECTORIS BRANDENBURGICI perveniſſent à Summo Præſide ac Prætorii Præfecto ſuo, Eminentiſſimo Dn.Dn. OTTHONE, Libero Barone de SCHVVERIN, &c. &c &c. cui in hoc literarum genere nihil unquam inepti, in ceteris divina atque admiranda quæque placuere: cùm pluribus demonſtraſſet Ille, quem Legatum reducem ex Galliis clementiſſimè, & ejus ſimul à manu hoc INSCRIPTIONUM Opus, receperat: mirum quantum incaleſcere mens divina tanti PRINCIPIS cœpit, ut ſtatim de eo luculentiùs apud ſe inter exteros habendo, mandaret gratioſiſſimè: nec vulgari de causâ; quòd his oris infrequens admodum Liber ac THESAURUS ille, excitare plurimorum pectora ad ſimiles motus Generoſæ Eruditionis, ac profuturus eſſe quam maximè publico, facere multum ad egregios PRINCIPUM OPERUMQ. divinorum ORNATORES, non ſine pulcherrimo omine credebatur. Obtulerat enim hunc Librum ex Legatione Noviſſima eo cumprimis tempore Reverendiſſimus ac Perilluſtris Dominus, CHRISTOPHORUS CASPAR Liber Baro de BLUMENTHAL, &c. cùm eorummet, quibus intentus hucusque ſtupendis Operibus ELECTOR maximus, alia vel intentata Majoribus ſuis vel deſerta per ma-

gnitudinem; alia ignibus abſumta vel collapſa vetuſtate; alia ſuſcepta de integro ac condita; hæc tamen perfeciſſet omnia: reliqua non minora ſtrenuê adoleſcerent ſub manum, eamque ultimam ac ſupremam exſpectarent. Ut proinde hoc unum videretur non falſo reſtare tantis molitionibus, quò plures dehinc iſtorum Operum admiratores literati procederent, qui Ingenia ſua per hoc THESAURI opus, tanquam molliſſimâ cote lævigata, meritis apud nos publicis atque æternis commodarent. In quibus ne vel ea, quæ omnium maxima ſunt, prætereantur, non uno certè bello, non armis ſimpliciter, ſed per controverſos admodum Tractatus omnemq; ancipitem patrata Martem, quæque perpetuas Laurus Triumphosque, adultâ jam gloriá, pepererunt, & in quibus cunctis ad abſolvendum Heroa tantum, quicquid uſpiam eſt felicitatis humanæ conſenſit: hæc ſibi animo qvisqvam præſtituet, hæc in tranſitu mecum reputabit. Injuria temporum erat, qvod inter Sereniſſimos Imperii Romani Proceres Summos, Armorum ſeveris artibus ſolus niti ad Salutem Publicam Princeps ELECTOR Noſter debebat. Quod autem unus maximê omnium enixus ſimul evectusq; ad hæc Vota ſua & hanc gloriam eſt; id ex arbitrio Divini Numinis, qvam Providentiam vocamus, Fato propriè HEROIS ſuo contigit. Quem tamen in iſtó pulvere, nimis ohe purpureum ſplendente, hæc ſemper proſecuta Virtus, inſecuta Fortuna eſt, ut mediis undiq; ex undis emerſus, Felix ubiqve & Victor, nusqvam indecorus, armis certè in tantum effulſerit, ut plura ad Nominis ſui æternitatem non videatur deſiderare, aut exigere â ſe potuiſſe. Monumenta ejus Summæ Virtutis, Polonia, Boruſſia, Holſatia, Daniaqve Colunt etiamnum ac Venerantur; nec deſinet Poſteritas commemorare, qvas ibi vigilias atqve curas, qvot ærumnas ac labores ELECTOR maximus hau-



Digitized by Google

ſerit atqve exantlarit; qvantum ſub armis ubique aut alſum fuerit aut ſudatum; qvàm miſcere ſe manipulis ac gregario militi Imperatoria vis, mediosqve volitare per hoſtes ſolita, diſcriminum ac Vitæ omnis oblita, ſalutis tantum publicæ memor ac gloriæ illius fuerit, quæ jus & fas conſereret maximos inter Reges, Provinciis Civibusque ſuis Pacem ac Securitatem pareret: & qvam, ſi non armis ubiqve aut vi, vel Nominis ſui fide & auctoritate optatam ſemper impetravit. Quippe, qui nunquam bella, hoc minus ſerendo ex antiqvis nova, minimum præmia ſpectare voluerit alia, qvam Commune otium; atqve hoc eo proniore ſucceſſu teneat; quia non bonis tantum verbis ac ſpebus, ſed Conſiliis Armisqve perſequi doctus jamdudum eſſet; et, ſi qvibus placere qvies non poſſet, iis nec diſplicere Animus ac Fata deberent, Fortiſſimo ELECTORI Noſtro per Numinis favorem adeo propitia ſemper atqve propria: idq; non privatô unius magni Principis, aut Amicorum Sociorumq; applauſu, ſed Maximi Cæſaris & Summorum conſenſu Regum. Quorum Legati tantis ſucceſſibus gratulati, pro temporum fortuna, nunc opem, nunc conſilia; nunc arma, nunc pacem; qvod autem in his optimum erat, tranquillitatis aut ſervandæ rationes aut reducendæ vias, magna cum gratia atq; admiratione ſemper retulerunt, ut communi etiam populorum judicio non aliud SERENISSIMUS Noſter, quam Pacificatoris dulce ac beatum Nomen promeritus ſit. Quid mirum igitur, ſi Rationis adeo ac ſummi in Principe Judicii hoc fuit, qvod necdum ipſe ſibi viſus eſt, aut Votorum ſatis damnatus, aut perfunctus eſſe Imperio omni, rebusque tàm proſpere geſtis, niſi de Egregii Publici Altera Parte, de Otio ac Quiete, ſollicitus domi, ſuis eam vel hic copiis aſſereret, & exquiſitis undiqve conſiliis firmaret. Quo animi inſtituto prorſus divino,

Digitized by Google

divino in PACIS artibus omnes illas Principes, & quæ Rempublicam ſervarent, animo complexus, cuncta Bonæ Mentis, Prudentiæ, Sapientiæque Studia, & quicquid in Literis à cultu aureum atque admirabile eſt, curarum unà ſuarum partem ratus, qvantum optari hactenus per ſeculi felicitatem poterat, id omne Auſpiciis quoque ſuis dignum judicavit, meritis certè opibusque cunctis provexit in ſummum. Quid de Religione dicam Chriſtianâ, in tot ſciſsâ partes; ancipiti admodum & controverſo penitus negotio? cujus cùm Diſſidia tollere per horum temporum leges Imperii publicas non poſſit, Diſſidentium animos interea componere, partibus quibusque ſuam remittere conſcientiam in ſpem futuri aliquàndo unius ſenſus ac fidei, frænare tamen lingvas inter hæc ſacra inſtituit, ut quicquid Veri ad ſalutem cuiqve parti videretur, enunciarent liberè, qvod Religionis eſt; in Libertate autem iſta non exercerent cauſidicorum figuras, mutuisque ſe dictis conciderent; quod minimè eſſet tranquillitatis, aut privatæ Auditorum inter ſe, aut publicæ ad mutuam Civium ac Principis benevolentiam. Si qvi autem Zelo actos ſe pro Eccleſia Dei confidant, illi ſtuderent huic Chariſmati conſeqvendo, ut improbitatem morum, omnibus Religionibus communem, innatam hanc mortalibus velut Catholicam & ſemper Proteſtantem Hæreſin, aut labem ipſis credentibus tenaciter hærentem, exitioſam non minus ac fœdam coram oculis Domini, fortiſſimè aggrederentur, ac Spiritu oris Dei conficerent ac debellarent. Sic enim fore, ut, cum defecato impuris & turbulentis affectibus animo, Veritatem quisqve mundo aſpiciat oculo, Veritas Seipſam diligentibus ingerat ultrò atqve explanet. Iis legibus ſi pleriqve omnes vivant, ſi pareatur ex æqvo, quæ Sanctior eſſe poterat hisdum in terris Sanctione iſta, quâ ad Veritatem minimè infeſtan-

dam, Confeſſio ſua Conſcientiaqve ſalva & incolumis cuique relicta parti, Religiones, ut ita dicam, non miſceat ac confundat, ſed nec diſturbet atque opprimat: pulcerrimo Ordinum Statuumque in Republicâ exemplo, ut, quod Pericles Athenis primus invexerat, Commune quoddam eſſet Populi jus totius; lene tamen ac modeſtum ſed non minus perpetuum Diſcrimen Vulgi ac Nobilitatis intercederet; ſic qvidem, ut Novis inde Rebus nulla occaſio, nullus color aut ſchema ſubnaſci facilè poſſet; contenti eſſent Status uterque illis partibus, qvæ cuiqve in Republica obtigiſſent. Tantò magis in Republicâ Salvatotis ſuâ, per ſangvinis necisque meritum propriâ. In qua vel Lolio, alieniſsimæ adeo & damnatæ in herbis ſementi, maxima in his terris ſecuritas, utrâqve præcipiendi formulâ, ad Apoſtolos omnesque ſummos Eccleſiæ Præſules ſeveriſſimè data ac præſtituta eſt, ut ne invadant agrum Dei, qvin zizania ſinant creſcere, nullo autem modo convellant atqve exſtirpare meditentur. Quod ſi ergo parcendum iſtis, ſi ſtatus qvæſtio non movenda, nulla illis inferenda injuria, ſed quietè eorum haberi vel incrementa debeant: qvanta non ſuperat moderatio & humanitas eorum, qvi diſſidentes tam prope à ſe in Fide ac Religione Proteſtantes Socios, continere ſecum intra modeſtiam mutuisq; abſtinere dictorum flagellis, & in Veritate utrinq; profitenda ſervare pacem ad minimum verborum, favere inquam lingvis inter ſacra & Chriſtiana ubiqve regulâ incedere, Chriſtiano uti moderamine præcipiunt. Quâ aureâ temperie imbutum primò Sereniſſimum pectus Optimi ELECTORIS, nunc etiam obfirmatum eſſe, qvi cordatos mallent ſe, omniaqve facere æqui boniqve; gratulari etiamdum noſtris temporibus, certè ultimis in Eccleſia ac ſemper futuris pejoribus; vovere plura humanitùs non deberent,

qvâm

Digitized by Google

qvàm hanc interea Pacem, hanc Tranqvillitatem Publicam. Quid dicam de Externis ac finitimis Eccleſiæ, rebus inqvam Civilibus, & hâc Politices parte? Cum enim per hæc tempora, nec haberi pax ſine armis, nec teneri poſſit absque Exercitibus, ad ſubita caſuum promtis atque expeditis; in tanta Legionum Copia, qvæ per provincias diviſæ in ſtativis excubant, qvanta apud nos quies atqve adeo ſecuritas ipſa non viget atque dominatur? Dum miles ſuo vivere, ſuo paſci jubetur, nec Præbitoribus ac Parochis eſſe moleſtus; dum obſidere ex occulto vias non licet, easque facere infeſtas; non prædas agere, non latrociniis operam dare; qvæ vel in Sacerrimi Præſulis Italia ſummoveri hactenus non potuerunt, aut exſtingvi. Ipſum illud Privatum jus armorum, in Sago neceſſarium, in Togâ decorum atqve honorificum, ſtringere permiſſum deinceps ferocium nulli eſt, ſed interdictum ex æqvo gladiatorum prœliis omniq; certamine ſingulari; ferinisqve duellorum iſtis furoribus non aliqvis modus, ſed finis ipſe, ultimus & extremus, planè palam impoſitus. De cetero cùm acceſſione tot Provinciarum Marchiæ res factæ nunc ampliſſimæ, ne in dicundo jure ac miniſtranda populis æqvitate, aliqvid peregrini vel moris induci vel ſubrepere favoris poſſit, qvod eos ſæpe judices legi aliis ſubinde ex provinciis par & æqvum, ſæpe etiam neceſſarium ſit; Sereniſſimi ELECTORIS tanta his periculis ſubvenit moderatio ac pietas, ut natio quæque ac populus ſuis legibus utantur, ſed Prætoria ipſis ac Tribunalia longè graviſſima maximis conſtituerit impendiis, unde jus repetere commodiſſimum eſſet; aut ſi qvid in illo juſti ac boni qvisqvã gravatus deſideraret, provocatio ac remedium ad Serenitatem Suam daretur. Quæ ipſa ut vel Majeſtatem ſuam Legibus ſubmiſſam oſtendat, conſuli ſemper Reſponſa Prudentum, & majores criminũ

causas

cauſas æqvè cum minoribus ad Sacroſanctæ Juſtitiæ Thronum remitti in Academias ac Scabinatus divino qvodam animi judicio præcepit: tanqvam ad alicujus Aſtreæ Virginis Libram ac Lancem, ad æqvitatem, tenorem ac moderationem procumbere deinceps Fora non tantum Marchiæ noſtra, ſed aliarum debeant Provinciarum omnium; omnes novæ hinc ac neceſſariæ Conſtitutiones formari, cuncta, qvæ dubia atque impedita eſſent, Deciſionibus complanari; ne in Jure verſari Incerto poſthac neceſſe ſit plurimis in litibus, ſed velut alii in ſuo libentes, ita nos Marchico ac noſtro Jure contineri cum ſumma animi voluptate ac fiducia poſſemus. Tandem poſt hæc omnia, quid dicam de novellâ & adoleſcente Republica? Quam niſi qvis pertinere ad curam Principis ac ſeveram ejus providentiam exiſtimet, næ ille maximarum admirator rerum, oblitus originum & incunabulorum, ex qvibus in faſtigium illæ proceſſerint, Pietatem ac Juſtitiam, omnesqve ſummas Virtutes, Reipublicæ fontes æternos, unius malit eſſe ætatis, tam malè Seculares quia tam breves. Tamen non dicam, ſaluberrimo hôc maximoqve in argumento, vel de Seminariis noſtris ac Ludis literariis, vel de Inclytis Almisqve Matribus Academiis; qvarum Veteres, Senio venerandas, acceſſionibus refecit atqve locupletavit; Recentes ac Novas à Se primum cooptatas, auguratò legit, dotibusque æternis inſtruxit Sed neque dicam de Emolumentis doctorum virorum publicis, omni tempore vel conſervatis vel auctis, vel de integro proviſis; neque, de juventute universâ, in cuiuſque Modici Magnique Ingenii cultum excitatâ munificè, ſeveris cöercitâ legibus, ad Belli ac Pacis artes, in ſpem Patriæ partesque Reipublicæ omnes, domi ac foris luculentèr ſuſtentatâ. Quæ omnia, quamquam necdum omnia, extremis duntaxat nebulisque deſignata

Digitized by Google

gnata lineis, ſi in partes tributa ſuas & juſtam ſingularum magnitudinem deducta, ſive per Species rerum, ſive per Annalium ſeriem digeſta forent, atqve ab hoc Comite THESAURO, qvod adeò proprium ipſi ac ſingulare eſt, per rerum, qvæ ubiqve abundant, infinitam pulchritudinem, omni verborum auro argentoqve & ſententiarum atqve acuminum diſtincta gemmis atqve luminibus, his certè vivis coloribus inſignita, toto opere ac monumento inardeſcerent, optimo in lumine ad conſpectum collocata omnium: qvantum Inſtar atq; Simulacrum maximi Principis univerſa Marchionum atq; Electorum Antiqvitas, qvam abſolutum Virtutis ac Fortunæ ſignum Poſteritas omnis rata, hanc ſeculi noſtri Notam ac Decus, ſuum etiam Præſidium ac Palladium venerari, occuparent. De eo tamen porrò dicam, quod pertinere ſimul ad Comitem noſtrum, EMMANUELEM THESAURUM, ejusque Liberalem cauſam & Honorificam viſum eſt, qvodq; ad occaſionem Cõmmunis de eo Voti invitare nos tàm ſeriò debuit. Neq; enim qvalis primò in lucem venit tantus Auctor, aut poſtea juſſus eſt exire in ora oculosq; hominum, qvanqvam in cultisſimis Italiæ ac Muſarum ſedibus; ſic receptus eſt in Aulam Sereniſſimi ELECTORIS, ſic habitus: ſed detracto omni cultu viatorio, anguſto illo ac tenui, in quo comparere tanto coram Principe verecundia eſſet, forenſibus indui & cum toga incedere laticlavia cœpit: eum ſcilicet in modum, qvo ex ſingulari beneficio ac gratia Principis decoratus, in publicum prodire nunc ad maximos qvosqve viros honeſtiſſimè, ad vulgus cum ſplendore atque admiratione poſſet. Ita in quam acceptus habitusque in aulâ Sereniſſimi ELECTORIS Hoſpes ille, cùm Bibliothecam inviſere, ac ſedem capere ibidem & domicilium juſſus eſſet, priusqvam honorem ſuum adiret, viſus eſt luſtra-

re primùm hoc omne Palatium, ſtructuramqve tanti Operis velle. Quod cum in primo aditu, in Subſtructione ſtatim, per omnes etiam gradus, tandem ad fores, nunc hilari, nunc tacita mente inſtar cogitabundi ac multa animo volventis, aliquando benignis nutibus ac ſignis, ſemper tamen veneratus eſſet: ubi cognoſcere â deducentibus cœpit, qvo loco haberi inter tot Myriadas Optimorum Auctorum illoqve ſplendidiſſimo in conſeſſu totius Antiqvitatis & Temporum Noſtrorum deberet; continere amplius lætitiam pectoris ſui non potuit, & familiariter nobiſcum, etiam cum fiducia, loqui cœpit. *Qvantum meruit de egregio publico, omniqve ſerâ poſteritate* ELECTOR *Sereniſſimus, vel hâc unâ mentis culturâ, à Se primo, intraqve Aulam, & ſanctiſſimum hoc Penetrale, non receptâ modo, ſed qvod alibi à Conditoribus impetrari ætatèm non poterat, tàm munificè Publicatâ; admiſſis ad eam tot Populis & Gentibus quotidiè, Civibus ubiq; ſuis, nec minus Exteris Advenisq; cunctis.* Dum intentiſſimi ad hæc, pendemus ab ore tanti viri; ipſe mox conticuit, & animam diu continebat: Non multò pòſt ſpiritum ab altiſſimo pectore cœpit revocare. *Et miror*, inquit, *Auguſti Operis ingenium. Qvod ſciatis*, TOTUS HIC REGNAT APOLLO. *Sive enim de cœlo ſervem, ac regiones quaquà metiar; ſive ambientes hæc parietum latera plagas mundi conſiderem ac Proſpectum omnem; Operisque ipſius vel Subſtructionem vel Tabulata ipſa: proviſum undiq; eſt per Apollinis artes* HOMINI *adeò* TOTI; *Corporibus pariter Mentibusque*: UTRISQUE *ſua data inſuper* MEDICINA: OCULIS *etiam* DELICIÆ, *ut* PABULA ANIMIS *quæſita. Præſtò eſt ubique*, QUOD JUVET, QUOD OBLECTET. ALTERNÆ VICES *Mortalium*, ALTERNA TEMPORA. *Nolite*



Digitized by Google

*ignorare aut Genium Loci aut Felicitatem Veſtram.* SACRARIUM *qvoddam hoc eſt, ſed &* DECUS. *Alibi Scholam quærite in Bibliothecis: hic eſtis in* AULA. Læti ad hæc atque hilares, præcipuè ſumma perfuſi voluptate tàm ſingularis ac proprii nobis boni, qvod aperire hic primum inciperet, hactenus nemini creditum, aut præ novitate approbatum; cùm nec ipſe dicendo pergeret, & nos plura jam exoptare ſimplicius paullò atqve apertè videremur; Comes noſter THESAURUS reductâ benigniùs animâ, *Primus hic eſt*, inquit, *congreſſus noſter, & longa reſtat audiendi mora. Nec mihi decorum, quaſi Cantilenam afferre ex Schola, atq; ut videar conductus eſſe ad laudes, & per occaſionem eas promere tanquam ex codicillis, aut fundere ſtatim ſacco, non manu ſpargere ac ſerere velle inter ſermones.* Vix eloqvutus iſta erat, cùm paullo calidior qvisqvam, & qvi omnia per abruptarum quæſtionum fidiculas extorquere palàm ſolitus, *Tamen*, inquit, *hæc prima ſolùm, in quæ ingreſſus es, nobis explicato diſertius. Videris enim omnia ſtatim complecti animo, & per* INSCRIPTIONES *ſignare. Qvas ipſas mirabimur ampliùs, cum quicquid primus dederit aſpectus, id nobis qvoqve voluptatem ex Te contulerit. Cetera qvidem, interiora ſuo tempore; ſatis deinceps longo nobis atqve prolixo.* Nihil ad hæc præfatus Hoſpes ſapientiſſimus, niſi qvod vultum converterat eundem ad Interpellatorem; *Domicilium*, inquit, *hoc Muſarum, ita poſitum eſt, ut Incolis atq; Habitatoribus Illis Tantisque, gratia manendi æterna; Viſentibus, præter vota, quæ fecerit quisq; pro Salute ſua, etiam Innocua Voluptas oblectamento quæſita ſit: præbitore iſtorum omnium munifico, uno, qvod dixi,* APOLLINE. *Neq; enim Chorus ille* DEARUM *in antris ubique ac ſpecubus hoſpitatur; alibi Templa & Baſilicas poſcunt, Arcibus Aulisque*

 *augu-*

Digitized by Google

*auguſtisſimis ſedent. Opportunisſimam igitur ex tot Palatiis, hanc ædem Sacris illis Virginibus deſignatam video, non Equili impoſitam aut fabrûm Officinis; non ſub tecto, altisſimis qvanqvam laqvearibus, velut antris quibusdam ac ſpecubus novis ſuſpenſum; ſed revocatas inde cæleſtes Nymphas, medio quodam, non minus libero puroque aëre, locatas eſſe; ut Sedes illis ſuæ, quas cepere amœnas admodum, adverſus omnes coeli injurias, integrâ ſatis temperie ac ſalubritate conſtarent. Primus enim, quod apparet ſervanti à cœlo, formoſisſimus equidem Apollo, à purpurante ſtatim aurora, quadrigis ſuis invectus, idem ultimus devexo ad veſperam itinere, bis de die luſtrat omne hoc Sacrarium: & ignes flammàsque, medio urentes olympo, averti per oppoſitos amat parietes, accenſumqve aërem nunc intepeſcere, nunc fuligines à ſe disſipari nocturnas. Quò clarior autem feneſtris intrat altiſſimis, hòc ſerenat luculentiùs Muſas ſuas omnemque hunc Chorum confertiſſimum, eò propitium magis ad ſuſcitandos qvoqve hoſpitum & eorum qvi adoratum veniunt, ſpiritus animosqve ſcitote. Sacellorum alia fuit religio vetus, latebris omnia antrisqve abdentium. Invaſit a. atqve obſedit iſte ſimul horror & Novenarum ſororum cultum, malè ibidem habentium, & Salutatorum animos; indeqve omnis ſqvalor in ſtudiis, omnis horror iſte in literis pariter ac Sapientia. Qvandoqvidem verò porrectum in juſtam longitudinem hoc omne Templum eſt, opportunè admodum ab orientis latere toto alluit celeberrimum equidem à Marchionum ſede, ac pro ſe ipſo non ignobile flumen, Spreas, Sylvis ſaltibusqve inclytus; Civilis illius nuper apud vos belli & antiqvis etiam temporibus, à profugorum ſecuritate, à metu hoſtium tranſire volentium, à dolore ſæpiùs & vindicta pœnè famoſus: qvi proximo lapſu, Havelæ, pòſt Albis decantatiſſimi qvoqve ſub nomine*

mine perfertur ad Oceanum. Hunc mediis ardoribus Phœbus in tenues evocat aurulas, & recreato per vapores aëre calidisſimo, jubet refrigerio fovere ſpiritus incenſos atque à moleſtiis ex æſtuantium ſudorum dulcisſima reſpirare flabella. At vero oppoſita à cœli plaga quàm lætus excurrit proſpectus intra meridiem illosque ſeptem triones, tam in ſubjecto ſtatim ac longius amoto locorum ſitu! Colles enim illi procul & undequaq; ambientes ſylvæ, quin harummet pars exciſa ad regulam, & quaſi interlucata, quid non revocant à longinquo voluptatis? Apollo ipſe docuit hunc aperiri lucum, ut Muſis non minus aliquid ſpectaculi afferat, quoties publico volupe ſit, quam Aulæ; imò ut Aula ipſa cum Arce firmisſima, Sedes ſcilicet Marchica cum oppido Caſtelloque Spandoa, quanquam aliquot miliaribus disſitæ, vel interjectos ſupra exercitus maximos, continentinentiſſima utriusque obſidione, invitis etiam & nunquam impedituris hoſtibus, absque ullo internunciorum ac tabellionum curſu, tamen ſermonum uti commerciis tam noctu, quàm per clarum aëra, Epiſtolarumque argumenta ſibi oſtendere mutuo vel Notis quibusdam vel ipſis etiam apertiſſimis Elementis queant, ab altisſima turri utrinque ſuſpenſis & magnetica inſuper arte, ſecretaq; nihilominus fide, inter ſe conſpirantibus. Ut taceam alia omnia, quæ extra has Apollinis artes, nunc Fumis, nunc Ignibus, nunc Plauſibus Tormentorum vel Lætitias publicas, Exceptiones Tranſitusq; Maximorum Principum loqvuntur, vel ſigna dare in bellis ac militia ſolent. Qvas ſive argutias commoditatum ſive oblectamenta, cùm Feliciſſimus PRINCEPS communicare etiam cum Muſis ſuis dignatus ſit, tanto lætior Phœbus in vice, quicquid circumjectum eſt Hortorum atque amœnitatis illius ampliſſimæ, mirum qvantum irradiat mille vivis ac veriſſimis coloribus, omnique Florum ſive oſtro ac purpura, ſive aſtris

*ac ſideribus medio die hoc pulcrius incenſis atque ardentibus. Quicquid uſpiam harum ſcintillantium gemmarum benignißima rerum parens ac natura, vel pratis ac campis, vel ſilvis ac montium convallibus, in aſpectum atqve uſus protulit hominum; id omne huc ſeſe maxima beataq; infudit copia: ut, qvæ diſsitis longè regionibus, per oppoſita ſibi terrarum climata, quæri à peregrinantibus ſolent, compendio quodam divite ac largißimo, hoc in agelli fundo ſoloqve, & ſingula ſpectentur & omnia; nec tantum oculos paſcant feſſos à lectione ac fatigatos, ſed inenarrabili ſvavitate perfuſo omni hoc Palatio, recreent abſumtos ſtudio continente Spiritus, & tota meliore anni parte, à ſummo dierum qvotidiano mane blandißimis odoribus gratiam ſuam perſpirent, atq; hoc in Muſarum Sacrario, velut aliquo plusqvam ſabæo thure ac ſuffitu, has in propinquo Deas propitient. Putetis, non utramque modo Heſperiam, ſed Indias immigraſſe ipſas, cum omni copiarum, quæ illic proveniunt, Amalthæo Cornu; Floram autem has ſibi cepiſſe æternas ſedes, ut naſcentium undiqve herbarum, vitium, arborumq; gemmeis qvibusq; oculis Ipſa præſens ac prona allubeſcat, & in Ludis Sacrisqve ſuis Adonidem illum atque Alcinoum, Cultores ſuos, pro omni Voluptate ac Commodis mortalium decertantes, Cuſtos ac Præſes invicem remuneretur ac coronet. Qvo in jucundißimo Hortorum & quæ illic adoleſcunt, Theatro confertißimo, cum idem Apollo Regnum ſuum atq; Imperium omne exerceat, rebusqve orientibus ſuccum cuiq; ſuum & ſangvinem, vitam ſanè ipſam & fragrantiſſimas ubiq; vires ſufficiat; qvis eum non lætetur & ſuas huc transferre unà ſedes iſtas ad Muſarũ Templa voluiſſe, ut latè regnator, muneribus donisq; omnibus quaqua perpluat, ſeqve non tantum Palatiis omnem ſed Animis Mentibusq; ipſis infundat? Quantopere Maximus Oratorum Sapientumqve inter Quirites*

*ſuos*

ſuos Tullius, toties magno Cæſare major quoties Conſul erat, gaudebit dehinc cum ſummis in Republica Viris, tanqvã in hortis adeo ſuis, conſidere hoc loco; de omni Literarum ac Studiorum Ordine, Modo, Partibusq́; de Pace ac Bello; de Summa Rerum ipsâ differere & conferre ſermones ſub aliqua annoſa Quercu aut Platano illa, ad opacandum patulis diffuſa ramis! qvam & Plato olim eruditiſſimis doctrinarum fontibus magis quàm aquulâ irrigatã, ab Attico verborum melle celebravit atq; æternam fecit. Deſerent, credite, Porticus ſuas, Lycea, & iſtas Ambulationes, Græcorum Philoſophi omnes, tantaq; illecti amœnitate, abjicient ſeſe in herbam cum ſedatiſſimo Epicuro & his recubare hortis volent; tantò dulciùs, quo pulchrior & quaſi picturata ſeges, de admirabili Natura rerum, non ſitam in ſublimi, non à cœlo ſuspenſam, ſed expoſitam oculis in propinquo materiam, uberem illa ac ſalutarem, curioſitati doctorum commendaverit, ac vivos vigentésqve Libros tot ac tantos, plenis undiqve pulvinis ac calathis exhibebit ad ſenſum atq; ingeret. Apollo ipſe Medicorum futuros greges nobiliſſimos huc in poſterum arceſſet, ut quas res in gremio ſuo Tellus fovit atque eduxit, mox ab incunabulis ſuis, per omnes incrementorum gradus effectusq; inſpiciant, atqve primum ſecreti aditum ad nos vel in ipſa Sacrarii huius Subſtructione aperiant. Quid enim cogitari diviniùs potuit, quam ut Pharmacorum Apotheca, Bibliotheca facta ſit baiula? Apotheca Hortis ſit contermina atque affinis, unde pleraq; Medicinarum genera ſint petenda; Apotheca Medicorum ipſorummet Manus exerceat, ſuas quidem, præſcribendo, aliorum apparando; Apotheca, valetudinum integritatem ſervet ac procuret Inviſentibus; firmatis eorundem Corporibus Animos ſimul nobis vegetos in hoc delubrum mittat? ut hoc primo ac nativo robore ſuffecto, Virtus ac Sapientia Vires ſuas expediat omnes, & pulcrum iſtud in terris animal, quem vocamus Hominem, Deo efficiat ſimillimum.

Vix

Digitized by Google

Vixdum ea Novus Hoſpes elocutus erat; & videbatur plura longè de Corporum Animorumque Contubernio, tàm ſapienter commiſſo, & operis ſibi per vices manusque traditis, multo fervore concitus, ediſſerere velle atque perorare: cùm ecce! poſt Maximi ELECTORIS continentes à mane Curas & expedita jam ad felices ſucceſſus Conſilia, poſt defatigatos Cogitationibus Animos, lætiſſimo quodam velut exantlati laboris triumpho, pro reficiendis Corporis ſimul viribus, ad conſuetas regales epulas Vaſa conclamantur, & in eodem argumento eandemque in ſententiam, opportuniſſima facta diſceſſio eſt.

*JOH. RAUE,*
*S. El. Br. Conſil. & Bibliothecarius.*

Ad

Digitized by Google

# Ad LIBRUM,

## Gratulatio de

# PATRONIS.

TU verò lætis exceptus ominibus, LIBER,
*Procede in Publicum denuò, & vade quòvis liber,*
THESAURI *munus quondam ac donum,*
*Nunc* THESAURUS *Ipſe.*
*Quem variè ſpectatum in partibus carptim ſuis,*
*Sacrum Publico fecerat Auctor admirandus,*
*Ipſiqve Reges & Principes Publico donatum*
*Sua jam extulerant cœlo per Operum Paradoxa,*
*De Templis Aulisqve ſanctioribus latè renidentem.*
*At Tibi pòst in novi Corporis formam ſic collecto,*
*Abſolutiqve nunc partus prodituro in lucem,*
*Quæ non gravis fortuna incubuit à Natalibus,*
*Mendoſo qvaquà; jam mutilo, jam depravato!*
*Hoc* ROMA *primùm, quàm Culta olim, ingens dedit malum:*
*Roma, quæ noſtro iterum ſeculo, ut barbaris vetuſtioribus,*
*Præſules Maximos barbarè loqui ad Cultiſsimos Reges docet,*
*Et literas mittit, Infulis Apicibusque ſuis pœnitendas.*
*Sed nec melius Te fatum Auguſtæ Taurinenſium manſit,*
*Novum quidem illud, ſed idem ſatis inclemens,*
*Subrepente obliqvâ ſemper ex tranſverſo Nemeſi;*
*Quæ nunc florentem licet pluribus, qvàm antidhac, bonis,*
*Lumine tùm contuita eſt tamen ſupercilioſo.*

d Tàm

Tam malè revocatum comparaverat Librarius,
Ut Proſtituto ſimilior in Officinis, qvàm Proſtanti,
Iniqvis expoſitus chartulis & ægrè obvolutus,
Minutioribus adhæc compunctus à Typis,
Planèque redactus ad minutias THESAURUS;
Vel tenebras ſubieris, unde ſperaſſes lucem.
Iſthæc Typographus utrinque incusſit ſed nec ſoli mala!
Ergo caliginem rectè gravatus hanc indecoram,
A quæſtu aſperſam cauponantis Inſtitoris,
Ut tanquam Vulgaris liber in Umbra ſtares ad lucernulas,
Furtivam quaſi fœneratus ex Schola lucem,
Has ultus ampliſsimè Contraſcriptoris es Tui culpas;
Et quâ circumfuſus eras publica fuligine,
Eandem rite oculis refudiſti Curioſorum,
Aegriùs Te in animos legentum ſic demiſſo,
Ut iisdem, qvibus impreſſus formis, ſimul oppreſſus;
Oculisqve ſubjectus qvantumvis omnium ac fidis,
Malè præbitus tamen, qvia ſimul ereptus,
Lateres aprico in Sole, tàm aſſo qvàm uncto.
Qvod umbratico latet ſub pallio, ſatis latet.
Criminiqve non parum diſtat inornata Virtus.
Qvicqvid evileſcere cupias in vulgus ac profanos,
Id primùm aſpernator ipſe in publicum,
Deſtricto ſemel honore, contemptus ad Sapientes pervadet.
Hanc dudum queſto injuriam literato orbe,
Qvâ ſæpius cœleſtisſimi premantur Ingeniorum partus
Vinctusq; jaceret in publico hic etiam THESAURUS,
Cùm detuliſſet Numinum fidus Miniſter ad Superos,
Plenoque Majorum Minorumque Gentium Conſeſſu,
Omnes ſe muti mutuo increparent ſilentio,
Omnium ecce! ad aureis vox quoque accidit improviſa,

Toto

Digitized by Google

*Toto pervagata, inſtar queruli murmuris, cœlo:*
INDIGNE, INDIGNE, THESAURO!
*Sed ei vixdum exaudita, patente quaquà palatio*
*Succinit à dextris lætior multò Fama;*
TAMEN VINDEX JAM DATUS.
*Extemplo præſentem intuiti omnes Apollinem,*
*Ac ſi remedium ab eo debitum, ſic promiſſum eſſet,*
*Cujus maximè intererat, Erudita tueri Regna;*
*Tum verò Ipſe, tanqvam parum æqvus Suis,*
*Qvibus hoc mandatum à Mercurio eſſet Commercium,*
*Qvin tuas*, inquit, *culpas fers in publicum nobis.*
*Itane factitent præter propter Literas noſtri Agentes in rebus?*
*Dum* arma *iſti, dum* ad arma *Martium genus,*
*Et nos noſtra* conclamamus *undeqvaqve* vaſa;
*Ecce jam proditi ſumus aut perimus ſub manum!*
*Qvid reliqvi putemus nobis ad poſteros fore,*
*Si qvicqvid admirata quondam vetuſtas eſt,*
*Ipſis ab Enchiridiis conciditur in minutal,*
*Et manualibus damnatæ res omnes noſtræ,*
*Hìs in libellis paullatim cum memoria ſubſidant?*
*Nec tamen defectus eò cura ſua eſt Phœbus.*
*Ne actum exiſtimetis; adhuc bene res agitur.*
*Niſi qvod arctæ Muſarum res totâ ſint Italia.*
FARNESIORUM *qvid profuit* THESAURO *Nomen?*
*Qvid tot ſub Pontificibus Dignitates maximæ?*
*Si* Zappata *ſementi ratus non reſponſuram meſſem,*
*Idcirco tenui precio ſpes mercatus non magnas,*
*Modicum æs hanc in Margaritam, non plura, contulit,*
THESAURUM *jam deſperans, præſentem dum effodit?*
*Alius mihi alio quærendus ſub cœlo Sequeſter eſt.*
*Emoventur axibus ſuis cardines terrarum,*



Digitized by Google

Effriguit Heſperia, traducta ſub Boream eſt,
Boreas amore noſtri & ipſe dudum ardet;
Non Ætnæ, non Veſuvio ſui tantum ignes,
Heclæ ipſi ſub altiſſima Arcto flammæ ſuppetunt.
Non deſperabimus foveri, quà Virtus modo pertigerit.
Vergente ad Oceanum Germania BRENNO AQVILINUS ſedet,*
ILLE non minus à PACE, qvàm à GALEIS OPULENTUS. *
EJUS per Gentes Populosque & Nationes longinquas
Meus quisquam geminus germanusque CONTRAPHOEBUS
Tam latè Muſarum ſceptra inclytus moderatur,
Quàm ſe fines in Occaſum porrigunt atque Orientem.
Ille ipſe MAXIMI ELECTORIS ADJUTOR MAXIMUS,
Dum totus quaquà tumet Orbis terrarum,
Et apparatibus ſecum arma luctantur ac ludunt,
Intentus his duris admodum Inanibus bellorum,
Rebus ut conſulat non minus interea noſtris,
Meo dudum inſtructus arcu ac felicibus telis,
Iſtas brevi disjiciet tenebras THESAURI omnes,
Et luce redonatum ſuâ Publico vindicabit.
Adeſt, adeſt Voti Pararius noſtri,
Illuſtre Muſarum Jubar, Marchiarum Sidus,
Æviternâ BLUMENTHALIORUM gente ortum,
Fatale THESAURI, poſthac melioris, lumen.
Is florem Ætatulæ maximis donatum ſpebus,
Cùm meliori terrarum Orbi, Europæ toti, approbaſſet,
Longinqvis diſſitisqve â PATRE dedicatus Populis,
Qvorum ſervaret Ritus & abditos Prudentiæ Mores,
Germaniam ergo omnem, Italiam, Gallias, Hiſpaniamqve,
Et peroſam trucibus Getis fortem Maltham,
Invictumqve Armis pariter ac bonis ab Artibus Belgium,

* MARCHIO & ELECTOR BRANDENBURGICUS.
* FRIDENREICH VILHELM.

In

Digitized by Google

In Patriæ & Suos introſpexiſſet ſalubres uſus,
Pòſt, Magno adſertus in ſangvinem SCHVVERINIO,
Suapte emerſus virtute pervaſit in ſummum.
Conſident prope Gubernacula rerum Socer ac Gener,
Alter Conſilio maximus, alter Iuventute confiſus,
Senis Prudentiam Virile comprobat obſequium & Vigor.
Qui Curis præeſt, alterum adaptat Legationibus.
Quas & hic obire dudum cœpit plurimas & inſignes,
Easdem, qvas olim peragrando emenſus terras,
Luſtrare cum Imperio ſeveriſque pergit mandatis:
A Marchico bellorum Fulmine, AQVILINO BRENNONE,
Nunc Aquilonem miſſus ad Daniæ Regem,
Nunc in Hiſpanias ad Catholicum,
Nunc ad Imperii Romani Sacrum in terris Caput,
Nunc ad Chriſtianiſſimum Galliarum Monarcham,
Sive illum malis Primogenitum Eccleſiæ laudari.
Huc huc graviſſima toties ferens mandata,
Negotiorum arctiſſimos expedivit nodos,
Et qvintùm jam diſceſſurus Galliis felix,
Legati munus Domino allubenti reſignabit.
Hic ergo THESAURUM muneri laturus ac dono,
Idem fidus Proxeneta erit, idem Patronus alter,
THESAURI Novus aſſertor ac vindex Secundus.
Dixit & applausère omnes, totumque accinit cœlum.
Evax, THESAURE! Hæc tua ſunt Fata poſt fata,
Ut multò clarior evaſeris majorque Te ipſo,
Tanqvam aſſolent Genii eſſe viventibus ampliores.
Qvàm paſcet dehinc animos THESAURI mens abſtruſa,
Reconditis qvaqvà deliciis ſtillans,
Iſtudque labium Viri Attico perfuſum melle,
Omnibus tinctum Gratiis & Venere caſta,

 Totum

Digitized by Google

*Totus ipſe Os cœleſte ac Venuſtas ipſa.*
*Nil amplius obſtruxit luminibus character iniqvus;*
*Nullibi impeditus lector eſt aut fatigatus;*
*Ipſi ſe oculi duces exhibent in Effata,*
*Et recondita nunc ad Myſteria obtutu feſtinant.*
*Reviviſcunt à* THESAURO *ſui nunc Reges ac Principes;*
*Et qvæ ſtupenda excitarunt olim monumenta.*
*Totus à primordio Vetus ac Sacer Orbis,*
*Exuvias iterum ſuas ponit reditqve in priſtina;*
*Miratus ætates ſuas & Temporum lapſus,*
*Et qvibus effulſerit Heroum inſignibus,*
*Quasque impreſſerit ſeculis quibusque notas.*
*Ipſe omnis Patriarcharum ſuas tributus in claſſes,*
*Et per meritorum diſcrimina ordo pulcherrimus,*
*Gaudet nova ſe reſpirare per Acroamata,*
*Et hôc præcone tam Illuſtri placere vel Aulis.*
THESAURE, THESAURE, *debemus invicem nobis.*
*Nulli* PLUS, *quàm Marchiarum* PRINCIPI MAXIMO,
*Nulli* PRIUS, *quàm laudantibus* PATRONIS.

JOH. RAUE.

*De*

# De
# ORTHOGRAPHICA SCRIBENDI RATIONE
## *Auctoris pariter, atq; Editoris,* PANEALBI; *in his Inſcriptionibus uſurpatâ ac retentâ.*

CUm Vir Conſultiſſimus EMMANUEL PANEALBUS Inſcriptiones has ab innumeris mendis Auctoris manu expurgatas, ipſe diligentiam profeſſus erratorum Typographicorum Corrector, ne ſic tamen nobis prorſus emendatas dederit, quin horum ſimul indiculum, quamquam minimè omnium, reliquerit: monendus ante omnia Lector eſt de Etymologicâ & Orthographica ſcribendi ratione, quam ſequutus eſt partim Autor, partim Editor; quamque immutare & corrigere velle, noſtri arbitrij minimè fecimus: Quòd ſuo ducti uterque ingenio, in quibusdam peculiariter, ſuis ex cauſis, ita ſenſerint; in aliquibus gentis ſuæ morem ſervantes, alia diverſo ab eruditis modo, alia etiam aliter aliterque, tanquam parum differentia ſcripſerint, virgulis & accentibus ſignarint, commatis diſtinxerint. E quibus pauca in exemplum damus. *Hareditas* per diphthongum. *Asilum* (refugium) per *i*. *Author*, *Authoritas* addito h. *Cychnus* aliquoties, alibi & *Cygnus*. *Emiſtichion*, abſque aſpiratione. *Calum*, *Caleſtis*, *Caruleus* ſæpiſſimè per *a*, rariùs per *æ*. Sic *Paramia*. contrà. *Calari* neſcia virtus, pro *Celari*. *Phabus* per *a*. *Syncerus*, *Pyerius* per y. contrà *Siracuſanus*, *Simbolicè*, *Limpha*. *y* pro *u*. Pryna pro Pruna. Siſtunt U vocalem & Conſonantem eadem figurâ non diſtincta; quod mutatum nobis eſt ſæpe ex more eruditorum hodierno. Virgulæ ſeu Accentus additi ſæpiſſimè, apud eruditos quidem citra neceſſitatem; in antepenultima: *Hercúleus*, *Insúbria*, *Fúnebres*, *Diútinus*, *Iſcária*, *Naúfragus*, & ſic in plurimis aliis. In penultima, tanquam ſingulari de cauſa. Ut *Iphigenia*, *Caducéus* (aliquoties, idque in verſu.) *Asílum*. In ultima, citra neceſſitatem, *Praſertim*, *Exultím*, *Certatím*, *Diù*, *Sapè*, *Sivè*, *Ità*, *Dùm*, &c. aliquando etiam in Præpoſitionibus, *Ultrà*, *Extrà*, *Circà*, *Intrà*, *Suprà*, etiamſi præpoſitiones adhuc ſint, nec in Adverbia degenerarint. Commata interſerit Vocibus per Et, Ac, & Que copulatis, v. g. *Principi*, ac *Populo*: *ille Senator. & Orator. Principi*, *Populoque* Minutiora his non curavimus, & aliqua ex iisdem inviti etiam correximus per conſuetudinem noſtram. Suſtulimus autem Errata Typographica ab Editore annotata. Quibus aliqua etiam apud nos invicem irrepſerunt, quæ manifeſtisſima, ut *Affabalitas* pro *Affabilitas* p. 8. lin. 14, *Manucordiata*, pro *Manucodiata*. 145. lin. 34. *Pupulli*, pro *Pupilli*. p. 134, l. 2. *bunemerito*, pro *benemerito*. 170. lin. 49. *monumentoquo* pro *que*. p. 44. *immorto*, pro *immoto*. p. 47. *partire*, pro *l. Scrytha* pro *Scytha*. p. 159, l. 8. pro *latranto*, *le-*

Digitized by Google

lege *latrante.* 161, lin. 7. pro *Matre*, *Marte.* 159 lin. 2. pro *Damon*, *Dæmon.* pro *magnus*, *magnos.* 163. lin. 29. pro *avelißet*, *avellißet.* 170. lin. 21. pro *reditetque*, *redıretque.* 171, lin. 3, & 4. pro *Andromede*, *Andromeda.* 443. pro *Humbertus II.* *Humberti II*, 124. pro *Me luſao*, *Meduſao.* pro *Divitii*, *Divitis.* 303, 17. pro *uſtinentes*, *ſuſtinentes*. p. 37.

*Unum Typographi erratum, perquam feliciter commiſſum.*

Pag. I, lin. ult. NE PRO NUMINE RECOLERETUR,
id eſt, *Viciſſim Coleretur*,
cum ſaltem exſtaret, COLERETUR.

Miratus ſum, quid Typographo in mentem venerit, ut Compoſitum pro Simplice, cùm non inveniſſet, repoſuerit. Perlecta Inſcriptione, animadverti, nihil potuiſſe elegantius dici atque acutius; ipſumque Auctorem, contra ſe vocatum ad ſententiam, probaturum fuiſſe hanc prolapſam errore emendationem.

EMMANU-

Digitized by Google

# EMMANUELIS THESAURI INSCRIPTIONES.

Digitized by Google

Digitized by Google

*EMINENTISSIMO*

*AC REVERENDISSIMO*

PRINCIPI

# HIERONYMO FARNESIO,

FARNESIORUM PRINCIPUM FAMILIÆ,

Primævâ e Stirpe, generoſiſſimo Palmiti,
Qui cùm Gentilitiæ claritatis commendatione
Ab ipſo Juventæ limine,
Purpureum ad Faſtigium tranſilire meruiſſet:
Ducente tamen Virtute,
Gradatim ſcandere decrevit;
Ut ſingulis Miniſteriis,



Digitized by Google

Singula Nobilibus Exempla panderet.

Itaque;

Maximorum Quinque Pontificum emenſus Regnum;

Primum in Camerali Athenæo

Tantâ Judicem integritate geſſit,

Ut Libram ad æſtimandas,

Gladium ad reſecandas lites,

Fugiente ab Aſtreâ vindicaſſe, ſit viſus.

Tùm Rhæticam ad Rempublicam,

Ceu Lydios ad Lapides, miſſus;

Inalpinis illis Populis,

Virtutum exactiſſimis exploratoribus,

Non ſolùm approbationi, ſed miraculo fuit:

Romæ deinde Gubernator,

Tantâ Prudentiâ Gubernaculum rexit;

Ut novo quoque hoc argumento,

Romam Urbium Caput indubiè crederent,

Qui tale Romæ Caput viderent.

Jam Epiſcoporum, & Regularium

Sacræ Congregationi aggregatus,

Superfluum eſſe Numerum docuit:

Cùm in Unius Pectore,

Tota poſſet Congregatio numerari.

Pon-

Pontificiæ verò Domus Magiſtèrium Supremum
Ità ſuſtinuit;
Ut qualis eſſet Domus, ex Magiſtri Virtute:
Qualis eſſet Pontifex, ex Domus Diſciplinâ
Cognoſceres.
Tanta ejus ergo Merita,
Summam ad Maturitatem cùm perveniſſent,
Maturitatis colorem traxere, purpureum:
Ipſeque
Inter Eminentes Rom. Eccleſiæ Cardines fulſit.
Cæleſti plane Cardini ſimilis,
Quòd Magnéticâ virtute Animos rapiat:
Hôc tantùm diſſimilis, quôd nunquam quieſcat.
Bononienſem Legationem
Omnium præclariſſimam,
Tanto Magnificentiæ,
Tanto Ingenii ſplendore, illuſtravit:
Ut Civitas illa Sapientiæ Mater,
Sapientum Patrem inveniſſe geſtierit.
Cælo demum Romano redonatus;
Miniſterium omnium difficillimum ſuſcepit;
Capucinorum nempè Ordinis Directionem.
Quis enim Sanctos dirigat, niſi Sanctiſsimus?



Digitized by Google

Summam itaque, ſummâ cum Dignitate, Pietatem:

Cum Nobilitate Doctrinam:

Cum Frugalitate Magnificentiam:

Cum privatâ Perfectione

Publicarum rerum ſolicitudinem:

Omnes denique Pontificias Virtutes,

Sine Pontificatus ambitu, complexus eſt.

Maximo ALEXANDRI SEPTIMI PONTIFICIS MAXIMI plauſu:

Qui eos ad ſuſtinendum Conſilio Pontificatum elegerit,

Quos etiam Imperio ſuſtinere poſſe, judicavit.

Tali ergo Principi

*Bartholomæus Zappata Bibliopola*

Cum pro meritis Elogium pangere,

Ob Eloquii pauperiem nequeat;

PRETIOSISSIMUM ELOGIORUM THESAURUM,

Quod ex Officinâ ſuâ nuper effoſſum,

Luci protulit,

Humillimè Offert.

Ema-

Digitized by Google

# Emanuel Philibertus Panealbus,

## STUDIOSO LECTORI.

*HUMANIS innata mentibus cupido eſt, præcellentium Artificum Vetuſta perſcrutari Opera, & veluti extincta Lipſana Virtutis venerari. Sanè Apelleo penicillo, vel Praxiteleo cælo ſignata fragmina, ſitu licet, fumoque fœda, magno emptitata fuiſſe legimus, & inter pretioſa Penatium oſtentui collocata. Ecquis autem eò pretioſiores* INGENIOSARUM INSCRIPTIONUM, *quam pictarum Imaginum reliquias eſſe neget; quò divinius eſt Illuſtrium Virorum Animos æternis conſignare literis, quàm externis Corpora pigmentis adumbrare? Nam ſi pictura, elinguis Mima, humanos tantùm actus indicat; Pictura vocem, eloquiumquè tradit Elogium.*

*Si*

Digitized by Google

*Si marmorea Virtuti Monumenta ſtatuuntur; Inſcriptio Statuas erudit; Triumphales animat Moles; ingenioſa Sepulcrorum Marmora cum Viatoribus confabulari docet: ac felici Calamo, veluti fatali Hermetis Caducéo conclamatos Heroum Manes è Libitinæ manibus eripit. Nam ille demum omnino mortuus eſt, qui Elogio caret.*

*Jam verò qualem hæc Ætas, hæc Patria, Inſcriptionum Artificem ediderit, planè intelliget, qui* EMMANUELIS THESAURI *Inſcriptiones, & Elogia, cum iis, quæ ante illius ævum legebantur, componas. Ut enim omnium primus, in ſuo de* Arguta Loquutione Perſpicillo, *Metricas Tabulas excogitavit, quæ anabolicum, & effuſum Orationis Characterem, concisâ quadam reſpirationum morâ recrearent, & aurium harmoniam oculis oſtenderent: Idemque primus melleam Metaphoræ ſuavitatem abditis è fontibus recluſit: ita ſuis in Elogiis duas res* Lapidariæ *maximè proprias, maximeque difficiles,* Argutiarum delicias, *cum* Argumentorum tetricitate, *conciliavit; totamque* LAPIDARIAM, *olim planipedem, horridam, & emortuam, vegeto quodam ſpiritu implevit; cujus admiratio innumerabilem Imitatorum numerum ſuſcitavit. Itaque de illius Inſcriptionibus, ſeriò fortaſſe dixiſſet Plinius in Præfatione:* Dignas eſſe, propter quas vadimonium deſeratur.

*Optandum igitur profectò foret, ne tam præclara Opera Opificis obitus efficeret pretioſiora: nimis enim caro emitur authoritas Operi, ex Authoris cinere: & ſanè immortalis eſſe mereretur, qui alios facit immortales Sed noſter interim Author, Afræ inſtar Avis ſuorum fœtuum deſertricis, perpauca ſuarum Inſcriptionum Authographa ſibi reſervavit; cum, ut ipſe affirmat, gravius illi ſit dictare, quàm oblivìſci: multoque gravius in tanta locorum, viarumque varietate, immenſum charthophylacium, Scitharum more, circumrotare. Itaque,*

*que,*

*que, ne multorum annorum, imò totius vitæ labor interiret: ac præſertim, ne quos ſuis ipſe Inſcriptionibus æternos fecit, æternitatem amitterent: Studioſorum, amicorumque plerique, tum præcipuè Vir Clariſsimus JOHANNES TARINUS, qui Senatoria negotia dulci Muſarum otio interpolare ſolebat, ut harum mihi vindiciarum ſolicitudinem aſſumerem, aſsiduis ſolicitationibus inſtitere. Primò, quòd Librum ſuum de Argutia diu ſepultum, ut idem Author evulgaret, ego ipſe obtinueram. Deinde quòd illarum Inſcriptionum multa exempla, diligenti collecta opere, domeſticum veluti Theſaurum aſſervabam. Denique quòd dum illius Inſcriptiones multi mendoſis ab exemplis, mendoſiùs exſcriberent, mandarentue Typis; commune Muſarum votum fuit, ut volumen aliquod emaculatum, & ſyncerum ſecuris oculis legeretur. Idque à me faciliùs ſperabant, qui, ſi qua imparilitas in chirographis, vel obſcuritas in ſententiis inveniretur, familiari quadam confidentia, vivi ſententiam Authoris, ut Æditui Oraculum poteram explorare.*

*Accinxi me igitur graviſsimo, ſed gratiſsimo Operi; excuſsi mea ſcriniola, & undecumq; quantas potui Authoris hujus Inſcriptiones, & Elogia, vel expreſſa Typis, vel impreſſa Monumentis, vel appicta Parietibus, vel inarata Paginis perquiſitè adlegere curavi; atque ea, ne congeſtitium ſine calce ſabulum adaggerarem, in ſolidum, nexumque Corpus compegi: & promiſcuam multitudinem, ſub certa Titulorum vexlla, quæ ſubſequens pagella dabit, centuriavi. Tum ſententiarum, & eruditionum obſcuritatem illuminare ſtudui; ut non amanuenſis, ſed gloſſographi miniſterium tibi videar præſtitiſſe. Scio equidem huic volumini alterum quandoque poſſe aſtrui Volumen. Nam Pontificum ſtemma, Author ipſe diù premit, antequam promat. Multa deinde Elogia, veluti Sibillæ folia, paſsim, ſparſimque volitantia, diligentiam meam effugêre.*

Multa præterea, cum aliis pleriſque ejuſdem calami laboribus impudentiſſimi Librorum, tanquam Liberorum plagiarii (ut ait Martialis) furtim abduxere: Legis Juliæ rigore profecto digni. Multa denique in hac ſua Heſiodi ſenecta, in dies calamo ſuccreſcunt, ut Principi (qui ſuo tantùm utitur Apelle) obſequatur; vel rogantibus Amicis affluat; aliis enim diteſcunt Theſauri, non ſibi. Sane in hoc Volumine non leges Virtutes Infulatas, nec alia quædam Elogia, Italis, Germanis, Lugdunenſibus Typis ejus Inſcriptionibus aſſuta; neque enim vult hic Author, vel ſuppoſititios fovere fœtus; vel Æſopicæ Cornicis inſtar, alienis ovare pennis. Contrà verò inſignem Belgæ cujuſdam ſuavitatem rideas; qui Patriarcharum Stemma totum ex Lapidaria proſa in hexametros verſus transformatum, & eleganti bus lemniſcatum Imaginibus Brabantiæ Archiepiſcopo Cognato ſuo, ut ingenii ſui ſpecimen, dedicavit. Quod ſanè plagium præter ſententiarum deformitatem, vel ſola utriuſque Codicis Inſcriptio ex Annorum ſupputatione facilè arguit.

Neque tamen mirabere, ſi Author ipſe, arguta quædam ſua lumina ex una in aliam Inſcriptionem quandoque inſeruerit. Primùm enim, ſimilitudo materiæ, ſimilitudinem Argutiarum non rarenter ſuggerit incogitanti. Ac ſi duæ mentes in eandem ſententiam facilè coincidunt; multo facilius mens una ſecum ipſa (præſertim cum Argutiarum genera non ſint infinita) coincidet: quod in iteratis Virgilii, & Homeri Carminibus obſervarunt. Deinde cum Inſcriptiones ſæpe fuderit momentanea ex occaſione ſtatim perituras; manſuras aliàs, & æternas: injuriam nemini fecit, ſi mortuarum gemmis, ſuperſtites exornavit. Nihil certè alienis è loculis, ſed ſuo ſibi de Theſauro, mutuatus. Quòd verò in hoc Volumine aliquid à prima origine immutatum legas, Authoris genio tribuendum. Non enim Apellem imitatur, qui ſua ſtatim mirabatur utcumque pingeret: ſed Protogenem, qui penicillo, ac deletili ſpon-

ſpongiâ ſemper paratâ; nunquam de tabula manum. Nam inſanis mentibus primæ; ſanis ultimæ cogitationes ſunt meliores. Audivi etiam qui omnibus in Elogiis, ſuorum Cæſarum ſtylum maximè quærerent. At ille contrà maximè miratur, quod illa fuerint admirationi: easque nugas, & puerilitates vocat, materiæ tantùm gravitate fultas. Illud ſanè ſæpe memorat ex Ariſtotele, de decoro in eloquutione diſſerente. Videndum eſt, ſicut Juveni purpureus color, ita ſeni quid conveniat. At Juvenes, Authorem ſemper juveneſcere mavellent; iisque gaudent, quæ ipſis, cum ſenuerint, diſplicebunt.

Tu verò ſtudioſiſſime Lector, valeto, & fruitor hac meâ non levi, non inutili diligentiâ: unoque te Libro divitem puta. Piſcatore illo ſanè beatior, qui Theſaurum adducto in Reti cùm reperiſſet, Valete, inquit, retia; ſatis hodie ſum expiſcatus.

# TITULORUM INDEX.


I. *Fúnebres Apparatus.* pag. 1.

II. *Natalitiæ Pompæ.* pag. 35.

III. *Sacræ Celebritates.* pag. 51.

IV. *Literarii Apparatus, id eſt Cæſares.* pag. 71.

V. *Publicæ Principum Receptiones.* pag. 94.

VI. *Regiarum Ædium Ornamenta.* pag. 111.


VII.

Digitized by Google

*VII. Theſium Publicarum Parerga.* pag. 185.

*VIII. Illuſtrium Virorum Elogia.* pag. 203.

*IX. Rerum, Locorumque Inſcriptiones, & Monimenta.* pag. 251.

*X. Inſcriptiones Hiſtoricæ, id eſt, Patriarcharum Genealogia.* pag. 271.

*XI. Inſcriptiones adſtrictæ numeris.* pag. 431.



Digitized by Google

# APPROBATIO.

CUm, juſſu Excellentiſs. Domini D. Magni Sabaudiæ Cancellarii Jo. Baptiſtæ Buſchetti, faſciculum hunc eruditiſſimarum Inſcriptionum diligenter evolverim, quas è divite gaza Illuſtriſs. Comitis D. Emmanuelis Theſauri depromptus, atque olim, pro re nata ab eodem ſparſim editas, tanti Viri perpetuus demirator, & cultor Perilluſtris D. Emmanuel Philibertus Panealbus, in hac Taurinenſi Academia Juris Cæſarei publicus Profeſſor, in unum collegit, ad uberiorem Reipub. Litterariæ utilitatem, nihil in eis niſi aurum purum putum inveni, ad Lydium jam Romæ lapidem probatum. Ita enim, toto opere, certat cum ingenio prudentia, ut neſcias utri primas deferas. Aureum planè opus, & prælo digniſſimum. Quamobrem, meo quidem calculo, vel aureis typis recudatur licet, nec ſemel, ſed centies. Pugillus gemmarum eſt, & ſiquid uſpiam gemmis pretioſius invenitur. Tantis opibus ditari Reſpubl. poteſt, lædi omnia non poteſt. Taurini 27. Octobris 1666.

MARIUS CLEMENS BARATTA,
è Societate JESU Theologus.

*Imprimatur.*

FR. THOMAS CAMOTTUS,
Inquiſ. Taurini.

*Permittitur Imprimi*

BUSCHETTUS.

Digitized by Google

# FUNEBRES APPARATUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

# EXTREMI HONORES.

## PHILIPPO III. HISPANIARUM REGI,

*Mediolani celebrati die VII. Idus Junij*
*M DC XXI.*

REGII Funeris apparatus univerſus, quoad rem literariam; Prorégis Supremique Concilii voto, unicum Authoris hujus calamum ſenſit; ab omnibus facilè agnoſcendum. In exteriori Metropolitanæ Baſilicæ proſpectu, inter gemina Mortis ſimulacra, horribilium præconum ſpeciem referentia; invitamentum hoc, ex vetere Indictivorum Funerum formulâ, legebatur.

EXEQUIAS MOESTISSIMAS REGI VESTRO,
O CIVES.
HUC VOTA, HUC LACRYMAS.
QUI MAGNA DABAT, MODICUM PETIT.

Sub intimâ Templi Teſtudine, ubi ſupra Tumulum flammifera ſurgebat Moles, Sepulcrales Inſcriptiones quatuor; quid à *Cœlo*, quid à *Virtute*, quid à *Fortunâ*, quid à *Naturâ* in Regem collatum fuiſſet, complectebantur: quarum prima, Filii nomine, Pyræ frontem occupabat.

PHILIPPO III VERE CATHOLICO;
REGNORUM, ANIMIQ. AMPLITUDINE COELITUS DONATO,
UT NUMINIS CULTUM UBIQ. GENTIUM PROPAGARET;
SED PRÆMATURE TERRIS EREPTO,
NE PRO NUMINE RECOLERETUR:



Digitized by Google

PHILIPPUS IV. PATERNORUM REGNORUM HÆRES,
SED REGNIS CARIORE PATRE SPOLIATUS:
UNICUM DOLORIS SOLATIUM NACTUS, DOLOREM,
PRO LACRYMARUM ILLECEBRA TUMULUM PONIT.

*Secunda, Proregis nomine.*

PHILIPPO III. TER MAXIMO,
ARMATIS PACATISQ. VIRTUTIBUS ITA INSTRUCTO,
UT EJUS ARMA,
NEQ. TEMERE NEQ. TIMIDE COMMOTA,
AUT VICTORIÆ DECUS, AUT PACIS SECURITATEM,
ORBI SEMPER ATTULERINT,
COMEZ SOAREZ FERIÆ DUX DESOLATISS.
BELLO PACIQ. IN INSUBRIA PRÆFECTUS,
DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,
UBI DE GERMANICA VICTORIA
TRIUMPHALEM PARABAT MOLEM, FUNEREAM P.
HEU PRÆPOSTERA FATA!

*Tertia, Mediolanenſium nomine.*

D. PHILIPPO III.
REGUM FELICISSIMO, FORTUNATISSIMO;
QUI SUA FELICITATE, ORBEM FELICEM FECIT,
ET FORTUNARUM TRIBUTIS, TRIBUTARIOS FORTUNAVIT:
CINERIBUS ETIAM FIDELISSIMI MEDIOLANENSES,
INFELIX LACRYMARUM VECTIGAL,
QUOD VIVO NUNQUAM SOLVERANT, EXTINCTO SOLVUNT.

*Ultima, Orbis univerſi nomine.*

PHILIPPUS III. OPT. MAX.
NATURÆ DONIS OMNIBUS CUMULATUS,
IMPERATORUM, REGUMQ. MAXIMORUM
FILIUS, GENER, PATER, SOCER,
QUI SPECIEM IMPERIO, QUOD A NATURA ACCEPERAT,
ET INGENITAM STIRPI GENEROSITATEM
LIBERIS PARTITUS;
UT NATURÆ AUTHORI, QUOD A NATURA ACCEPERAT;
RESTITUERET,

MOR-

Digitized by Google

MORTALITATIS IMPATIENS,
UTRUMQ. ORBAVIT ORBEM;
AB UTROQUE DEFLETUR.

Circa funebrem Thalamum *Parentales Umbræ* quatuor angulatim ſedebant, habitu vultuque flebili: & ſuum cujusq; Heroicum ſymbolum in Clypeo pictum, lugendi materiam præ ſe ferebat; addito Diſticho ad explicatum:

I.

*Philippus II. Defuncti Pater*, ſuum in Clypeo Symbolum geſtabat: *Apollinem quadrigas agitantem:* additis literis, JAM ILLUSTRABIT OMNIA:

*Jam luſtraturum dicebas omnia Solem,*
*Luſtravit ſubitò, ſed ſubitò occubuit.*

II.

*Carolus V. Avus; Herculeas* geſtabat *Metas;* cum dicto, PLUS ULTRA.

NON PLUS, *Alcides:* PLUS ULTRA, *Carolus. At Mors,*
PLUS ULTRA NEMO *progredietur, ait.*

III.

*Philippi II. Proavi* Symbolum, *Eques cataphractus*, ſic inſcriptus, QVI VALET.

*Qui valet, armigeros Rex dejicit Armiger omnes:*
*Mors tamen, heu, Reges dejicit Armigeros.*

IV.

*Maximilianus Imperator Abavus, Rotatum Horologium*, hoc lemmate animabat: IN TEMPORE.

*Sol cadit Auſtriacus: medias ſtylus indicat horas:*
*Naturæ leges, Maximiane, ruunt.*

Alludebatur ad ejusdem Cæſaris Apophthegma: Nam Urbes ingrediens, ſi publicum Horologium diſſonaret, diſſonam legibus adminiſtrationem illius Urbis conjectabat. Simulque ad præcelerem Philippi Regis obitum, meridianâ ætatis lineâ vix contactâ.

## *Baſilica Ornamenta.*

Ingentibus periſtylii columnis affixa *Regis Inſignia* inter trophæa. Regali finiebantur Thiarâ: unde tanquam è caudice, arboreſcentia *Candelabra*, crebris funalibus: Templum ſtudiosè contenebratum, meridiano veluti fulgore illuſtrabant, Intercolumnaribus autem in ſpatiis, ſingulæ *Regis Virtutes* à ſingulis Provinciis, lugentium inſtar Præficarum, argutâ Inſcriptione memorabantur. Singulas verò Inſcriptionum Tabulas gemina claudebant *Epigrammata*, & *Heroicum Symbolum* unum Clypeo, eidem Virtuti conſentaneum.

## Inſcriptiones.

I.

### De Regis *Religione*:

REGUM RELIGIOSISSIMO PHILIPPO,
*Quod veræ Pietatis inſtinctu,*
*Ut intaminatum Catholicæ Fidei candorem tueretur,*
*More, ut ore nigerrimam Mauritanorum Gentem,*
*Ab Auſtrali Orbe ad Hiſpanas Urbes afflatam,*
*Auſtriaco ſpiritu antiquas ad ſolitudines difflaverit:*
*Hiſpanum Regnum*
*Poſt adeptam Securitatem, Amiſſo Securitatis Authore,*
*Beneficii recordatione lætum, præſenti jacturâ conſternatum;*
*Infelices luctus, felicitati pares*
*Rependit.*

### Religionis causâ Mauros abigit.

*Auſtri fœda lues, Regum timor, Infera peſtis.*
*Ceu niger Herculeum per Mare Fumus abit,*
*Victori & Victis omen de Nomine ceſſit:*
*Dici Auſtri Domitor debuit,* AUSTRIACUS.

### Religionem propagat.

*Religio auſpiciis Orbem Regalibus implet:*
*Et quæ Religio Regna, Philippus habet,*
*Et Deus, & Princeps alternô munere regnant,*
*Nam Deus huic Orbem ſubjicit, iſte Deo.*

### Symbolum.

*Ciconia Pietatis Imago, Africos Serpentes roſtrô inſectatur,* cum Dicto: DONEC CONFICIAM. Virgiliano alludens carmini de Ciconia, quæ tranquillo Vere ad nos ex Africa velut triumphatrix adventat:

*Candida venit Avis, longis inviſa Colubris.*

II.

### De Amore erga Subditos.

AMANTISSIMO PRINCIPI.
*Qui, ut Amor in ſuos totum ejus Pectus impleret;*
*Totum ſui Amorem à ſe procul expectoravit:*
*Et reciproci Amoris congeminato miraculo,*
*Omnes in unius pectore,*

*Unus*

Digitized by Google

*Unus in omnium Pectoribus, vixit.*
*Redamantiſſima Inſubria;*
*Non pium experta Principem, ſed Patrem;*
*Quod ultimum eſt amantium munus,*
*Cineri lacrymas donat.*

## Ad Captivorum vindicias, bis Africam invadit.

*Ut pia Barbaricis exolvas colla catenis,*
*Neptunum Hiſpano Marte, Philippe, quatis.*
*Commutare potes, non ſolvere vincula Vinctis:*
*Quæ tulerant collo vincula, corde ferent.*

## Triceſimo altero die Martii è Terris migrat.

*Vernus inaurato radiat dum vellere Phœbus,*
*Rex Cœlum aurato Vellere cinctus adit.*
*Horridus infauſtis errabat curſibus Annus:*
*Sidere debuerat nobiliore regi.*

Multipliciter hoc in epigrammate ludit Auctoris ingenium. Primò reſpicit Arietis Signum, cui Aſtrorum Principatus, & Anni auſpicia tribuuntur. Deinde priſcam fabellam Arietis aurei Velleris, in hujuſmodi Aſteriſmum converſi: unde Torquatorum inſignia, Burgundi Duces, & Hiſpani Reges, Jaſonis ſtrenuitatem profitentes, aſſumpſerunt. Denique illius Anni ſævitiam, non uni modò, ſed pluribus Principibus Populiſque fatalem.

## Symbolum.

*Aurei Velleris maximus Torquis Regum Hiſpanorum: Zodiacum imitante gyro: ac Sole ſuper Arietem promicante.* Dictum: AMICO SIDERE. Quaſi amicior Anni Auſpex Cœlo ſuffectus ſit, Rex ipſe.

III.

## De Clementiâ.

*At quidni Amores pareret Clementia, Gratiarum Parens?*
CLEMENTISSIMO *igitur* REGI,
*Quod Innocens Ipſe, at in Nocentes æquiſſimus;*
*Tàm flagitia quàm ſupplicia peroſus,*
*Malorum pœnitentiam maluit quàm pœnam:*
*Afflictiſſima Hieroſolyma,*
*Inclementiſſimi Ergaſtula Tyranni;*



Digitized by Google

*Nimis diu ſuorum ſcelerum pœnas à ſceleſtis perpeſſa :*
*Nimis feſtinè ſublato Vindici ſuo,*
*Lacrymas poſt vota profundit.*

## Clementiam diligit.

*Pulchra Soror rigidi ſit cùm Clementia Juris:*
*Hac tibi ſola placet: huic tua Sceptra placent.*
*At ne ſe immeritò ſpretam Soror altera dicat,*
*Rex aliis Clemens, ipſe tibi es rigidus.*

## Æquitatem mavult quàm rigorem.

*Cum luci atque umbris æquum Sol dividit Orbem;*
*Nec calor exurit, nec gelat Arva rigor;*
*Tunc Regi placuit Cœleſtis Regia: Namquè,*
*Rex juſtè, ſummo Jure Tyrannus agit.*

## Deſignat Regis deceſſum, vernali Æquinoctio.

## Symbolum.

*Irata Tygris, propriâ imagine in ſpeculo conſpectâ, miteſcit :* cum Epigraphe: TARDATUR IMAGINE FORMÆ. Sumpta ex *Claudiano*: qui eàdem eſt comparatione uſus 3. de Rapt. Proſerp.

--- *Jam jamque hauſura profundo*
*Ore virum, vitrea tardatur imagine forma.*

## IV.

## De Severitate.

*Neque tamen Clementiſſimum Animum*
REGIA *Deſeruit* SEVERITAS,
*Ut Poteſtatis contemptores Potentia comprimeret,*
*Et* JUS *ſacrum* VIS *ſancta tuèretur.*
*Itaque ne Sceptrum quidem frangere dubitaſſet;*
*Dum pervicaces impiorum cervices frangeret;*
*Quibus Clementia, Dementia eſt:*
*Hinc gemellæ Sorores Sicilia & Sardinia,*
*Hiſpani Sceptri vel ſolâ umbrâ*
*Ab infreni Piratarum petulantia ſoſpitatæ,*
*Soſpitatoris tumulum gratis lacrymis ſpargunt.*

Contra

## Contra Fidei perduelles ſævit.

*Jam, jam, Sacrilegi, Terra inſonat, attonat Æther,*
*Undique Philippi tela faceſque volant.*
*Patria pallentes ſub Tartara condite vultus;*
*Hunc tantùm Auſtriaci non tenuere locum.*

## Pontificis defenſor, obeuntem ſequitur.

*Dum ſimul in Cœlo ſurgunt Jovis Ales, & Anguis:*
*Exiguâ ſurgunt Herculis Aſtra morâ.*
*Sunt ea Pontificis: ſunt hæc inſignia Regis,*
*Rex igitur fidus Pontificem ſequitur.*

Pauli Quinti ſtemma gentilitium fuit *Aquila cum Dracone.* Hercules verò Philippi III. Heroicum Symbolum. Apud Aſtronomos, aſcendente Aquilâ & Dracone, aſcendit Hercules.

## Symbolum.

*Hiſtrix ſua tela jaculatur*, Verbis ex Hiſtrice *Claudiani* libatis: SOLERTIA DESTINAT ICTUM. Mirum enim quantâ vi quamque rectâ Fera illa feriat.

## V.
## De Authoritate.

*Hinc illa Amoris ac Potentiæ Filia,*
PHILIPPI AUTHORITAS;
*Quæ tanta fuit,*
*Ut voluntarium in obſequium Populi omnes,*
*Moti ſimul ac moniti, parère certi, aut perire;*
*Ad pericula & cædes,*
*Cupidiùs quàm ad congiaria convolarent.*
*Hanc obſequelam Neapolitana præſertim Natio,*
*Omnibus in bellis ſuo ſanguine conſcriptam,*
*Subſcribit lacrymis.*

## In ſuos Authoritas.

*Rex velit; Hiſpanâ liquidus trabe vapulat Atlas,*
*Rex velit; Arctoâ ſub nive candet Eques.*
*Fruſtrà, Nile Pater, caput inſcrutabile condis:*
*Rex velit; educes, abdite Nile, caput.*

Etiam

Digitized by Google

Etiam defuncti Authoritas.

*Pertenui Terras filo rapturus ad Aſtra,*
*Aſtr. Syracuſius ſi petiiſſet, erat.*
*Veriùs at placidis qui movit nutibus Orbem,*
*Rex animos Populi, dum petit Aſtra, rapit.*

Archimedes jactabat, ſe Terram è centro moturum, ſi pedem extra Orbem poneret.

Symbolum.

*Rex Apum, ſpecie inſigni, examen ducit:* ad Virgilianum carmen reſpiciens, de Apicularum obſequiis ſuum erga Regem.

*Ut cùm prima novi ducunt examina Reges, &c.*

Epigraphe: QUA SE CUMQUE FERAT.

VI.

De Affabalitate.

*Quid verò mirabilius, quàm tantæ Majeſtati cognata*
PRINCIPIS AFFABILITAS?
*Qui ſupremo in faſtigio ſine faſtu*
*Imperio Maximus, affatu æqualis:*
*Regiam gravitatem ſociali facilitate ita condiit:*
*Non ut ſe minoribus, ſed minores ſibi peræquârit.*
*Nam Regios ſuos mores in minorum pectora transfundens,*
*Cùm Regibus Rex imperare videretur:*
*Non demiſit Majeſtatem, ſed auxit.*
*Tam humano igitur ſub Principe barbaros exuta mores,*
*Olim bruta & frendens Socótora:*
*Humaniore voce, ſed lacrymabili,*
*Amiſſum luget.*

Affabilis etiam Reis.

*Armans Sceptra manum, mulcet Clementia linguam:*
*Inde timor miſeris, hinc amor exoritur.*
*Quàm brevibus ſpatiis Aſilum à Judice diſtat?*
*At linguam fugiant, qui timuere manum.*

Rex affabilis moritur.

*Plus tua quàm pridem Rhodopéi carmina Vatis,*
*Mulcebant animos dulcia dicta feros.*

*At te*

Digitized by Google

*At te Mors rapuit: nunquam raptura, Philippe,*
*Auribus, aut oculis ni caruiſſet, erat.*

## Symbolum.

*Magnes, ſivè, Herculeus lapis, appenſus: & varia ferri ramenta ad ſe alliciens:* facundiæ Imago, ob quam Poëtæ confinxere, aureis Carenis, ab Herculis ore prodeuntibus, Homines raptos. Quod magis defuncto Regi congruit, qui Hercule pro Symbolo utebatur; Sententiam indicabant hæ literæ: VI ſVAVI.

## VII.
## De Beneficentiâ.

*Dulciùs tamen quàm linguâ Populos illexit*
BENEFICA PHILIPPUS MANU.
*Cui, cùm novi nati eſſent orbes, ut eos aleret:*
*Perpetuis commeatibus utrumq; Orbem connexuit:*
*Et citiùs impetrantibus, quàm implorantibus Populis,*
*Extumulatum Americæ Argentum in Europam fundens,*
*Europæam ubertatem Americas in ſolitudines refundit.*
*Et gemini Orbis divitiis unâ Manu diſtributis,*
*Novercalem Naturæ inæqualitatem, Paternâ caritate ſupplevit,*
*Hinc inhumana olim Braſilia, ab humano paſtu*
*Ad humaniorem frugem revocata:*
*Quem ſuo Sole feliciorem habuit, extinctum deflet.*

## Providus Rex moritur.

*Quas nequiit Cœlum milleno Sidere Terras,*
*Solus, & immotus, conſpiciendo beas.*
*Invidus ergo tuos oculos ut vidit Olympus;*
*Hæc, ait, aſtra mihi ſunt opus; & rapuit.*

## Ad erudiendos Indos commeatus ſuppeditat.

*Ut nigri auratis ornentur moribus Indi,*
*Aurum rependis Indicum.*
*Hiſpanas recipit remeabilis India gazas:*
*Ergo tributa fœnerat.*

## Symbolum.

*Fons ſaliens; multiforibus Elicibus circumpluente aureâ lymphâ,* cum dicto, NIHIL SIBI. Appoſitè ad Hiſpani Regis liberalitatem, cujus flumina auro ſcatent: ſumptà ex *Claudiano* allegoriâ.



Digitized by Google

*Præceps illa manus fluvios ſuperabat Iberos,*
*Aurea dona vomens.*

VIII.

## De Prudentiâ.

*Quanta verò fuerit graviſſimis in Rebus*
PHILIPPI REGIS PRUDENTIA,
*Gemino exemplo tuo vel invita teſtare Africa.*
*Primum, quòd Hiſpaniâ, quam fœdaras, expiatâ,*
*Antequàm Famam acciperes, tuis te Monſtris farcivit;*
*Deinde, quod Arces duas, Claſſium Syrtes,*
*Antequàm timeres, juſtiſſimè occupavit.*
*Quòd ſummo conſilio confecit; æternum doce,*
*Quòd integrè te non ſubegit? æternùm luge.*

## Solertiſſimè Mauros abigit.

*Edicti vix prima tui Vox attigit aures;*
*Turba per Occiduum jam fugit atra mare.*
*Quid non conſilio vinces? Tua ſola, Philippe,*
*Vox potuit, Proavûm quod nequiere manus.*

## Prudentiſſimis Heroibus commoritur.

*Humanos ſtatuens Numen componere mores,*
*Advocat è Terris Nobile Concilium.*
*Magnus Cæſar abit; Præſul tùm Maximus; inde*
*Dux Magnus: Regum Maximus hic deerat.*

## Symbolum.

*Solis radii cavò è ſpeculo in unum coëuntes, Armorum faſcem comburunt*: Verbis ex *Virgilio* deciſis: CURA HUC TRADUCITUR OMNIS. Quô ſua quoque cogitata omnia, tanquam radios ad punctum, Pacificus ille Solymorum Rex dirigebat: *Arma & Scuta comburet igni.*

IX.

## De Fide Publicâ.

*Revixit tandem*
PHILIPPI REGIS EXEMPLO FIDELITAS.
*Nam cùm faciles Principum aures*
*Aulicorum Hiſtrionum dulce acroâma demulceret,*
*Fidem Publicam, Publicanorum eſſe Virtutem:*
*Ac Regiæ libertatis teſſeram poſſe peierare,*

Hanc

*Hanc tamen ille,*
*Ut Promiſſorum Arrham, Promittentium Aram,*
*Imò Sanctiſſimum Regii pectoris Numen,*
*Tam Religiosè coluit;*
*Ut æterno depangens Clavo quod linguâ promiſiſſet,*
*Etiam fœdifragis infractam ſervarit Fidem.*
*Norunt Belligeræ Belgii Provinciæ;*
*Quæ vires in armis, in Induciis Fidem,*
*In utriſq; Pietatem expertæ,*
*Cum lacrymis fidem faciunt.*

### Rex Fidem ſervat.

*Non tibi colla Phiſon; digitos non ambiat Indus,*
*Non Rubri Chlamydem caræ pericla Freti.*
*Non tibi firma Fides Regali in pectore fulget:*
*Vilior eſt omnis hoc Adamante lapis.*

### Ætate mediâ moritur.

*Fallere promiſſum, Naturæ legibus obſtat,*
*Et Regi horrendum, Rex ais, eſſe nefas.*
*At Natura tibi quæ tot promiſerat annos,*
*Jam ſecat: haud legi paruit ipſa ſuæ.*

### Symbolum.

*Carbaſus Amiantina, inter flammas.* Conſonant Verba, SEMPER CANDIDIOR. Staminis genus eſt, ex friabili quodam lapide, igne incombuſtum, imo candidius: verum Fidei ſpecimen.

## X.
## De Moderatione.

*Majus Miraculum fuit*
IN MAXIMO REGE MODERATIO.
*Nam cùm Imperii atq; Flammæ immetata Cupiditas ſit:*
*Et nobile Vitium, Auguſtâ Potentiâ velle augeri:*
*Non enim quod adeſt, placet, ſed quod deeſt.*
*Hic Regnorum magnitudine Reges omnes ſupergreſſus,*
*Arctis adeò limitibus Cupiditatem coërcuit.*
*Ut Imperandi menſura, ab ejus Imperio;*
*Cupiendi Moderatio ab ejuſdem Cupiditate, peti poſſet.*
*Tantæ Modeſtiæ Teſtis Navaria:*



Digitized by Google

*Ubi Regia Potentia, creſcendi opportunitate ſæpè neglectâ;*
*Suis ſe finibus, ſine finitimorum timore, continuit.*

### Imperii Cupidinem cohibet.

*Carolus Herculeo quas ſuſtulit Æquore Metas,*
*Perſcribis menti, Magne Philippe, tuæ.*
*Tollere qui potuit, fuit Hercule fortior: at qui*
*Has tibi præſcribis, fortior es Carolo.*

### Moderatus Rex præmaturè moritur.

*Contentus medio Virtutum limite, Princeps:*
*Dicere cenſueras, Nil ſuperet medium.*
*Cùm tibi dimidia neviſſet ſtamina Vitæ*
*Parca, memor dixit, Nil ſuperet medium.*

### Symbolum.

*Sol, Ecliptica linea medium decurrens;* MEDIUM NON DESERIT UNQUAM. Quo Moderationis exemplo uſus eſt *Claudianus.*

*Medium non deſerit unquam*
*Cœli Phœbus iter.*

## XI.
## De Pudicitiâ.

*Hanc quoque gloriam retulit*
A PHILIPPO REGE PUDICITIA,
*Quòd ex Mapalibus in Aulam recepta;*
*Purpuratas inter virtutes fulſit:*
*Et ab Regibus decorata, Reges decoravit.*
*Age igitur Piſcoſa Oceani Ora:*
*Margaritarum tuarum Candorem Purpura innaſcentem,*
*Inter Hiſpani Regni miracula narrare deſine:*
*Nobiliorem Unionem Hiſpana oſtentat Regia,*
PHILIPPUM ET MARGARITAM:
*Unum Uni natum.*
*Quorum Candor Regali in Purpurâ mirabilior.*
*Regiam Purpuram, Verecundiæ Purpurâ, bis illuſtrans;*
*Et Purpuræ, & Candoris pretium duplicavit.*
*Sed heheu? Tam pretioſum Unionem clepſit furtiva Mors;*
*Totumque Orbem depauperavit.*

Rex

Digitized by Google

## Rex pudicè vivit.

*Cum tot deliciis tot luxibus affluat Aula:*
*Tingere Candorem, Rex, nequit Aula tuum.*
*Mirum: at ſi Nivibus Flammas tua fœderat Æthna:*
*Luxum Candori jungere & Aula poteſt.*

## Pudicus Rex moritur.

*Aligeros, qui Regna regunt, ad maxima Cœli*
*Comitia acciri juſſerat Omnipotens.*
*Nuncius hunc Regem acciuit, Cœloq; ſtupente;*
*Angelus ab (dixit) hic mihi viſus erat.*

## Symbolum.

*Purpurea & vernans Roſa, ejuſque odore Vultur enectus:* appoſitis literis, TURPE NIHIL. Roſæ fragrantiâ fugati Vultures, & ſi accedant, perimi, affirmat Clemens Alexandrinus *l. 2. Pædag. c. 8.* Atqui Purpurea Roſa, verecundi Pudoris: Vultur cadaveribus inhians, impurorum Affectuum, Imagines ſunt: Verba ex *Claudiano*, Stiliconis Pudicitiam celebrante, deciſa.

*Servator honeſti:*
*Ut nihil, aut ſævum rabies, aut turpe libido*
*Suaderet.*

## XII.

## De Magnanimitate.

MAGNUM PHILIPPI ANIMUM
*Cùm triplici felicitate allevare dextera Fortuna tentaviſſet;*
*Turcarum fugâ, Italicâ Pace; Germanicâ Victoriâ;*
*Eundemq; triplice ictu, uno impetu deprimere,*
*Individuæ Conjugis, Cariſſimi Filii, Conjunctiſſimi Cæſaris letho;*
*Hic, immoderatam felicitatem moderatiſſimè ferendo;*
*Et intolerabilem dolorem fortiſſimè tolerando:*
*Docuit non Philoſophicum, ſed Regium eſſe,*
*Nec Secundis flecti, nec adverſis frangi.*
*Tanta igitur fortitudinis, junctimquè intempeſtivæ Mortis*
*Ubiquè gentium reſonantem Famam*
*Ultima Terrarum excipiens Taprobane;*
*Qualemq; amiſerit Dominum ſecum reputans,*
*Ultimam publici Doloris Scenam*
*Cum lacrymis claudit.*



Digitized by Google

## Rex Bello invictus.

*Si vexilla moves, Vexillum contremit Hoſtis;*
*Si Martem accendis, concidit ante tubam.*
*Belligero tibi Fama nocet: nam bella paranti,*
*Jam bellum, ſine te, conficit ipſe timor.*

## Ter cum Morte luctatur.

*Bis impetitum ſqualidà Regem manu,*
*Ac bis repulſam paſſa, Mors tandem ferit.*
*Non, vulnere uno aut altero, ſterni poteſt*
*Animos Philippus Ternos gerens.*

## Symbolum.

*Cychnus cum Aquilà confligens:* NEC PROVOCO, NEC FORMIDO. Argumentum habes ab *Æliano lib. 1. Ita Cychnus* (inquit) *cum Aquila pugnat, ut injuriam propulſet, non ut inferat prior.* Verba ex Seneca. *Eris* (inquit) *Magnanimus, ſi pericula, nec appetas ut temerarius, nec formides ut timidus.*

Hactenus Defuncti Regis laudes. Poterat emeritum calamum Author deponere: æquato elogiorum & ſpatiorum numero. Sed quoniam extra intercolumnarem ordinem tria vacabant ſpatia, cæteris abſimilia: placuit ea totidem Epigrammatis ita explere, ut populare documentum ſpectantibus offerrent.

I.

*Hic gemit Argento mœſtum pallente Feretrum:*
*Argento; Americæ quod tribuere Cavæ.*
*Hic gelida emeritis pendent cum faſcibus Arma:*
*Arma, tot Afrorum quæ caluere nece.*
*Hic perit in proprio tabeſcens lumine Cera:*
*Cera, Europeæ quam peperiſtis Apes.*
*Hic pia fragranti pereunt cum flamine Thura:*
*Thura ſacris Aſiæ collacrymata Jugis.*
*Hoc igitur modico ſubiguntur plurima lucro*
*Regna; ut funeribus plura tributa ferant.*

II.

*Alta coronato quæ incumbit Machina Buſto;*
*Mox erit ipſa Rogus, ipſa Cadaver erit.*

Dum-

Digitized by Google

*Dum pia lugubrem luſtrant funalia Scenam,*
*Luce ſua liquidas cerne perire faces.*
*Pallida quæ viduum cingunt Simulacra Sepulcrum,*
*Ipſa ſuum repetent pulverulenta Solum.*
*Conſona dum tacitum plorant modulamina funus,*
*Vox fugit; & flatu deperit ipſa ſuo.*
*Omnia Mors ſpectat miſerè ſpectantia Mortem;*
*Et tu qui ſpectas funera, jam moreris.*

III.

*Mæſta Theatralis rapimur Spectacula Scenæ:*
*Omnes (ah miſeri!) fabula quanta ſumus?*
*Actor Homo; Cœlum Spectator; grande Theatrum*
*Eſt Orbis; Vita eſt Actio; Scena, Dies.*
*Jam data Regali poſtrema eſt Clauſula Vitæ.*
*Hoc eſt poſtremum,* Plaudite: Abire Licet.

Ultimo carmine, Tragœdorum formulam ingerit, qui peractâ fabulâ, Populum dimittebant his verbis; ABIRE LICET.

# EXTREMI HONORES,

*Sereniſſimo Principi*
FRANCISCO THOMÆ A SABAVDIA,
*Auguſtæ Taurinorum perſoluti, Nonis Februarii*
*M. DC LVI.*

DEcreverat uni Comiti Theſauro Regia Celſitudò, tàm Publicæ laudationis, quàm literarii totius Apparatus hoc in Funere Officium: ſed cùm improſpera tunc valetudo, & amiſſi Domini extremus Mœror, qui ejus in Panegyrico ſeſe prodit, graviorem illi redderent utrumque conjunctim faſcem; placuit Optimo Principi laborem allevare partiendo. Itaque præter funebrem Orationem (quam inter Panegyricas ſuas legis, inſcriptam L' HEROE) Inſcriptiones etiam, quas hic collegi, ad ornatum externi Mauſolëi, honorario Tumulo impoſitas, de ſuo contulit: Reliqua per Templi ambitum Ornamenta, P. Cæſaris Freſiæ è Societate Jeſu, Rhetoricorum Lectoris calamus, elegantiſſimè digniſſimèque perſolvit.

In externa igitur Maximi Templi fronte, inter Armorum faſces, & bellica Trophæa, aterrimis Mortis inſignibus funeſtata; Inſcriptionem hanc ad conciundum Populum præfixit.

ADESTE CIVES!
ET, QUID USPIAM SIT IMMORTALE,
CONDISCITE.
MARS MORTUUS EST.

In interiore Baſilicâ funeream Molem vario illuſtravit Emblemate: ac præſertim quatuor Pyræ lateribus, Sepulcrales totidem Inſcriptiones affixit.

*A fronte.*
Exeqviarum Titulum, & Regii Ducis affectum ſimpliciter expoſuit.

CAROLUS EMMANUEL, SAB. DUX, CYPRI REX,
PATRUO OPTIMO,
QVAM POTEST IMMORTALITATEM,
MOERENS MERENTI CONTRIBUIT.

*A dextera.*

SI LACRYMIS EMERERI MANES POSSENT,
EREPTUM REDDERENT THOMAM.

NEMINI

Digitized by Google

NEMINI NOBILIORES IMPENSÆ LACRYMÆ.
REGINAS HABUIT PRÆFICAS.

Nihil enim heroicum funus pretioſiùs decoravit, quàm Chriſtinæ à Francia, Defuncti Principis Fratriæ, poſt civilia Bella, Regales & effuſiſſimæ lacrymæ: quas in Panegyrico Author eximiè celebravit, alterius Virtutem, alterius Amorem teſtantes.

*A lævâ.*

INVICTISSIMI THOMÆ,
UBI NON EST, PYRAM VIDES,
UBI EST, SI ACCURANDUM SIT FUNUS,
IN EMPYREO STATUENDA EST PYRA.

*A fronte.*

HEU QVOT JACTURÆ!
DECUS, VICTORIAM, VIRTUTEM, GRATIAM.
HIC MORS CONCLUSIT,
SED EFFRACTARIA AVOLAVIT FAMA.

Ad pyræ angulos circa Buſtum, Armigerorum ſimulacra quatuor cataphracta, Defuncti Principis oſtentabant Inſignia, brevi Titulo Inſcripta.

Primus, *Florulentam gemmantemque Coronam Carinianenſis Principatus:* cum titulo, *INSINGNES, ET IMOS.* Quæ Mortis iactantia eſt apud *Horatium.*

Alius, *Bacilla duo:* nempè geminum geminæ Dignitatis in Gallorum Regiâ, inſigne: Alterum *Supremæ Præfecturæ Militaris*; alterum *Supremi Regiæ Domus Magiſterij*: cum Titulo ex eodem Lyrico, *IMPERIIS DECUS ARROGAVIT.*

Tertius: *Gladium, Loricam, atque Galeam*, quibus in pugnâ Princeps utebatur; adiectis Lucani verbis, *ET PACEM POTUERE PATI.* Ad deſignandam Principis illius bellicoſiſſimi ſtrenuitatem ſumendis Armis, & pietatem deponendis, ut Patriam pacaret.

Ultimus *Aurea Calcaria*; Equeſtris prærogativæ Teſſeram: *Lucani* pariter Emiſtichio ſignata: *STIMULOS DEDIT ÆMULA VIRTUS.*

Ad Hæc temporariâ adumbrati Tumuli Ornamenta, manſurum addo *Elogium Sepulcrale,* plumbeo in ſarcophago inſculptum; quo invictiſſimus idem Princeps in Heroum Sabaudorum Argémate, conditus eſt. Contigerat enim paucis ante menſibus, Ut Regio illo in Conditorio cùm Pium Pacifici Amedei Corpus quæreretur, inibi (quod Hiſtoriæ teſtabantur) depoſitum: nonnulli ex loculis ſine titulo reperti ſint: Ut ne ille quidem qui optabatur Amedeus, dignoſci potuerit. Quid eſt autem hoc aliud, quàm Mortuos bis mori, juſtoque ſolatio fraudare ſuperſtites? Hanc igitur Inſcriptionem, poſtulante Viduâ Principiſsâ, idem Comes, non lapidario, ſed fuſiore ſtylo, quaſi vitæ breviarium, æternitati conſcripſit.

# D. O. M.

*Hic quieſcit ille Hoſtium terror, FRANCISCUS THOMAS A SABAUDIA, CARINIANI PRINCEPS: Magni Caroli Emmanuelis Ultimogenitus; Ut Fraternas Virtutes omnes colligeret, Florente adhuc Adoleſcentiâ, Patriæ Eqvitatum, & Sabaudiæ Gubernacula, pari Strenuitatis & Prudentiæ admiratione, rexit. Media inter Arma, bellicis Facibus, Amoris faces aſtruens; MARIAM BORBONIAM, Regali è Sangvine Viraginem, duxit: qvalem, ad Heroas progignendos, Heros debuit. Pro temporum Fortunâ, contra Gallos aut Hiſpanos aquè Patriam tutatus, de utroque Regno optimè meruit. Nam Hiſpani Exercitus in Belgio, Gallici in Italiâ, Supremam Præfecturam, fortisſimè: Supremum etiam Franciæ Magiſterium integerrimè perfunctus: Regia ipſa Décora decoravit. Munitisſima Oppida, propè manu, procul etiam conſiliis, expugnavit: propugnavitqve imbecilisſima: proſpera ſemper, vel adversâ Fortunâ, inexpugnabilis. Nihil tamen Marti, extrà Oleas licere paſſus: æquali Virtute Hoſtes oppresſit, represſit ſuos: & corrupto in Sæculo, militarem diſciplinam de ſuo Exemplo reſtituit. Itaqve neſcias utrum magis mirere, Bellicam Virtutem in pacatisſimo Animo: an morum Innocentiam in Bellico. Denique in Papienſi obſidione, cum non degenerem ſibi Prolem Marti initiaſſet: jam Palmæ proximus, lethali morbo correptus, ut in Cælo triumphum ageret: ſanctisſimè, uti vixerat, in Patriâ expiravit, Die XXII. Januarij: Anno ſalutis M DC LVI. Ætatis LX. Nullum Funus vel pluribus, vel pretioſioribus lacrymis conſtitit. Atqve ut publicus dolor congeminaret, EMMANUEL filius, & alter ipſe: bellantem Patrem ſecutus, morientem præcesſit.*

Et ſanè qvid luctuoſius, quàm cùm uno tempore Mortuum Filium, & cum Morte luctantem Genitorem vidimus? multiqve dubitarunt utra flebilior eſſet jactura. Nam Geſtorum recordatio, Patrem; Gerendorum ſpes, Filium æqvè lacrymabilem fecit. Itaque hujus etiam Elogiolum ſubjicio, qvod eodem calamo ſcribi, & Filii Sarcophago inſcribi Mater amantisſima curavit.

*Heu præpoſteræ Fatorum Vices? Serenisſimus Princeps JOSEPHUS EMMANUEL A SABVADIA, Invictisſimi Thomæ Cariniani Principis, & Mariæ Borboniæ Suesſionum Comitiſſæ Secundogenitus: Patrem Virtutibus, Avum Nomine, Proavum adſpectu, Omnes ſtrenuitate referens: Bello natus, hic Pacem prævênit. Paternæ Præfecturæ, Maternæ hæreditati Succeſſor deſtinatus: Utriusqve Vota, Populi Spem, Hoſtium formidinem feſtinato Fato fefellit. Nam Patri, diùtino ex morbo, jam jam morienti, difficillimum illud vadum fortisſimè prætentavit. Quanquam, ſi virtutes nume-*

*numerantur, Ætates ſimul omnes exegit. Idem Strenuitate Juvenis, Prudentiâ Senex, Innocentiâ Infans, Gloriâ Æviternus. Vixit Annos XXIII. Devixit Anno M DC LVI. Die VI. Januarii.*

Quin etiam, cùm eadem Vidua Mater afflictiſſima, Viri ac Filii geminum Cor argenteâ in Arcellâ condere; ac veluti Gemmarum Scriniolum, & perpetui nutrimenta doloris, in Galliam transferre ſecum decreviſſet; Inſcriptionem hanc eodem Authore incidi voluit, ut Theſaurum ſuum Theſaurus exornaret.

*Heu quanta infelicitas, fuiſſe felicem?*
*Thomæ à Sabaudiâ Cariniani Principis,*
*Et Emmanuelis Filii ſimul erepti,*
*Uxor, & Mater, hic deſolata,*
*Maria Borbonia, Sueſſionum Comitiſſa:*
*Amore olim concors, nunc excors dolore:*
*Carum utriuſque Cor hic clauſum detulit:*
*Et vivens intulit ſuum.*
*Itaque*
*Tria hic Corda ſunt: duo tantum vides:*
*Imò Unicum.*

# EXTREMI HONORES,

## A CAROLO EMMANUELE, SAB. DUCE, CYPRI REGE,

## REGIÆ MATRI, REGIÆQUE CONJUGI,

*Taurini redditi, III. & IV. Nonas Martias*
*M. DC LXIV.*

HOc etiam Funus, duarum Reginarum fatis ferè conjunctis, omnium luctuoſisſimum; Regali Magnificentiâ omnium ſplendidisſimum efficere, luctu implicitus Princeps cùm decreviſſet: literariam Operam (nam hic quoque ſe ab integro labore Theſaurus Comes excuſavit) dividendam cenſuit. Itaque Regiæ Matris laudationem Comes ipſe lugubri abollâ & majori Stemmate Mauritianæ Militiæ inſignitâ, tranſegit: poſtridie, laudationem Regiæ Conjugis, P. Carolus à Palmâ, Clericus Regularis, & Metropolitanæ Concionator eximius, eſt proſecutus. Quod verò ad loci apparationem, ipſe quidem Comes extimam Templi faciem intimumque Mauſoleum parergis & Inſcriptionibus, quas hic exſcripſi, adornavit: ambitum autem totius Baſilicæ, clariſſima ex Societatis Jeſu Collegio ingenia, illuſtrarunt.

In ipſo igitur Templi adſpectu, inter Mortis Trophæa, lugentibus Præficas; ſuperliminarem hanc Inſcriptionem, ad ingredientium Animos lacrymabili ſpectaculo præparandos appoſuit.

DOLORIS THEATRUM INGREDERE,
DISCES, QVAM SIT ATTIGUA
SUMMÆ FELICITATI SUMMA INFELICITAS.

Nam quia publicus hic luctus: publicæ Nuptiarum pompæ continuò ſuccedens: tragicæ Peripetiæ ſimillimus fuit: & ipſo in Funere, horribilis proſpectus duorum Tumulorum ſub eodem Mauſoleo, tragicæ Scenæ imaginem referebat: cenſuit Author continuandam eſſe allegoriam, totumque Apparatum DOLORIS THEATRUM generatim nominavit. Itaque, ſingula Templi Ornamenta Defunctarum Reginarum geſta, varias in Scenas diſtincta, offerebant. Quin etiam Panegyricam ſuam Orationem ad effigiem Tragœdiæ contextam TRAGOEDIAM inſcripſit. Voluit enim eruditam Priſcorum conſvetudinem imitari: qui Regiis in Funeribus tragica Spectacula præbebant ante Tumulum: ac præſertim Artemiſiam, in dedicatione Mauſolei, Tragœdiam cui Titulus, MAUSOLUS, a Theodecte compoſitam exhibuiſſe, affirmarunt.

Totam igitur Mauſolei Molem, infernè conquadratam, ſupernè in anguloſum faſtigium gradatim acuminatam, mœſtisſimæ *Charites*, atque *Muſæ* Cupreſſu corona-

coronatæ, propriaque Inſignia præ dolore abjicientes, columnarum vice ſuſtinenebant. Supra projecturarum, graduumque Pyramidalium angulos, *Virtutum omnium* ſimulacra, conſimilem doloris ſenſum vultu geſtuque ſignificabant: totaque *Pyramis* innumerabilibus ſtellata facibus, argenteis lacrymis guttatim perpluebat.

In anteriore Mauſolei facie, bipatenti ſectâ hiatu, ſub concamerato amphithalamo, geminus *Doloris lectus*, utriusque Defunctæ Regalibus exuviis convestitus, venerationem, atque horrorem incutiebant: ac ſupra utriusque Reginæ Tumulum ſua legebatur *Sepulchralis* Inſcriptio: quarum penſiles Tabellas, horrificus *Mortis Coloſſus* interjectus, diſtentis hinc inde prenſabat manibus.

## *Regiæ Matris Inſcriptio ad dexteram.*

MAGNÆ CHRISTINÆ A FRANCIA,
CAROLUS EMMANUEL FILIUS,
INELUCTABILI JACTURÆ VIX SUPERSTES,
PIENTISSIMÆ PARENTI, PIISSIME PARENTAT,
HOC UNO MATRI NON OBSEQVUTUS.

Quæ poſtrema Verba materni Teſtamenti referebantur: quibus Reginæ Modeſtia præcisè caverat, ne qua ſuis exequiis funerea Pompa, neve panegyrica laudatio adhiberetur. Voluit igitur Author piam ſui Principis laudare inobſequelam, qui magnificentiſſimo funere, ac Virtutum Maternarum laudatione, Teſtamentariis legibus, naturæ leges prætulit: Auguſti exemplo, qui cùm Æneidem ſervaſſet, quam *Virgilius* teſtamento juſſerat flammis tradi: ita ſcripſit,

*Frangatur potius legum reverenda poteſtas,*
*Quàm tot congeſtos noctuque diuque labores*
*Hauſerit una dies.*

## *Regiæ Duciſſæ Inſcriptio, ad lævam.*

FRANCIÆ A FRANCIA
CAROLUS EMMANUEL CONJUX DESOLATISSIMUS,
NONDUM SICCIS EX ORBITATE OCULIS
LACRYMAS CONTINUAT.

Dextrum lævumque Mauſolei latus ſimplici arcu pateſcens, ſimplices ornabant Inſcriptiones. Ad Regiam Matrem hæc pertinebat.

HEU FALLACIOR FORTUNA, QUO FELICIOR!
CHRISTINA A FRANCIA
REGUM FILIA, REGIÆ SOL,
AD SUMMUM FELICITATIS EVECTA CARDINEM
MOMENTO IN OCCASUM DEVERGIT.

C 3 Nimi-

Nimirum, ſervato Imperio; Civili, & publicâ pace parta, Filii nuptiis, quas voverat, auſpicatis: cùm quicquid optaverat, a fortunâ cumulatè accepiſſet, in ipſo felicitatis axe defecit.

*Altera ad Regiam Conjugem.*

HEU FUGACEM FORMÆ GLORIAM!
FRANCISCA A FRANCIA,
REGUM FLOS, FLORUM REGINA,
SUO CONSIMILIS LILIO,
SERO DATA, CITO EREPTA:
NIL NISI LACRYMAS PEPERIT.

Tergeminam Lilii proprietatem attingit Author. Primum, quòd florum *Rex* ſit: nam *Nulli Florum excelſitas major*, inquit Plinius lib. 21. cap. 5. Deindè, quod ſeriùs appareat: nam, *Ultimum Veris donum* vocatur. Poſtremò, quod lacrymas progignat: nam ut idem aſſerit, *Lilia ſeruntur lacrymâ ſuâ*. Expreſſa Regiæ Duciſſæ Imago; qvae candidis ipſa moribus, Regali orta ſatu, diuque exoptata, ſine prole decedens, nil niſi lacrymas ex immaturo fato, Principi, ac Populis reliquit.

Inſcriptiones comitabantur *Heroica Symbola*: Bina binis Heroinis accommodata. Regiae Matris Symbolum primum: *Luna*, *Globus*, *Terras inter atque Cælum medius*: qui, quam Terris denegat lucem, Cœlo refundit. Sententiam explicabant *Claudiani* verba: CÆLOQUE DATUR, QUOD DEMITUR ORBI.

Alterum erat, quo ipſamet dum viveret utebatur; ab eodem Authore integro Panegyrico jam olim celebratum: nimirum *Adamas*, cum Gallicâ Inſcriptione. PLUS DE FERMETE QUE D' ESCLAT. *Plus* enim *Soliditatis*, *qvàm fulgoris* profitebatur: ut in Adamante ferreum potiùs, qvam nitidum colorem obſervant.

Regiae conjugis Symbolum primum, *Heſperi Sidus Occidenti adhærens Soli*: cum inſcripto, COMITATA CADENTEM. Sic enim amantisſima Nurus, Magnae Chriſtinae occaſum ita doluit, ut continuò ſequuta ſit.

Alterum in eandem ſententiam: *Navis veliſicans, Naviculam in Portum remulco trahit*; cum dicto, MAJOR MINOREM. Ad Regulam Juriſperitorum reſpiciens; *Major pars trahit ad ſe minorem*.

Hæc de Authoris hujus ingenio fluxerunt; eaque duntaxat colligere præſentis fuit inſtituti.

EXTRE-

Digitized by Google

# EXTREMI HONORES,

## MAGNO CAROLO EMMANUELI,
## Sabaudiæ Duci,
## A VICTORE AMEDEO FILIO

### *Decreti*

### *Anno M DC XXX.*

VIxdùm Paternos oculos *Regius* Succeſſor Saviliani obſignarat: ut primas inter curàs, àd dignisſimum tali Patre Funus animum intendit. Itaque Ludovicum Theſaurum, & Emmanulem Fratres ad ſe ſtatim accivit: atque illi, qui Senatoriá dignitate, atque Oratoriâ laude clareſcebat, funebrem laudationem: huic, univerſi Apparatus diſpoſitionem commiſit. Decreverat ſolemnem cæremoniam propè Montemregalem Urbem exequi, in eo Templo Miraculis, atque ſtructurâ celeberrimo, quod Divæ Virgini, Magnanima Caroli pietas devoverat: ac Sabaudorum Principum heroicum veluti Ceramicum, deſtinàrat. Suas igitur actutùm partes utriuſque Fratris ingenium, eleboratè, ac ſolerter explevere, Panegyricum Ludovicus, poſtea Præſes, argumento planè dignum compoſuit. Emmanuel, ſingulos Defuncti actus argutis Elogiolis perſtrinxit; quae circa templum depictam Vitae Hiſtoriam explicarent. Sed feſtina Mors, quae pulchriores ſemper cogitatus dirâ falce ſuccidit: & expeditiones bellicæ, perbreves Imperii annos catenatis adeo laboribus implicuere, ut piisſimus Filius, non, modò quod mente conceperat memorabile Funus, perficere, ſed ne paternos quidem cineres, de ſacro quodam Dominicani Cœnobii Adyto, ubi eos temporariâ in ſandapilà Saviliani depoſuerat, potuerit dimovere. Nunc igitur, cùm Inſcriptiones illae manuſcriptae, quae penè cum Carolo perierant; imò totius apparationis adumbrata quædam delineatio, meas in manus inciderint; benè meriturum me cenſeo, ſi à tenebris eas in lucem proferam; ut cùm Regius Nepos pia Patris cogitata exequi; & Avi memoriam ſuſcitare, (uti nomen ſuſcitat, animumque) voluerit: heroico adhuc Funeri poſſint ſuffragari. Externa igitur Inſcriptio, inuſitatâ quadam in funeribus formula, Populum ſic alloquebatur.

ACCURRITE POPULI.
MAGNUS CAROLUS EMMANUEL,
REVIVISCIT DUM TUMULATUR.

Huic reſpondebat interna Inſcriptio, Baſilicae veſtibulo altè impendens.

MULTOS VETERUM VELUT INGLORIOS,
OBLIVIO OBRUET.

HIC

Digitized by Google

HIC POSTERITATI NARRATUS,
SUPERSTES ERIT.

Quae ſunt ipſiſſima Taciti verba *in Agricolæ vitâ.* Hoc enim ſplendido apparatui Paterna geſta Virtuteſque memorando illuſtriores faciebat Princeps, & Genitorem reſtituebat vitae. Itaque toto Templi ambitu, perpetua ex Coronide ingentes *Tabulæ* ſuſpenſae, præcipua Caroli Acta, Diesque Faſtos, æneo colore complectebantur: pictuiam verò *Inſcriptiones* Tabulis ſuppoſitae declarabant: & Tabularum intervalla *Hoſtium ſpoliis, vexilliſque* bello captis, conveſtita; horrorem ingerebant majeſtate permiſtum. Prima igitur Tabula ad Veſtibuli dexteram, *Equeſtres ludos* ob exoptatum Caroli Natalem Ripulano in Caſtro exhibebat; cum hac Inſcriptione, atque Titulo.

## CAROLUS NASCITUR.

*Naſcitur (1.) infœcundi jam Uteri fœcunda Soboles.*
*Ut Hominem minimè natum,*
*Sed Numen Hominibus donatum putes.*
*Unicum peperit Margarita:*
*Unicus enim Margaritarum eſt Partus.*
*At ne unico miraculo Orbis miraculum naſceretur;*
*(2.) Pariens nil paſſa eſt Parens.*
*Publicæ lætitiæ genitus, dolere noluit Genitricem.*
*Nato igitur Carolo, nata Pax, Arces redditæ, Arma ſuſpenſa.*
*Ità, de Armorum Imperio ne contenderent;*
*Naſcente Carolo, Mars periit.*

1. Caroli Ortum Divinae Potentiae miraculis annumerandum, Hiſtoricorum nemo non affirmat. Nam de miro Genetricis jam effœtae conceptu, piorum votis impetrato; argumenta leges apud *Guicenonium* in Hiſtoria genealogica *cap. 36.* ac præcipuè Pauli IV. Pontificis Vaticinium.

2. Quòd circa dolorem ullum pepererit, ibidem leges. Quin etiam Sacram quandam Vercellenſis Cœnobii Veſtalem, dolores ſibi pro Paturiente devoviſſe.

Secundae verò Tabulae appicta erat publica Religio, quà poſt Emmanuelis deceſſum, *Carolo Sacramentum* Magnates atque Populi dixerunt, cum hac Inſcriptione.

## PUER PATRI SUCCEDIT.

*Nec ſine Fati conſilio, ætati prævolavit Ingenium.*
*Fruſtrà nimirum feſtinaret Prudentia, ſi tardiùs imperaſſet:*
*At Cœlo donatus eſt Emmanuel,*

Quod

Digitized by Google

*Quod Terris Carolum donarat.*
*Sic igitur, antè maturus quàm adultus,*
*Patri ſuccedit Patre major.*
*Plaudente Italiâ, quòd inter Gallum & Hiſpanum,*
*Ingenioſum Puerum, pro (1) Mercurio Terminali,*
*Fata collocaſſent.*
*Qui nunc illi, nunc iſti callidè adhærendo,*
*(2) Utriuſque Potentiam delibraret.*

1. Terminus Deus, in cujus tutelâ Agrorum fines erant, imberbis Mercurii ſpecie ſculpebatur, cum Caduceo, ad finitimorum pacem fovendam: & ſanè vivente Carolo, cujus dexteritas duorum Regum Potentiam libravit, neuter neutri apertum bellum indixit.
2. Sequens Tabula *Nuptialem celebritatem* Caroli, & Catharinae in Hiſpanâ *Regiâ* continebat.

## CAROLI CONNUBIUM.

*At ſollicita Patriæ ſpes erat, dùm unico nutabat in ſinu.*
*Macte igitur eſto tuis Vinculis, ô Hymenæe;*
*Qui auſpicato CAROLI, & CATHARINÆ conjugio,*
*Heſperiæ utriuſque Décora caſtis Amoribus nexuiſti.*
*Ferent ſecundi, fœcundique (1) Auſtri genialem Navim,*
*Quæ Parentes Heróas fauſtè in Italiam vehens,*
*Heroas (2) Filios aliquando in Hiſpaniam revehat.*

1. Ludit in Auſtriae Gentis, & Auſtri Venti nomine, qui calidus eſt atque humidus, ideoque fœcundus.
2. Alludit ad Principes tres, Caroli Filios; quos Philippus Tertius, dum à ſpe Prolis excluſus videretur, Regno deſtinatos ad ſe accivit.

Quarta, Caroli primordia bellica oculis proponebat, nempè *Caramaniolam expugnatam.*

## SALUTIANUM BELLUM.

*At non tardiùs Martiali, quàm Maritali tactus eſt Face,*
*Marchiam igitur Solutiorum à (1) Novatoribus appetitam*
*(2) Juſtis repetens Armis,*
*Caramaniolam momento eodem aggreditur, & ingreditur.*
*Arx ipſa, (3) Italiæ terror, Marchiæ robur;*



Digitized by Google

*Ingentem Bombardarum cataſtam*
*Salutando, quàm arcendo Carolo, utiliorem experta,*
*Victorem antè ſenſit, quàm Hoſtem vidit.*
*Hoc bombo tremefacta, (4) Arces reliquas aborſa eſt Marchia.*

1. Geminum belli titulum attingit. Primum cautionis; nam Gallorum Regi bellis detento, Ugonotorum factio Marchionatum invaſerat: ut ex hiſtoricis monumentis, & noviſſimè ex *Guicen.*

2. Alterum Juſtitiae; quòd eam Ditionem poſtremi Marchiones, Sabaudorum Principum fiduciarii, exteris manciparint, *ibidem.*

3. Munitiſſimum enim erat in Italia Gallorum Armamentarium.

4. Adeò, ut ſe Caroli Emmanuelis Uxori Catharinae, dediderint. Ex *Guicen. eod. cap. 36.*

Contigua Tabula *Bernenſium cladem;* qui obſeſſis Gebennenſibus ſubſidia deferebant.

## BELLUM GEBENNENSE.

*Hactenus in Viperulis Sabaudus proluſit Alcides.*
*Nunc Lemana Lerna Stagno ſtativis praeſidiis circumſeſſo;*
*Gebennenſis Hydra vivacem ſpiritum intercludit.*
*Auxiliaria Monſtri Capita tot delecta numeres, quot objecta:*
*Bernenſium decem millia,*
*(1) Violato foedere Perduellibus ſuffragata,*
*Procumbunt, ne occumbant: Carolo cedunt, ne cadantur.*
*Hos Caroli pietas,*
*Catholicae Fidei jugo multare mavult, quam jugulo.*

1. Alii octodecim millia numerant ſub Bernenſi vexillo, Vide *Guicenonium de Covongienſi praelio.*

Proxima Tabula, Provinciales *triumphali pompâ* Carolum Aquis excipiunt, ſed Umbraculi honorem Carolus oblatum recuſat.

## AD AQUAS SEXTIAS TRIUMPHUS.

*At Gebennenſem Triumphum, Auguſtior ſubvertit Triumphus.*
*Nam execrandis Sectariorum turbinibus laborante Galliâ,*
*Narbonenſis Provincia, deploratam Religionem ut ſervet,*
*Caroli Religionem implorat.*
*Hic, Bonorum Vota dùm ſequitur;*

*Factio-*

Digitized by Google

*Factioſorum machinas evertit.*
*Et lætiore pompâ, quàm qui (1) Aquis nomen dedit,*
*Aquas ingreditur.*
*Hoc etiam longè glorioſior, quòd (2) Regios honores detrectat.*
*Regno (3) dignus, dum Regnum dedignatur.*

1. Sextius Calvinus, devictis Sallyis apud Aquas, de ſuo nomine Sextias nuncupavit, *Vellejus Paterc.*

2. Umbraculum, ſive Conopeum à Conſulibus oblatum, ne Regii honoris vel umbram affectaſſe videretur, recuſavit. Vide *Thuan. hiſt.*

3. In Pariſienſi omnium Ordinum congreſſu, ubi diu altercatum de Rege eligendo; in Carolum denique vota conſenſerunt: Sed Henrici Magni Catholica profeßio, litem diremit. *Guicenon. eod. cap. pag. 746.*

Septima in Tabula, *Carolus* viſebatur *cruentato in equo*, coruſcante ferro, atrociſſimae pugnae ferociter immiſtus, dum ſui amnem trajiciunt.

## AD VINODUNUM CONFLICTUS.

*Quòd verò bellicorum Operum,*
*Non author eſſet modo, ſed Actor,*
*Conſcia fateatur Durentia: cùm vado intercepto,*
*A ſectariis circumcluſus, ab Auxiliaribus deſertus,*
*A ſuis diſſitus,*
*Ut copiæ tutò trajiciant, acervatas Phalanges Clypeo ſuſtinet,*
*Gladio cadit;*
*Equo bis confoſſo, ſemper infenſus, & (1) inoffenſus:*
*Jovem diceres Titánas impunè fulminantem.*
*Donec in ſuorum complexu,*
*(2) Plumbeam grandinem de ſagulo ſerenus excuſſit,*
*Ut ſcias, Loricam nullam eſſe fideliorem, quàm Chriſti Fidem.*

2. Mirum hunc ſucceſſum, divinae ab omnibus, & ab ipſo Carolo tutelae attributum: fusè narrat *Guicen. eod. cap.*

2. Hoc ab iisdem, qui viderunt accepit Author: nec quicquam de ſuis geſtis frequentiùs narrabat Carolus.

Proxima Tabula, *Arcem* offerebat circumfracto inſidentem ſcopulo: Bombardas adverſo è jugo ferè impervio fulgurantes: campeſtris munitionibus convallata. Gallica ſubſidia terga vertunt, Præſidiarii ſe Carolo dedunt.



Digitized by Google

## CABURRI EXPUGNATIO.

*Maxima inter Trophæa parvum etiam Caburrum numeres,*
*Hanc Arcem, Subalpinorum (1) Acrocorinthum,*
*Gyro brevem, ſitu formidatam,*
*Occupato pro Gallis Carolo, ab Gallis occupatam;*
*Tantâ mœnium ruinâ patefecit,*
*At que Hoſtium commeatibus clauſit,*
*Ut ſupplices Carolo Præſidiarios*
*(2) Intueri potuerit Gallia, non tueri.*
*Ità, quod abſenti Carolo intercepit Hoſtis,*
*Præſente Hoſte recepit Carolus:*
*At tantæ gloriæ fuit recepiſſe, ut amiſiſſe profuerit.*

1. Acrochorinthus, Monticulus erat, Corinthi propugnaculum; gemini Maris anguſtias claudens.

2. Adventarat cum Gallicis copiis Aldiguerius, qui abſenti Carolo Arcem averterat. Rem fusè narrat *Guicenonius dicto cap.*

Ex adverſo Bâſilicae latere, juxta præcedentem tabulam, pacata quædam Caroli geſta collocavit: nam Caburri expugnationem decennalis Pax conſeqvuta eſt. Nona igitur Pictura, Carolum ſiſtebat ante oculos palliatum, *externi Principis Legatos* in conclavi recipientem: placidoque vultu manum ad oblatas literas porrigentem.

## PACIS NEGOTIA.

*Tandem per Decennium, quieſcente Carolo, quievit Orbis.*
*Martis, an Jani Templum clauderet, ſemper Auguſto ſimilis.*
*Quanquam bellicis in negotiis (1) otioſum;*
*In Pacis otio negotioſum vidiſſes;*
*Nam Legatos interim, magnorum arcanorum conſcios,*
*Aut miſit, aut admiſit.*
*Uno ex ore agendorum omnium Oracula petebat Orbis,*
*Inquies igitur Caroli fuit Quies:*
*Nam grandia ſemper, vel patravit, vel paravit.*

1. Admirabilis unius Caroli fuit ſive natura, ſive virtus: quò calida etiam Martis negotia tam ſedato animo proſequebatur; ut adverſis etiam rebus nihil videretur commoveri. Sufficiebat hæc Magnanimitas, ut Magnus vocaretur.

Proxima

Digitized by Google

Proxima Tabula, *Primi lapidis* injectione, Urbis novæ fundamenta, maxima cæremonia Carolus auſpicabatur: aſtante Architectonum Præfecto; qui veteris, novæque Auguſtae Typum explicabat.

## MAGNIFICA OPERA.

*Inter Pacis remiſſiones Magnificentia ponenda eſt.*
*Nam animo Magnus, imparem Animo Regiam dedignatus,*
*Urbem Taurinorum, Nomine Auguſtam, Auguſtam Mœnibus,*
*Priſco Nomini æqualem, novoque Auguſto digniſſimam fecit.*
*Ac ne illiberaliore Hoſpitiô*
*Divos, quàm Homines ad ſe diverteret;*
*Auguſtisſima Templa Cœli æmula, Terris impoſuit.*
*Et Magnus, Magnis, Magna dedicavit.*

Undecima Tabula, *Tridinum*, celebre Municipium adoritur Carolus.

## MONFERRATENSE BELLUM.

*Redeunt Bellorum vices:*
*Armorum materiam ſuppeditante Ferreo Monte.*
*Nam ſopita, non extincta (1) Jura excitare,*
*Novis (2) offenſionibus laceſſitus Carolus,*
*Statuit æternam gladiorum ſegetem, gladio ſemel reſecare.*
*Trinum igitur,*
*Muris, Armis, Animis ter munitum, ter vincendum:*
*Albam Pompejam, & ineluctabiles Arces,*
*Menſe perbrevi eluctatus,*
*Armis Amorem, Victoriæ legem, Felicitati modum ità præſcripſit;*
*Ut omnium maxima Victoria fuerit, Victoriam temperaſſe.*

1. De avito Sabaudorum Jure in Montisferrati Marchiam, referta leguntur Juriſperitorum volumina: & ex Ratisbonenſi atque Claraſcenſi Judicio, de belli æquitate judicabis.
2. Quae fuerint recentes offenſiones, primae libellorum velitationes pervulgarunt: & rei ſeriem narrat *Poſſevinus, de bello Monferr.*

Duodecima in Tabula, Carolus, pro *Haſtenſi Portâ*, pedes, firmo gradu, arreptâ haſtâ, ſuorum fugam, & Hiſpanorum impetum ſtrenuiſſimè reprimit.

 (1) HA-

Digitized by Google

## (1) HASTAM POMPEIAM SERVAT.

*Audi inauditum Strenuitatis cum Potentiâ certamen.*
*Haſtam Urbem,*
*Contrà irruentem (2) Iberiam ſolus ſuſtinet Carolus.*
*Hæſit uno in Veſtibulo totius Orbis expectatio,*
*Sed primus docuit Carolus, etiam invictos vinci poſſe;*
*Dum Haſta una (3) Caroli in manu, tot Haſtas frangit:*
*Et laureis aſſueti Heroes, Pace (4) acceptâ potius quàm data:*
*Oleam in lucro ponunt.*

1. Quidam ſine aſpiratione Aſtam ſcribunt, *Plinii* atque *Claudiani* exemplo: nam priſci militarem *Haſtam* non adſpirabant, cæterum cùm ab Haſta Pompei cognominata ſit Urbs, recentiores aſpirant, præſertim eruditiſſimus *Majolus*, ejus Urbis Antiſtes.

2. Nunquam in Italiâ plus Authoritatis habuerant Arma Hiſpana; neque plures viſae fuerant armatorum Chiliades: primus tantam potentiam Carolus ſprevit, ut loquitur *Spondanus ſub anno 1615. num. 8.*

3. Quaſi, in Pompei manu haſta contrà Cæſarem imbellis; Caroli vibrata manu fortior fuerit.

4. Haſta intrepidè propugnata Hiſpanos adegit, ut Pacis conditiones à Principibus propoſitas facilè admitterent: contrà Carolus, nihili eorum conatus ducens, conditiones ſibi meliores fecit. Vide *Spondanum ibid.*

In ſequenti Tabulâ, *Ottagium* Liguri ad Oppidum flagrat: Duces bello capti, & Vexilla ad Carolum adducuntur.

## BELLUM LIGUSTICUM.

*Ferociit etiam aliquando (1) provocata Caroli Clementia,*
*Quùm flagrans Octagium,*
*Pro (2) ſuccidaneâ Victimâ, vindicta litavit.*
*In ultrice illâ flammâ tota tremuit Liguria.*
*Nam Vexilla, Centuriones, Tribunos, Prætorem ipſum,*
*Carolus captivum duxit.*
*Parumque defuit, quin trepidus (3) Janus,*
*Suas quoque tot ſpoliis adderet Claves.*
*Præluxit Victori Filio Paternum victricis Flammæ ſignum;*
*Qui numeratis Patris Trophæis,*
*Paria (4) Trophæa Patri tranſmiſit.*

1. Belli hujuſce cauſas memorant omnes noſtrorum temporum Hiſtoriæ: lege *Guicenon. pag. 833.*

2. Scu-

Digitized by Google

2. Succidanea Victima, quæ in alterius vicem immolabatur.
3. Januenſis Urbis fundator & Præſes.
4. Conſimilem Victoriam retulit Victor Amedeus uno tempore, diverſâ in Liguriae parte.

Quartadecimâ, poſt diuturnam *Verrucæ obſidionem*, qua nulla celebrior; Hiſpanus Exercitus, quo nullus formidabilior, receptui canit.

# VERRUCA DEFENSA.

*Nova Martiæ Virtutis prodigia.*
*Contra puſillum Verrucæ Oppidulum tota occupatur Hiſpania.*
*Montes armis, aërem flammis, omnia terroribus implet.*
*Quin contra Italum Principem,*
*Italorum quoque Principum vires Hiſpanis accrevêre.*
*Sed nihil ingenti Fortunæ nocentius, quàm creſcere.*
*Tantam Potentiam fulminavit (1) Carolus, tumulavit Eridanus.*
*Nam Phaëthonti fatalis fuerat ille locus.*

1. Leges Obſidii ſeriem in *Mercurio Gallico tom. 11.* ſimulque Caroli ſtrenuitatem, & encomia. Et apud *Guicen. pag. 839.*

Penultima in Tabula, Caroli Prudentia *Ludovicum* XIII. *Francorum Regem* jamjam Hiſpanis imminentem colloquio demulcet; atque Italicae tranquillitati conſulit.

# SECUSINA PAX.

*Maluit tamen Italiam vincere beneficiis.*
*Imminebat Inſubriæ Gallus, tot Victoriis notus quot præliis,*
*Pro libertate Italicæ (1) Urbis, totius Italiæ libertas laborabat.*
*Sed ex Alpibus irruenti (2) Galliæ, ſolus Carolus moras impegit.*
*Vidêre Alpes (3) Alcidem ſuum, aureos nectentem nodos, loquendo.*
*Nam æquo (4) fœdere propoſito,*
*Orbi libertatem ſervavit, Italiæ ſecuritatem reſtituit.*
*Tutiùs igitur Natura, Carolum Alpibus præpoſuit;*
*Quàm Alpes Gallis oppoſuit.*

1. Caſalem ab Hiſpanis ad anguſtias redactum, Gallorum Rex, Rupellenſi bello expeditus, libertati reſtituere omninò decreverat.
2. Secuſiam, Italiæ veſtibulum jam pervenerat Rex, à Carolo conventus.
3. Hercules Celticus, Galliae Comatae (cujus finibus Secuſia continetur) Numen

Numen, à *Luciano* deſcribitur, Vir longævus, manu ſtrenuus, linguâ facundus, aureis catenulis aures hominum quocunque trahens: prorſus ectypa Caroli deſcriptio.

4. Quanta fuerit in Pacis conditionibus à Carolo propoſitis æquitas, atque prudentia, exitus docuit.

Poſtrema Pictura religioſum *Caroli deceſſum* continebat in eo actu, quo ſenili ac febrili ægrore penitus exhauſtus, cùm ad extremam vitæ metam pervenisſet; ac Sacris operantem Sacerdotem piisſimè audiviſſet cubans, ægrè aſſurrexit: & ante Aram genibus atque palmis humillimè complicatis, dum vivificum Cœli Panem delibaret, exceſſit.

PIE MORITUR.

*At Tandem* (1) *pro publicâ libertate, viribus, non animo fractus,*
*Triumphalis Senex, ad Cœleſte Capitolium fatis,* (2) *prodigiisque ſolicitatur.*
*Tantum illi ſecuritatis noviſſima fuit;*
*Ut Animo ſtatim ad labra evocato, ante Aram procumbens,*
*In ipſo Divini Corporis oſculo expirarit.*
*Priſca* (3) *Veſpaſiani paræmia fuit,*
*Decere Principem ſtantem mori.*
*Nova Caroli eſt, decere Magnum Principem procumbentem mori.*
*Obiit Anno calamitatibus omnibus inſigni.*
*M DC XXX.*

1. Alteri Gallorum in Italiam eruptioni dum obſiſtere laborat, labore conficitur ſeptuagenarius Senex.

2. Plura & atra prodigia Caroli obitum denunciarunt, teter lunæ defectus, ſqualidus Cometes, fluviorum abluvia, tabifica lues, aëreæ pugnæ, dira fulmina, qvæ præcipuas tres Caroli Arces uno tempore, atqve ejus inſignia in Arce Taurinenſi ventilantia, percuſsére.

3. Sueton. in Veſpaſ. cap. 24. *Imperatorem, ait Veſpaſianus, ſtantem mori oportere: dumque conſurgit, ac nititur, inter manus ſublevantium extinctus eſt.*

Poſticâ parte, veſtibulo oppoſitâ, Inſcriptiuncula priori reſpondens, ex eodem Tacito *Annal. 16.* gyrum claudebat.

DETUR HOC ILLUSTRIUM VIRORUM POSTERITATI,
UT QUOMODO EXEQUIIS A PROMISCUA SEPULTURA SEPARANTUR,
ACCIPIANT HABEANTQUE PROPRIAM MEMORIAM.

*M. iu-*

## *Mauſolei Ornamenta.*

Tota Moles figura erat octangula, omnium abſolutiſſima, & illuſtrium Sepulcrorum myſteriis accommodata: ut obſervant, qui Steſichorum à Catanenſibus ſplendidè ſepultum ferunt in Mauſoléo, ex omnibus octonis conſtructo: nempè, octo gradibus, octo columnis: unde adagium manaſſe autumant, *OMNIA OCTO*, pro re undecunqve perfectâ. Hanc igitur octonis quoqve ſubnixam gradibus, & fornicibus octonis circumqvaqve perviam, angulares totidem *Atlantes cataphracti*, columnarum vice, galeatis verticibus fulciebant: qvorum baſibus alligati, ſupraqve gradus ſesſitantes *Captivi*, rabidos oculos ad Regalem Tumulum retorqvebant, qvaſi Extincti, etiamnum Principis Manes pavitarent. Supernè, qvà octogona Moles, in octogonam quoqve *Pyram*, faſtigiatim acuminatam ſcanſilemque, exurgebat: Regia octo noſtrarum Alpium *Flumina*, in Coronidis crepidine jacebant; non Urnis modò, ſed Oculis, ut videbatur, manantia: medio *Eridano*, Fluviorum Rege, coronam paſſis crinibus detrahente, ejusque alumnis *Cycbnis*: aduncitate roſtri alarum ſibi pinnas vellentibus; qvas veluti ſcriptoribus traderent. Coronidis ipſius angulos, Octo *Heroica Symbola* complebant: qvibus ille Princeps ingenioſè, ut agendarum rerum ferebat occaſio, Clypeos inſignivit. *Primò* enim, *Pullum pinxit Aquilinum, de cortice erumpentem*: *NON DEGENERO*, cùm puer Patri ſucceſſit. *Deinde* cùm nupſit, *Specula duo mutuis fulgoribus ardentiora*. *FERTQVE REFERTQVE*. *Tertio*, cùm Salutianum ac Gebennenſe bellum aggreſſus eſt, *Armorum faſces*, cum dicto; *ILLÆSA SUPERSUNT*. *Quarto*, cùm Sectariorum conatus Aquis prævénit: *Sagittarium, Horoſcopum ſuum, contento arcu jaculantem*; OPPORTUNE. *Quinto*, cùm Hiſpanis nimis imperioſè inhibentibus, ne jus ſuum in Monferratenſem Marchiam proſequeretur: Hiſpanorum etiam fines invaſit: *ejus figura Circinum pinxit, qui compreſſu aperitur*: additis verbis, *DUM PREMOR AMPLIOR*. *Sextò*, Cùm Liguriam totam bello appetiit, qvòd Oppiduli cujuſdam emptitiâ poſſeſſione prohiberetur, *Armatum Brachium, diſtricto gladio* Numis impreſſit: cùm *Lucani* Emiſtichio, *OMNIA DAT, QVI JUSTA NEGAT*. *Septimo*, cùm Ludovici XIII. contra Hiſpanos impetum, Secuſiæ retardavit: *Navigium* expreſſit *ab puſillâ Remorâ detentum*: *PARVA LICET*. *Poſtremò*, cùm novum Gallorum impetum ut reprimeret, Hiſpanorum auxilia, tametſi lenta imploravit: *Aggeres pinxit, & molitiones, quibus Torrentis effluvium coërcebatur, SENSIM PRUDENTIA SISTIT*: ſed Hiſpanam tarditatem, Mortis celeritas vicit, ne nihil Filio relinqveret.

Hæc fuerant Heroica Symbola, à Carolo aſſumpta. Jam quoniam Sepulcris Coronæ imponebantur, *octo Genii*, fornicum curvaturis affixi, octona *Coronarum* genera oſtentabant, quas Romani, uti præmia, virtuti conſtituerant: *Lauream*, cum hoc Titulo, HOSTIUM TRIUMPHATORI. *Gramineam*, OBSIDIONE SOLUTA. *Quernam*, CIVIUM SERVATORI. *Ovalem ex Myrto*, REBELLIUM DOMITORI. *Oleáginam*, HOSTE FUGATO, Reliquas ex auro: nempe, *Muralem*, MURIS CONSCENSIS; *Caſtrenſem*, VALLO SUPERATO; *Roſtratam*, OB NAVALEM VICTORIAM.



Digitized by Google

Pyram exornabant *Virtutum* omnium Simulacra, in graduum angulis erecta; Circa Mauſoleum, *Urbes Omnes Sabaudi Imperii*, ſuis quæque inſignibus atque frugibus diſcretæ: Funerarumque miniſterio addictæ; vultu, cultuque lugubri, crines incidebant, aliisve actibus mœrore confici videbantur.

Quatuor denique Arcuum præcipuorum inanitas, totidem *ſepulcralium Inſcriptionum* Tabulis replebatur. Prima, quæ in Mauſolei fronte longo ex intervallo legebatur, grandibus, ideoque paucioribus, conſtabat literis.

MAGNUM CAROLUM,
VICTOR AMEDEUS FILIUS,
EADEM PIETATE,
QUA VIVUM COLUIT, AMISSUM DEFLET.

A tergò, quà ad Deiparæ Imaginem Moles vergit.

HOC IN TEMPLO, CLEMENTISSIMA VIRGO,
QUOD CAROLUS EMMANUEL, SABAUD. DUX,
TIBI GLORIÆ DOMICILIUM, SIBI QUIETIS PORTUM
PIENTISSIME DEVOVIT;
EUNDEM VICTOR AMEDEUS, FILIUS OBSEQUENTISS.
TUTELÆ TUÆ RELIGIOSISSIME RESIGNAT,
UT (1) PER TE ORBI DONATUM, RESTITUAS CÆLO.

1. Nam Carolum piorum Votis impetratum jam diximus.

*A dexterâ.*

LUGETE ARMIGERI.
HIC ILLE HEROUM MAGISTER;
QUOS DE SUO ANIMO, FEROCES FECIT, NON FEROS.
LUGETE FORA.
HIC ILLE CONSULTISSIMUS PRINCEPS;
QUI JURIS ORACULA DE SUIS MORIBUS FUDIT.
LUGETE POPULI.
HIC ILLE PUBLICÆ LIBERTATIS VINDEX
QUI, UT SUI QUIESCERENT, NUNQUAM QUIEVIT.

Quæ à lævâ, prodigiis, ut annotavimus, Caroli Mortem comitantibus, alludebat.

MAGNI CAROLI FUNERIBUS.
TERRA TUMULUM, FLUMINA LACRYMAS,
FULMINA FACES,
AER SIMULACRA, ASTRA TENEBRAS,
EMPYREUM PYRAM,
CONTULERUNT.
DUBITAS MAGNUM FUISSE CAROLUM?
TOTUS IN EJUS EXEQUIAS IMPENSUS EST ORBIS.

CLAUSULA.

*Non viris annexus Amor meminiſſe ſepultos*
*Deſinit: in Prolem tranſcurrit gratia Patrum.* Claud.l.2.de Stilic.

Digitized by Google

# NATALITIÆ POMPÆ.

## NATALITIÆ POMPÆ,

Ob auſpicatum exortum
**BALTHASARIS CAROLI DOMINICI,**
HISPANARUM PRINCIPIS,

*Mediolani celebratæ Prid. Non. Februarias,*
*M DC XXX.*

INgentem hanc lætitiam, tùm Religioſâ gratiarum actione, tùm popularibus flammarum ſpectaculis teſtari magnificentisſima Civitas cùm decreviſſet: utriusque Apparatus literariam operam, unius Emmanuelis Theſauri ingenio committendam cenſuit: ut idem lætitiarum accederet Præco, qui fuerat antè dolorum. Primùm igitur ad pia Vota perſolvenda, Deiparæ Gratiarum Matris Baſilicam miraculis inſignem Decuriones prætulère; quæ, ad elegantiam ſtructuræ, accedente ornamentorum ſplendore, pietatem undique ſpirabat, & majeſtatem. A foris, Populum compellabat hæc Inſcriptio.

ADESTO CIVITAS.
INCLYTUM REGIÆ STIRPIS GERMEN,
DIU ROGASTI, UT HABERES;
UT DIU HABEAS, ROGA.

In internà Templi facie.

ORBIS MODERATRICI.
QUOD ORBEM MARTIALI TEMPESTATE NAUFRAGUM
OPTATO REGII LUMINIS EXORTU SERENAVERIT;
MEDIOLANENSIS CIVITAS
GRATIAS AGIT.



Digitized by Google

Sacris Myſteriis ſolemnisſimè perſolutis, asſidente omnibus cum Ordinibus Marchione Spinulâ, Inſubriæ Præfecto: idem Theſaurus Panegyricam dixit Orationem, quam in impreſſo Volumine denominavit, PRÆSAGIA.

Jam verò quoad ludicra Incendia, cùm ſummos Principes Populorum tulelæ deſtinatos laus nulla celſiùs attollat, quàm invicta in Armis ſtrenuitas, Auctori viſum eſt, THETIDIS FABELLAM oculis ſubjicere, cùm Achilli ſuo, recens edito, fatalem Clypeum, & Arma telis impervia, Cyclopum fabricata manu, à Vulcano impetravit. Hanc enim ſanè immortalem gloriam infantibus Principibus Arcadio atque Honorio latina *Claudiani* Muſa præſagivit:

*Vobis jam Mulciber Arma*
*Preparat: & Siculâ Clyclops incúde laborat:*
*Brontes innumeris exaſperat Ægida ſignis, &c.*

Quem Itala quoque *Torquati* Muſa, in ſui Principis Genethliaco ſequuta eſt.

*Già Mongibel rimbomba: & sù le incúdi*
*Già ti fan l' Arme i gran Giganti ignudi.*

Totam ergo Fabulam Ætnæus Mons, medio in Foro altisſimè conſurgens, in Populi conſpectum dabat. Cujus ſumma rutilabant flammis, ima vernabant frondibus: media nivibus, cum flammà, & virore fœderatis, exalbeſcebant. Medio in Monte ingens hiabat Caverna, metallicis Gigantum miniſteriis occupata: almaque Thetis, Infantem complexu fovens, Protofabrum Vulcanum hac Inſcriptione alloquebatur.

UT NOVO ACHILLI
FATALIA PROCUDAS ARMA,
BELLACES PHRYGIÆ TYRANNOS DEBELLATURA,
TIBI, VULCANE IGNIPOTENS,
SOLICITA SUPPLICAT THETIS:
NOVAMQVE ÆTNAM, FLAMMIS FOETAM,
NOVIS TONANTEM CYCLOPIBUS,
ERIGIT.

A dextro Montis latere hæc legebatur Inſcriptio, priori conſentanea.

AC NE SUDETUR INFABRE,
BARBARICA PRO INCUDIBUS TERGA
PLANGENTIBUS SUCCUMBANT MALLEIS.
ET DE MAURORUM CADAVERIBUS
NIGERRIMUS VIVAT IN PRYNAM CARBO.
AT FLAMMÆ OPIFICES
HOSTILIUM LACRYMARUM IRRITENTUR:

ET

Digitized by Google

ET EXPIRANTIS INVIDIÆ ANIMA
EVENTILENTUR.

*Ad lævum latus.*

ATQVI HAC LEGE,
ÆTNIPOTENS VULCANE, FAVEAS!
UT CUM VICTRICIBUS ARMIS MULTATI
TERRAM PETIVERINT THRACES,
TUM ARMA OMNIA
OMNEMQVE BELLORUM MATERIAM,
IPSAMQVE CUM CYCLOPIBUS OFFICINAM
PRO PYRA INFLAMMES,
LEVEMQVE IN FUMUM DISSOLVAS.

*Et adversà Parte.*

JAM EX ILLO GENIALI ROGO,
PARTURIENTE CINERE, OBSTERTICANTE FLAMMA,
PURPUREA PHOENIX EMERGAT, PAX,
LONGUMQVE SÆCULUM VIVAT.
TUM SI QVID IRARUM
INJURIUM IN MARTEM, VULCANE, FOVES;
ULTRICIBUS FLAMMIS EXPIATO:
MARTEMQVE OMNIA CUMBURENTEM
COMBURITO.

At nudam Montis aſperitatem peròrnabant penſilia Scuta, & Armorum Trophæà, ad concipiendam vario luſu flammam, diſpoſita.

Tota verò Fori Area circa Montem, in ſpeciem Maximi Circi continuatis porticibus claudebatur: bipatente ingreſſu inter geminas utrinque Pilas, Regia uſtinentes Inſignia: & argutis Inſcriptionibus quatuor, feſtiviore, ac proinde licentiore, ſtylo animatas.

# Inſcriptio

## I.

*TIBI, PHILIPPE TER MAXIME,*
*Genialem Auguſtæ Sobolis felicitatem*



Digitized by Google

*Terrarum Orbis gratulatur.*
*Senſit de pondere ipſo Tellus*
*Auſtriacæ Stirpis auctarium, Magnam Animam.*
*Hinc Natalitiis pro Facibus, flammigerantes evibrat Scopulos;*
*Et excæcandæ Invidiæ fumiferos intentat Globos.*
*Crede, mentiri Tellus neſcit.*
*Quæ conſcias Amoris flammas ſynceris è Montibus expectorat:*
*Et incluſa diu ſuſpiria è ruinarum ſpiramentis excludit.*
*Itaque ut ſoſpitalia referat Cælo vota,*
*Diligentiſſimum Nuncium delegat Flammam:*
*Quæ vocali fremitu, eloquentibus linguis,*
*Noſtrorum Pectorum Amores teſtetur.*
*Quanquam, ſi queat Ignis expendi,*
*Ætna favilla eſt, Ignis friget.*

II.

*NASCERE HEROUM HÆRES FELICISSIME.*
*Magni Solis Heſperus, Magnæ Heſperiæ Sol:*
*Regiæ Domus columen, & culmen:*
*Avis decorus, Avorum decus.*
*Tam omnibus clarus, quàm carus.*
*Non tu exili Famæ Tubâ,*
*Sed fulmineis Montium bombis reſonandus:*
*Alicubi naſceris, ubique noſceris.*
*Jam Tota Inſubria in Montem aſſurgens,*
*Tibi attremit, tibi ardet:*
*Vibratiſque Sideribus candidum ſignans Natalem,*
*Regale tuum Nomen aureis Flammarum pennis inſcribit Cælo.*
*Jam Senatus Populuſque Mediolanenſis,*
*Per te ſolicitus eſſe deſinens, pro te ſolicitus eſſe incipit.*
*Itaque ad illuſtrem Aram hanc, Fidei Teſtem,*
*Expiabili Flammâ Votum firmante;*
*Tot tibi perpetes Annos annuit,*
*Quot præpetes Fulgurum fulgores iſto è Monte coruſcabunt.*

III.

*HOSPES,*
*Quam ſpectas Molem penſilibus florentem Flammis,*

Nova

Digitized by Google

*Nova eſt Ætna,*
*Clarandis Regiæ Prolis Natalibus nata.*
*Miraris Auſtria Fortunæ novos naſci Montes,*
*Cui novi naſcuntur Mundi?*
*Plus eſt Optimum Regem naſci, quàm Montem.*
*Sed majus quiddam mirabere.*
*Nam ſuis ignibus interitura naſcitur Ætna.*
*Eadem ſibi Pyra erit, & Pyrauſta: neç tamen dolet.*
*Nam lætitiæ Flammis immori, non eſt mori.*
*Frigida ipſa Bruma, in rogali Flammâ Regalem ardorem ſentit,*
*Denique Orbis univerſus dulces in Flammas liqueſceret:*
*Niſi Regnaturo vivere juberetur.*
*Apage Invide.*
*Ad hanc Flammam ni cales,*
*Adamas es, non Adamans.*

IV.

*CERNE VIATOR.*
*Rerum omnium rarum omen.*
*Tandem luctantia Elementa luctas dediſcunt.*
*Hic arcano fœdere, Ver hyemat in Nive;*
*Hyems vernat in Flammâ,*
*Et Flumina Fulminibus convivunt.*
*Ac ne Cœlo invideat Tellus,*
*Hic videbis perdia Sidera, & pernoctes Soles,*
*Gregatim ſparſimque proſerpentes,*
*Illuminam Noctem illuminare; & lucifugas fugare curas.*
*Dixeris è Monte Cœlum naſci.*
*Hic Sideribus cognatos cernes Cometas,*
*Regnis, Regibus, Populis, non lethalia ſed læta ominantes:*
*Qui aureo paſſim tractu fulgentes, fugientes;*
*Abibunt, obibunt, aureumque in imbrem recident.*
*Qui hæc adſpexeris, dices:*
*Aut Jupiter naſcitur: aut Mars perit: aut utrumque.*

Tota Circi vaſtitas exemptilibus Emblematis ac parergis diſtinguebatur: nam ſingulas Arcuum curvaturas Hiſtoricæ implebant Tabulæ; quibus quicqvid antiquitùs Regum populorumque felicitati Flammæ portendiſſent, addita Inſcriptione ſignificabatur.

I. SER-

Digitized by Google

I.
SERVII TULLI PUERILE CAPUT AMPLEXA FLAMMA,
DIADEMATI PRÆLUDIT.

II.
CLARAM DE SABINIS VICTORIAM,
ARDENTES ROMANORUM HASTÆ AUGURANTUR.

III.
VITELLIO FELICITATEM
PROSPERA FLAMMÆ RELIGIO POLLICETUR.

IV.
INDOS ALEXANDRO IMMINENTES,
ANTISTITA FLAMMA EXTERRET.

V.
NICIAM SYRACUSAS OBSIDENTEM,
FLAGRANTES TUTANTUR MACHINÆ,

VI.
INFLAMMATA A DEMETRIO SYLVA,
SPARTIATAS ULCISCITUR.

VIII.
TEMERE JACULATUS ACESTES,
CÆLESTEM FLAMMAM AVSPICATO TELO DIDUCIT.

IX.
SACRIFICANTI LAVINIÆ INSIDENS FLAMMA,
GENERIS CLARITATEM PROMITTIT.

X.
HARALDUM REGNO NATUM,
INNOXIA PER FLAMMAS INAMBULATIO
COMPROBAVIT.

XI.
DEPASTA FLAMMIS TENTORIA,
FERD. HISP. REGI AD VICTORIAM PRÆCLUCENT.

Singulas Circi Columnas ingentes Clypei complectebantur, quibus appicta Heroica Symbola, ex eâdem flammâ felicitatis Argumenta continuabant.

Prometheus ignito Solis Currui admotam ferulam inflammat, cum dicto, SYNCERAM PATRI MENTEM. Ex *Claudiano*:

*Synceram Patri mentem furatus Olympo.*

Nam

Nam, cùm Solis Currus Philippi II. Sapientiſsimi Regis Symbolum fuerit, Avi Sapientiam Nepoti auguratur.

Supra Vellus Aureum rutilans Sol, tum Hiſpanorum Regum Inſignibus, tum Vernæ felicitati alludebat. Verba ex *Virgilio*, Auguſti Natalem celebrante: INCIPIENT MAGNI PROCEDERE MENSES.

Silex igniariorum attritu ſcintillas diffundit, ut in Hiſpano Torqui: ac ſilici ſuppoſita facula flammam concipit; cum literis, EX MINIMO MAXIMUS: ab *Ovidio* ſumptis;

*Vivet, & ex minimo maximus Ignis erit.*

Geminæ Caroli V. Columnæ, non vulgari tamen formâ: ſed alterâ ignea, altera nebuloſa; quarum ſpecie Angeli duo viciſsim Populo prælucebant: addita epigraphe, ALTERNO EXORTU.

Nymphæus lapis pluviarum illapſu exardeſcens. CLARIOR ADVERSIS. Sic enim Hiſpani gloriam imperii Adverſariorum auxit potentia.

Clara Fax, quam cupidi ſimul & trepidi circumvolitant Hepiali, quos Papiliones facularios vocant: cum *Claudiani* hemiſtichio DILIGIMUS PARITERQ; TIMEMUS. Quo gemino Populorum affectu, Honorii Cæſaris Clementiam deſignat, atque Juſtitiam.

Parva Scintilla, ſulphurei pulveris tramitem accendit, qui (ut in bellicis cuniculis fit) occultè proſerpens, Turrim evertat: ADERIT JAM TEMPUS. Ex *Virgiliano* præſagio:

*Aggredere ò Magnos (aderit jam Tempus) Honores,*
*Chara Deûm: Soboles, Magnum Jovis incrementum.*

Atque, talis Scintilla contrà Barbaros Regius hic Infans ſperabatur.

Ejus generis Fax, quæ Vento magis adverſante, magis ardet: adjectis *Ovidii* verbis AUSTRIS EXERCITA.

Stellatum Cœlum, & omnium clariſsima Heſperi Stella circa Occaſum; CLARIOR OMNIA SUPRA HESPERUS. Ad ſignificandam Hiſpaniæ præcellentiam, quæ ab Heſpero HESPERIA dicitur. Verba ſuggerit *Statius*,

*Sic ubi tranqvillo pellucent Sidera Ponto,*
*Omnia clara nitent: ſed clarior omnia ſuprà*
*Heſperus.*

Sequebatur Cavum Archimedis Speculum, quo repercuſsi Solis radii, Siracuſano è muro, hoſtiles naves comburunt, NON IMPUNE, ex *Claudiano*:

*Non illum Navita tutò,*
*Non impunè vident Populi.*

Ad maritimam alludens Hiſpanorum Victoriam contrà Batavos in ipſo Regii Infantis Natali.

Denique, Ætneus ipſe mons in Clypeo, Symbolum tranqvillitatis, & concordiæ offerebat: In illo enim Monte, Flamma, ut ait *Claudianus*, SCIT NIVIBUS SERVARE FIDEM.

Ac ne quid in hoc Circo magnificentiæ deeſſet, cùm Romano Circo præcipuum decus afferret Statuarum multitudo: circa hujus ambitum, omnia Regnorum

gnorum atque Provinciarum, Hiſpano Sceptro ſubditarum, Simulacra conſurgebant; alterâ manu proprium cuique Inſigne: alterâ faces geſtantia, quæ uno tempore ſuccenſæ, noctem diutius depulere: donec ſigno dato, Ætna primùm flammas eructàvit, ipſique Cyclopes ingenti ſonitu, tum machina univerſa, totus denique Circus, vario lætoque luſu in flammas abiit.

Mediolanenſium Muſarum Carmen.

*Regnum ortus panxit, planxit qui funera Regum:*
*Phoſphorus eſt Solis: Heſperus antè fuit.*

# NATALITIÆ POMPÆ,

## Auguſtæ Taurinorum Celebratæ,

felicisſimo in exortu

## FRANCISCI HYACINTHI,

Sabaudiæ Principis Primigenii:

*XVIII. Kal. Octobris, M DC XXXII.*

PUblica hæc voluptas, eundem Emanuelem Theſaurum buccinatorem habuit in eo Panegyrico, qvem PHOENICI cognominem fecit: ubi eò luculentiorem fuiſſe hanc felicitatem demonſtravit; quòd primus hic annus, Pace conſtabilitâ, lue depulsâ, ubertate reſtitutâ, ter feſsis Populis, ter fauſtus affulſit: Regiamque Sobolem, diù peroptatam, inſigni pro corollario, Votis adjecit. Qvamobrem cùm Auguſta Civitas, tùm piis ſupplicationibus, tùm popularibus flammarum ſpectaculis, immenſum gaudium effundere ſtatuiſſet: æquè in utroque apparatu, & Civitatis magnificentia, & Concivis ingenium fulſit.

Ad ſacram igitur ceremoniam, undecimo Kal. Octobris, ingens Arcus triumphalis, externam votivi Templi faciem ità veſtiit; ut, appoſititius licet, adnatus videretur. Atque ut à florentisſimo Nati Principis Nomine auſpicia ſumerentur; in illuſtriore feſtivi Arcus proſpectu ſupra Fornicem, Cæleſtis Genius, cæruleum HYACINTHI Germen, aureo in calatho, Cunas imitante, veluti è Cœlo deferebat: inſcripto *Virgiliano* emiſtichio de Auguſti Cæſaris natali, BLANDOS FUNDENT CUNABULA FLORES. Itaque ſi Veris primus Auſpex, primaque hortorum pompa, Hyacinthus ſalutatur: eoque Flore adveniente, diffugiunt Nives, miteſcunt Aſtra; leviterque aſpirante Zephyro, ægra reſpirat Tellus: majore ſanè miraculo Alpinus hic Hyacinthus, ipſo Septembri menſe Aprilem revoca-

Digitized by Google

revocavit: & publicas poſt ærumnas, inſperatam Populis attulit felicitātem. Hanc igitur allegoriam, utpotè totius ſacri apparatus Argumentum, complexus eſt Author hujusmodi Inſcriptione altè præfixâ.

(1) CÆLESTEM HYACINTHUM,
(2) REGALI NOMINE INSCRIPTUM,
UT AVERSÆ TEMPESTATIS HORROREM
MIRA VERIS AMOENITATE RECREARET,
DIVINITUS DONATUM;
AUGUSTOTAURINATES
MUNERI ACCIPIUNT, GRATIAS REDDUNT,
EJUSQVE PERENNITATI
SANCTIORA CELEBRANT; HYACINTHIA.

1. Cæleſtem Hyacinthum vocat, tùm quòd Anima cæleſte ſit munus: tum (ut dicemus) quòd Hyacinthi Flos, ſereno ſit cœlo concolor: ac proindè verè purpureus.

2. Regali autem nomine inſcriptum eſſe Hyacinthum, docent *Virgiliani* hujus carminis interpretes,

*Dic quibus in terris inſcripti nomina Regum*
*Naſcantur Flores.*

Sivè Ajacem intelligas, Thelamonis Regis filium; qui mutatus in Hyacinthi Florem, primas adhuc Nominis notas ſervat. Sive Auguſtum mavelis; cujus florulenta cunabula idem Poëta celebrarat: cujusque Nomismati, cum Auguſti Nomine, Flos erat inſculptus. Quod potiore jure Hyacintho noſtro congruit: tùm, quòd ad Patrii Regni ſucceſsionem Primigenos Natura deſtinet; cui nec diſſenſit Fortuna: tùm etiam, quòd eodem Anno, quo Regius hic Floſculus pullulavit, Regiæ Dignitatis Titulum & Inſignia, Victor Amedeus Pater reſumpſit.

3. Quod ſi Spartiatæ in honorem Hyacinthi illius, fabuloſè in Florem verſi, magnificâ ſuperſtitione HYACINTHIA FESTA inſtituerunt, ex *Ovidio* Metamor. 10.

*Nec genuiſſe pudet Sparten Hyacinthon: Honosque*
*Durat in hoc avi: celebrandaque more priorum*
*Annua prolatâ redeunt HYACINTHIA Pompâ:*

Majore quidem pietate Taurinorum Auguſta, hodierno die Chriſtiana celebravit HYACINTHIA: gratias benigno Numini referendo. florentique HYACINTHO perennitatem apprecando.

Sicut igitur tota Inſcriptio Principis Nomini, ſic totus Arcus Inſcriptioni conſonuit: & ſingula ſacri Apparatus ornamenta, Hyacinthi Floris allegoriam continuarunt. Nam, quoniam efflореſcente Hyacintho, Veris prænuncio; genialis (uti diximus) geſtit Tellus, & omnia florent: etiam in illo Arcu, Natura univerſa videbatur unà cum Hyacintho cælitus demiſſo, refloreſcere. Quippè totam illam Molem, veluti è Topho herbeſcente conſtructam, omnibusque florum ingeniis vernantem: Columnarum vice, Caryatides quatuor, Sylveſtrium Nympharum ſimiles, florentibus epiſtyliis ſuſtinebant. Geminis verò in intercolumniis

mniis, corymborum ſtirpiumque reptilium periſtromate vireſcentibus: geminæ prominebant Simulacra: alterum VERIS, in Adoleſcentis penniger ſpeciem: alterum FLORÆ, in effigiem elegantisſimæ Nymphæ: utrumque Hyacinthis redimitum, floresque omnigenos de Sinuoſo amictu, calathisqve diſpergens: atque utrumque ſuo ſignabat nomine unicus *Martialis* verſus hinc illinc bipertitus.

TANTUS VERIS HONOS, ET ODORÆ GRATIA FLORÆ.

Jam ſupra Columnarum capita, pendentes Clypei quatuor, Regiarum quatuor Virtutum præſagia ſymbolice præcinebant, ductis ab Infantuli Nomine argumentis.

Ac primò PIETATEM ſignificabat cæruleus Hyacinthi Flos: adſcriptis *Ovidii* Verbis, COELESTIS ORIGO. Nam, ut eruditè Pyerius, lib. 10. cap. 19. *Cœleſtis calor, dubio procùl, eſt hyacinthinus: monumentoquo eſt, Cœleſtia eſſe tractanda.* Quare, colore indice, fabulati ſunt, Hyacinthum Floreſactum, ab Apolline in Cœlo collocatum, ne gregarios inter Flores humi ſerperet. Huic verò præſertim, cæleſtem Animum ingenuit gentilitia Virtus. Quid enim à piis progenitoribus, cœlumque promeritis egerminaret, niſi Pium?

SAPIENTIAM deindè innuebat Hyacinthi germen, laureo nexum ramuſculo? cum ejusdem Poëtæ dicto, ET ME PHŒBUS AMAT: ex paſtoritiis verſibus deciſo,

*Et me Phœbus amat: Phœbi ſua ſemper apud me*
*Munera ſunt laurique, & ſuave rubens Hyacinthus.*

Utraque nimirum Planta ab Apolline culta; Sapientiæ atque Prudentiæ amicum, ac docilem, Mythologis ſonat. Ac de Hyacintho præſertim, Commentaria Pyerio addita ſic habent c. 31. *Hyacinthus ab Apolline in florem converſus, Prudentiæ atque ſapientiæ Symbolum eſt.* Hic verò, in Hyacinthi Laurique nexu acutior quædam latet alluſio: nam Laurus Victori Patri reſpondet: Hyacinthus Infanti: utrique Prudentia.

Præterea Severitas in pravos, indicabatur eodem Hyacinthi Flore, cui Scorpiones, atque Serpentes ſubjacebant enecti: cum inſcriptione, NOXIIS NOXIUS. Hæc enim ejus Plantæ vis eſt ex Plinio lib. 21. cap. 26. Atqui conſimile Vaticinium naſcenti Auguſto ſuo præcantavit *Virgilius* Ecloga 4.

*Ipſa tibi blandos fundent Cunabula Flores:*
*Occidet & Serpens, & fallax herba veneni.*

Denique Beneficentiam ſignabant Apiculæ, ex ipſo Hyacinthi Flore mel delibantes: idem ſiquidem Poeta 4. *Georgic.* inter apum ſvaviora pabula, Ferrugineos Hyacinthos, id eſt; Cæruleos, numerat. Dignam igitur Regio Flore Virtutem exprimebant literæ, REGALES EFFUNDIT OPES. Hæc Sacri apparatus fuit Inventio.

## FESTIVA NOCTURNORUM IGNIUM SPECTACULA.

Quo-

QUoniam verò in Taurinenſi Auguſtâ, Sabaudorum Principum Regiâ, Regius in lucem prodiit Partus: cujus Urbis antiquisſimum Inſigne Taurus eſt, nomini conſonum: novam ſanè, ac jucundam, Urbisqve Nomini atque Inſignibus maximè propriam celebritatem meditatus eſt Author. In amplisſimo ſiquidem Urbani Fori ſpatio, Signiferum Zodiaci gyrum inſtar Amphitheatri, eleganter columnati, ornatique commentus eſt: non diſcrepante à Circulis Aſtronomicis Architecturâ. Nam ſi *Ovidio* canere licuit;

*Haud timeam vaſti dixiſſe Palatia Cœli:*

ecquis timeat, Zodiaci Cæleſtem Orbem, vaſtum vocare Amphitheatrum? Itaque circà theatralem hujusmodi ſtructuram, undecim tantum Signorum Simulacra, adſpectu varia, & ſuis quæque ſtellis diſtincta collocavit; *Arietem* auratum, à Phryxo inſeſſum: *Gemellos*, complexu implicitos: *Cancrum* Dryadi blandientem: *Leonem* erectum: *Virginem* Aſtræam: *Libram*, de Veneris manu pendulam: *Scorpionem*, à Marte inflammatum: *Chironem* Centaurum: *Capricornum*, à Pallade ſtimulatum: *Eridanum*, ex urnâ ſtellantes aquas effundentem: *Geminos Piſces*, Veneris bigæ alligatos. Atque hæc ſimulacra, corollis redimita, ſive ſuâ, ſive adjectæ Imaginis manu, feſtos ignes tenebant, quaſi lætitiæ Symbola, diverſim inſcripta.

Taurum verò, qui novo Principis Aſtro decoratus, in ejus etiam Geneſi feliciſſimè affulſit, extra communem Signorum ſortem, alto in æthere, atque argenteo Nubium Solio cubantem, Jupiter coronabat. Quæ collocatio Aſtronomorum etiam commentis appoſitisſimè reſpondet; *Joviani* præſertim, qui de Tauri Signo in ſecundo Uraniæ libro ità ſcribit:

*Effulſitque novis Taurus ſpectabilis Aſtris:*
*Regaleſque addit Stellas, & Regia jura*
*Jupiter; & raro Taurum inſignivit honore.*

Illum igitur, utpote Regiâ dignitate præminentem, lætiorisqve Sæculi Antiſtitem, Aſtra reliqna circumſpectabant ſublimem, jucundoque plauſu venerabantur. Sub Tauri Signo *Virgilianum* carmen de Auguſti Cæſaris Natali, legebatur.

MAGNUS AB INTEGRO SECLORUM NASCITUR ORDO. Hoc igitur flammigeræ totius celebritatis Argumentum fuit; quod brevis hæc Inſcriptio complectebatur.

(1) NOVUM ASTRUM,
(2) POST LUCIFUGAS TEMPESTATES,
IN AUGUSTO TAURI SINU REPENTE NATUM.
ASTRA OMNIA,
FELICIORIS ÆVI PRINCIPIUM OMINATA,
(3) FESTIVIS LAMPADUM LUDIS GRATULANTUR.

1. Primùm enim comperta res eſt, Nova ſemper Aſtra in Cœlo viſa, admirabiles ſeculorum vices Orbi attuliſſe: atque in Signis felicibus præſertim, felicisſimas. *Referre arbitrantur* (inqvit Plinius) *cujus Stella vires accipiant; & in quibus locis*

 *emicent.*

*emicent.* Hinc illud ingens Auguſti gaudium, quo ad Imperium accedente, novum Aſtrum apparuit, dum ludos faceret Veneri Genitrici, paulò poſt obitum Cæſaris. Nam cælicus ille ignis, *Admodum fauſtus* (inquit idem Plinius) *Divo Auguſto, judicatus eſt ab ipſo: qui ſibi illum natum; ſeque in eo naſci interpretatus eſt: & ſi verum fatemur, ſalutare Terris fuit.* Imò, ab illo Aſtro novi Aureique ſeculi exordium, uti prædiximus, Romani computarunt.

2. Simili proinde vaticinio, poſt horribiles bellorum, corruptique aëris, ac publicæ penuriæ, tempeſtates: Regio Principe, novo quaſi Aſtro in Tauri ſinu apparente; novum ſeculum, ordiri fata, lætisſimumque auguratus eſt Author noſter; ac Sidera omnia exultìm Tauro gratulari, ac plaudere, confinxit; cæleſteſque ludos exercere.

3. Inter Populares autem alacritates, lampadum ludi, à vivificâ Promethei Face derivati, celebrabantur: quibus velocisſimi Juvenes Lampadophori, hoc eſt, Facem geſtantes, in Circo certatìm diſcurrebant: & ipſo in curſu ardentem Facem in alios jaciebant: iique ſummà dexteritate inextinctam recipientes, jaculabantur in alios. Atque hi Ludi natalitiis Principum celebrandis habebantur maximè proprii: nam *Plato libro ſexto de legibus*, ludorum illorum myſteria ſic interpretatur; ut ſignificarent, clarisſimos quosque debere, quam à Majoribus Vitæ facem accepiſſent, Filiis tradere; eàque vicisſitudine Reſpublicas, Regiasque Domos æternare. Inſtitit igitur eruditioni Authoris ingenium: feſtosque Ignes, qui toto Zodiaci Theatro erumpebant, atque ab Aſtrorum Simulacris jaciebantur: novos eſſe Siderum Lampadophororum ludos, effinxit, ad ſignificandam Cœli lætitiam, ob natum in Tauro novum Aſtrum, felicioris ſeculi Paranymphum.

Ipſa igitur feſtorum ignium artificia, quae Cæleſtium Simulacrorum manibus geſtata, exardeſcere; nocturnumque implere aërem debebant volitando, eadem adjectis in baſi literis, Virtutem aliquam nati Principis, vel Natalium felicitatem, vel Civium affectum ſimbolicè ſignificabant. Primus ergo *Aries*, qui ad abigendam hyemalem mœſtitiam, primam vernæ lucis ſcintillam injicit; in haſtæ ſummitate ellichnium gerebat, quo bombardarum vel feſtorum ignium Magiſtri, ſulphurato funiculo, veluti flammæ incitabulo, diſpoſitam materiam attingentes accendunt. In baſi hæ literæ legebantur: PARVA EX SCINTILLA.

*Gemini Tyndarides*, misſilem quisque Cylindrum tenebant, pyrio pulvere confertum, & levi calamo alligatum, ut conceptâ favillâ celeri lapſu feratur in ſublime. Inſcriptio, ex *Ovidio*; TENDIT IN ARDUA VIRTUS. Ipſique Ignes, fauſtis Geminorum Ignibus alludebant.

*Cancer*, prorſus, retrorſusque gradiens; ludicrum aliud miſſile chelarum forcipibus prehenſum attollebat, quo papyraceum involucrum, ſulphureo fartum pulvere, atque in ſeſe multipliciter glomeratum, nodisque coërcitum, *non altè avolat*; ſed hàc illàc inſultans ſolo, ſtrepitu motuque cætum territat, nullibi tutum. Verba hæc erant ex *Silio Italico*, NULLA NON PARTE TIMENDUS, ſtrenui Ducis ſumma laus.

*Leo* erectus, feſtivum illud artificium oſtentabat, quod Tubæ ſimile, cum ſonitu flammas efflat: Famæ ſymbolum. Verba ex *Lucretio*. CUM LUCE SONOREM.

Virgo,

Digitized by Google

*Virgo*, quaſi Veſtalis, pro æterno Igni, feſtam illam Facem ferebat, quæ, contortis funibus, piceo tenacique bitumine illitis, lætisſimam diu flammam paſcit. Verba ex *Statio*, NIL PATITUR LICERE NOCTI.

At *Venus*, quæ *Libram*, Juſtitiae imaginem, benigna ipſa librabat, alterâ manu geminum vibrabat Fulmen: ex iis nempè, quæ ardente ſulphure, agente aurâ, manu jaciuntur, & ſine periculo volitant. INNOXIA TERRENT.

At ferus *Mars*, qui *Scorpionem*, imbutum flammis, medios inter Titanas conjecit: breve tormentnm metallicum amplexabatur, quo in obſidionibus exploſi ferrei globi, horribili bombo proruentes, & incluſae flammae violentiâ dirupti, omnia diruunt: in ludicris verò, ingentem pilam exuſtili materia, pari fragore ac fulgore diſplodit, quae ſummo in aëre inflammata, aureum jucundumque in imbrem ſolvitur. Scriptum: CÆLARI NESCIA VIRTUS.

*Sagittarius*, ſive *Chiron*, qui contento arcu Cœlum ſuſpicit; Telum jaculari videbatur, ex eo genere, quod, ferente flamma, ad Cœlum ſcandit: & lucem gyrumque Stellarum imitatur. SEMPER AD ALTA.

*Capricornus*, in orbem convolutus, Rotam etiam chartaceam ſulphureo farcimine inculcato diſtentam, posſidebat; qvæ, immorto centro, non tam flammeo ſpiritu, qvam agitatione ipſa ociſſimè convolvitur, faceſque jacit: in exemplum Fortunae cum Virtute conjunctae. Cui proinde ſubſcripſit: FORTUNA VIRES PROMOVET INSITAS.

*Aquarius*, qui & *Eridanus*, Fluminum Rex; auream verſabat Urnam, unde, ut nocturnis in ſpectaculis cernimus, ignifluum ſcatebat Flumen; cum dicto: HAUD ULLA EST CLARIOR UNDA. Sic enim à *Claudiano* deſcribitur:

*Stellifer Eridanus ſinuatis fluctibus errans.*

*Piſces* demum, qui in Aquâ vivunt, ſuis branchiolis glebam ejus bituminis fovebant, quod in aqva demerſum flagrat, & ab adverſario elemento vires acquirit: cui accommodavit *Lucani* dictum; CRESCIT IN ADVERSIS *Virtus*. Atque in his Symbolis, licet heroicis: popularibus tamen ac feſtivis (ut idem Author in *Argutiarum libro* docuit) non exigendae ſunt ſeverae Argumentorum Heroicorum leges: ſed feſtiva quædam libertas, atque facilitas indulgenda eſt.

*Taurum* verò, Regali in Throno ab Jove (uti diximus) coronatum, comitabantur Plejades, Atlantis Filiæ, cum ſuâ quæque Urnâ, utpote imbriferae, ſed mutatâ in lætitiæ flammas limphâ. At circa ſolium, omnia Taurini Agri flumina, nubibus conſidentia, Urnarum itidem miniſteria, mutato elemento, commutarunt.

Hæc igitur omnia ita diſpoſita eſſe voluit Author: ut intempeſtâ Nocte Aſtrorum omnium, ipſiusque Tauri Stellæ, accenſæ veluti faculae confulgerent. Tùm igneus Globus, (Regii Infantis ſimulacrum) obſcurum per aera veluti è Cœlo incitisſimè dilapſus, in ipſo Tauri ſinu conquieſcens, Improviſi Aſtri ſimilis, mirum in modum diradiaret. Quo ſubito fulgore feliciſſimi Seculi prænuntio, exhilarata undecim Signa, Misſilia omnia, quæ in manibus habebant, derepente inflammata, feſtas veluti faces in lampadum ludo, viciſsim jacerent: tum toto Theatro, Cylindri, Faces, Bolides, atque infinita flammarum ingenia, convolarent. Denique Taurus ipſe, hilares in flammas abiret; totumque Solium atque Theatrum

trum ingenti ſonitu, variiſque ignium luſibus conflagraret. Hæc integra celebritatis Inventio fuit: ſed temporis anguſtiae non omni ex parte reſponderunt.

## AULICÆ LÆTITIÆ,

### Cum Inſcriptionibus ejuſdem Authoris.

Eâdem die publicae lætitiae decretâ, Mauritius Princeps à Sabaudiâ, qui tunc inter Purpuratos Eccleſiae Principes numerabatur: cum Fraterni Connubii Author in Pariſienſi congreſſu extitiſſet: Divo Mauritio votivam Imaginem, hac Inſcriptione, in Metropolitanâ Baſilicâ dedicavit: ipſo die, quo annua Martyris feſtivitas, cum natalitiâ Principis feſtivitate, celebratur.

STABIS HIC MIHI SEMPER COLENDUS,
THEBANÆ LEGIONIS CHILIARCA MAURITI;
SABAUDÆ GENTIS BENIGNISSIME GENI.
ATQVE, UT OPERA MEA, OPE TUA,
VICTORIS AMEDEI, ET CHRISTINÆ A FRANCIA
REGALE CONJUGIUM AUSPICAVI;
ITA FELICISSIMO CONJUGII SUCCESSU LÆTUS,
NATALI HOC TUO, REGIÆQVE SOBOLIS FESTO,
DEBITAS GRATES SOLVO, ÆTERNAS DEBITURUS,
EGO, ETIAM NOMINE TIBI AUTHORATUS,
MAURITIUS PRINCEPS A SABAUDIA.

Eâdem etiam Die, quam ſibi uſquequaque feliciſſimam ducebat, novam domeſticarum Ædium molitionem exorſus, æternum veluti fundatae lætitiae monumentum; ſolemni ceremoniâ, primarium lapidem his inſcriptum literis jecit.

NASCERE CELSIOR MEA DOMUS,
GENIALI NASCENTIS CELSITUDINIS AUGURIO.
IMUS HIC TIBI LAPIS
SUPREMUM FASTIGIUM SPONDET,
EODEM QVIPPE NATALI SIDERE.
CUM NASCENTE PRINCIPE NASCERIS,
CUJUS CUNABULA, REGIUM AD CULMEN SURGENT.
SIC MAURITIUS A SAB. PRINCEPS CARDINALIS,
V O V E T.
DIE SACRA XVIII. KAL. OCTOBRIS.
M. DC. XXXII.

Victor etiam Amedeus Pater, cùm æterno aliquo monimento Geniale Cubiculum, Regii Partus conſcium, inſignire voluiſſet, famigeratam illam Inſcriptionem,

Digitized by Google

nem, aureis literis affixit Author, quae primùm ingeniis, deinde calamis eruditorum, acerrimus fuit Martis Campus.

ANNO PACATÆ ITALIÆ, RESTITUTÆ FELICITATIS,
M. DC. XXXII.
PEDEMONTIUM PRINCEPS,
A BEROLDO VICESIMUS,
DECIMO POST SIGVEARDUM SECULO,
INTRA PARIETES ISTOS,
ORIENTE SOLE, REGNANTE ASTRÆA,
EANDEM CUM AUGUSTO
SORTITUS HORAM, ATQVE HOROSCOPUM,
NASCITUR.

Nam quemadmodum Cubiculi forma, omni ex parte æqualiter declivis, cœli convexitatem imitabatur; ità in ejus tholo, cœleſtium Signorum conſtitutionem, quam in Infantis Geneſi obſervarat; vagantesque Planetarum Imagines, ut ſuo quæque in Signo refulgebant, perfectisſimè pingi curavit. Virginem igitur (quam *Manilius* Aſtræam, Juſtitiae præſidem vocat) felicisſimum Principis Horoſcopum, Principe in Domo collocavit. Cum enim die decimaquartâ Septembris, quaſi cum Sole natus ſit Princeps, Virginem horoſcopantem habuiſſe, certo eſt certius. Et quoniam idem Author, antiquarum eruditionum fontes accuratiùs rimatus, obſervarat in Auguſti Cæſaris Horoſcopo, non quidem Capricornum, (ut cæteri Scriptores omnes ſomniarunt,) ſed Virginem aſcendiſſe: produxit eâ primum die, novam hanc, ſed ineluctabilem obſervationem ſuam: ut fatalem Auguſti felicitatem, Poëtarum more, Principi ſuo polliceretur. Nam cæteri, in ambiguo quodam fabulantis vulgi dicterio apud *Svetonium* gregatìm impingentes: *Notâ Sideris Capricorni*, QVO NATUS EST, (quod infinitos patitur explicatus, nec ad Hiſtoricum pertinet inſtitutum;) Caprum illum, Auguſti natalibus horoſcopaſſe, omnes ab Aſtronomiae ſacris alieni, alio alium fallente, ſcriptitarunt. Hic verò, cum in ejusdem *Suetonii* Capitulo, Hiſtoriographi maximè proprio, DE LOCO ET TEMPORE NATIVITATIS AUGUSTI, præciſa illa Verba obſervaſſet; *Natus eſt Auguſtus, M. Tullio Cicerone & Antonio Conſulibus; nono kalendas Octobris*, PAULO ANTE SOLIS EXORTUM; quod Annalium omnium Cæſareorum fundamentum eſt atque cardo: protinùs, tabularum, nunquam fallentium, atque ephemeridum miniſterio, exactisſimam Auguſti Geneſim ad calculos redegit: Virginemque Aſtræam in Horoſcopo ſurgentem reperit; cùm biformis illa Fera, quae ferè in cuſpide quintae Domus deliteſcebat, non niſi poſt horas ſex ab exortu Solis, cornua proferre potuerit. Atqui Aſtronomicam hanc ſuam Apodixim, Compilatorum vulgo inobſervatam, hiſtoricâ quoque priſcorum fide roboravit, *Manilii* præſertim, qui cùm Auguſti Mathematicus, Aſtronomicum librum ſuum Auguſto dedicarit, ut Principi ſuo blandiretur: *Capricor-*

*pricornum horoſcopantem convitiis laceſſit*: Virgini autem horoſcopanti, ſingula ejus Cæſaris decora, fortunam, dignitateſque apertiſſimè attribuit.

*Erigone ſurgens, quæ rexit Secula priſca*
*Juſtitia: atque eadem rurſus labentia fugit:*
*Alta per IMPERIUM tribuit faſtigia SUMMUM.*
*RECTOREMQUE dabit Legum: JURISQUE ſacrati,*
*Sancta Pudicitiam DIVORUM TEMPLA colentem.*

Quo Virginis encomio, dotes illas, quae nulli ante Auguſtum contigerant, egregiè conciliat: *Summum Imperium, legum Regimen, Judicaturam perpetuam, perpetuum Pontificatum*: in quo, publicae honeſtatis cauſâ, legem Juliam de adulteriis promulgavit. Quid hoc teſtimonio nitidius? Voluit igitur Inſcriptione ſua noſter Author ſignificare, allucinatos fuiſſe omnes, qui Carolo Quinto, Coſmo Mediceo, Selimo Turcarum Regi, maximè plaudunt, quòd Auguſti Horoſcopum feliciſſimum ſortiti fuiſſent, quem Capricornum opinabantur; cùm uni Principi noſtro debeatur ille plauſus. Nam ſi cum Principis natali Themate, natale Auguſti Thema conferatur; utrumque Septembri menſe; utrumque ſurgente Sole, utrumque Aſcendente Virgine Aſtræâ, primam hauſiſſe lucem, quilibet mathematico pulvere leviſſime aſperſus, deprehendet. Sed hæc omnia, juſto jam volumine diſcuſſa, in Apologiâ contra injurium libellum, cui Titulus, IL CAPRICORNO, nihil attinet iterare.

SACRÆ

Digitized by Google

# SACRÆ CELE-BRITATES.

## SACRA CELEBRITAS,

*Mediolani Habita Anno M DCXX.*

*quo*

### P. FRANCISCUS XAVERIUS,
à Paulo V. Pont. Max.

In Beatorum Album fuit relatus.

CUm ad publicam hanc lætitiam non Inſubres modo, & inquilinae: ſed exterae quoque Muſae pietatis invitatu convolaſſent: Author etiam noſter brevibus Elogiolis arctè acutèq; perſtrictam Beati Vitam, voluit pro ſuâ Symbola contribuere. Quod laudationis genus, eâ tempeſtate maximè novum, ſua feſtivitate atque coloribus, tantos excivit plauſus; ut etiam poſt biennium, quando ille Beatus, à Gregorio XV. inter Sanctos invocari cœpit: hæc ipſa Elogia, in Publico viarum apparatu, Neapoli expoſita fuerint & mira ingeniorum aviditate perlecta, atque tranſcripta. Horum igitur autographum, typis adhuc intactum, meas in manus cum inciderit, æternitati conſigno.

*ELOGIUM PRIMUM.*

Ortus, & Apoſtolica Vocatio.

### B. FRANCISCUS XAVERIUS.

*Reſpuat ſuas laudes, ſi poteſt;*
*Etiam invitus accipiet, quod, cùm offertur, tunc datur.*
*Omnes igitur alarum pennas expande Muſa,*
*Sed ad Cœlum evolantem fruſtrà ſequeris;*
*Ni Terras peragrantem ſequaris,*
*In Terrâ Cœlum vicit.*



Digitized by Google

*Hic Nobili Stirpe nobilior Palmes.*
*Imâ in Pyrenæi radice ad ſumma naſcitur:*
*Gaudente Numine ima ſummis æquare.*
*Fatidici Fontis oraculo, FRANCISCI Nomen ſortitur,*
*Aſſiſiati homonymus, ut unanimus.*
*Ambo miri; ambo cælibes; ambo Seraphici:*
*Divinis ambo Stygmatis inuſti;*
*Sed extimis ille, hic intimis.*
*Solus diſcrepabat lacernæ color:*
*Quo ille Omnia ut Cinerem, hic Omnia ut Fumum deriſit.*
*Hujus ætates ne diſtinguas.*
*Vel huic ſe infantem Prudentia fecit:*
*Vel hic ſe Prudentia Senem.*
*Conſilio ſemper Senex, Innocentiâ ſemper Infans,*
*Peripateticas ambages Pariſiis explicans,*
*Dum humana docet, Divina diſcit.*
*Jam verus Apoſtolicæ Scholæ Peripateticus,*
*Statuit Mundum perambulando fugere, fugiendo lucrari.*
*Imò verus ex Peripatetico Stoicus,*
*Fortunæ fortunas reſtituit ſuas:*
*Opibus patriis inopes ditat Pauper:*
*Et lacera penula totum eſt penu.*
*Suis igitur valere juſſis, Socium ſe adjungit Jeſu;*
*Cui ſe votis ligat, ut liberior abeat.*
*Ad nigerrimos Indos candidiſſimus deſtinatus;*
*Unicâ literulâ I, ab Ignatio monetur, movetur ſtatim.*
*Muralem globum crederes directâ è bombardâ iturientem,*
*Igneâ favillâ vocis explodi.*
*Feliciſſimi exitus augurem habuit Somnium;*
*Quo exalbandum Indum humeris geſtans, geſtit.*
*Quanta illa eſſet ſarcina, ſomnians vidit, vigil ſentiet.*
*A Paulo III. Apoſtolicæ Sedis Delegatus,*
*Ut Romam ſecum vehat, Romam deſerit.*
*Nam ubi Chriſti Fides, ibi eſt Roma.*

## II.
## Ad Navale feſtinantis geſta.

*Jam ſacra Xaverii, ſi potes, veſtigia ſectare Muſa,*
*Quem locus retinet nullus, diſtineat pagina.*

Hic

Digitized by Google

*Hic Nubiferum Apenninum, nivoſas Alpes, ſcabram Pyrénem,*
*Nudo metitus pede;*
*Patrias ſedes prætervolans, non vidit, vel vidit tantùm.*
*Remora eſt Cognatus Amor: officiis officit: amplexu implicat.*
*Cœlum igitur ſuſpiciens, aliam deſpexit Patriam.*
*Exteros reputat ſuos, qui ſuos fecit Exteros.*
*At enerves ut reparet ad curſum vires,*
*Nervos ſibi, toroſque, carnivoris conſtringit funibus:*
*Et viam ſibi triumphalem de ſuo purpurat.*
*Sic itineris tædium fallit, lætuſque pſallit.*
*Eſt ipſe Chelys, funes fidiculæ, concentus vota,*
*Ibericas per ſolitudines diu jejunus,*
*Acerbiſſimam famem acerbioribus ſolatur Pomis.*
*Gravius Tantalo fuiſſet ea carpere, quàm carere.*
*Jam Regiam ad Urbem ſcandens:*
*Digna Pontificio legato apparatione conſpectâ,*
*Magnus Hoſpes, mendicorum ſubit Hoſpitium,*
*Non minuit Legati dignitatem neglectus.*
*Supra omnes viſus eſt, qui ſe infra omnes dejecit.*
*Divite hac inopia, viluere Palatinis Divitiæ.*
Quid enim (*inquiunt*) cœlata hæc Tecta, cui Tectum eſt Cælum?
Quid nitida laquearia, niſi oculorum laquei?
Quid populis luctuoſi Principum luxus?
Quid gemmæ à gementibus lectæ?
Quid ſunt, quæ miramur, niſi magnificæ nugæ?
*Hunc igitur, veluti novum Numen, ſui tantum egens,*
*Admirata Regia;*
*Moroſo amore detinere cupit; bono infortunio non obtinet,*
*Stare in angulo neſcit Sol Orbi natus.*

III.
Herculeas ad Columnas pervenit.

*Suſpenſam ſcopulis, & Herculeis inſertam Columnis Gadir,*
*Europæ atque Africæ divortium,*
*Noti Orbis metam, ignoti initium,*
*Xaverius tandem attingit. Adeſto Muſa.*
*Jam deſtinatum Navigium inaugurat:*
*Et modicâ luſtrali Aqua minatur Oceano.*
*Jam ſummo in Malo læta ventis alludunt Aplúſtria.*

*Jam ſoliciti Nautæ Maximum antennæ ſubnectunt Acâtium.*
*Jam Hiſpano è litore ultimam ſpem convellunt, Ancboram,*
*Uno è funi publica pendet Fortuna.*
Sed quo pergis Xaveri? Subſiſte parumper, dum licet.
Quid infrenem ignotamque Belluam laceſſis, Oceanum?
Si navigationem tibi ſpondeo, quis Terras? ſi Terras, quis Homines?
Maxima pars orbis ſibi vacat.
Ac tenebris involuta Natura torpet.
Hic ſunt ultima Mundi Clauſtra,
Tàm oculis quàm navibus impervia,
Hic horribiliformes Ferarum conventus,
De Aquarum Imperio dimicant,
Et alternis mortibus vivunt.
Hic profundis vorticibus ſe reſorbet,
Atque in ſe naufragatur Mare.
Sed plus, quàm Maris furor, metuenda pellacia;
Quæ minatur, cùm ridet.
Hic ſterile Elementum, nihil ad alimentum parat,
Niſi Monſtra natantia;
Quæ ſi reperias, certandum eſt, uter utri eſcam præbeat,
Prædator, an Præda.
Sed omnia ſint tuta; ſit Terra; ſint Populi.
Quid intereſt, quibus moribus vivant,
Quos noſtris ſubjectos pedibus, toto Orbe Natura tumulavit.
*Sed nihil à propoſito magnum deterret Argonautam.*
*Maria, Monſtra, Montes, Mortes oſtende; non pallet.*
*Dei Fidem laturus, Deo fidit,*
*Cujus intereſt noſtra, & Antipodum Salus.*
*Omnibus æquè citimum tornavit Cælum,*
*Omnem Orbem unicus ligat Amor.*
*Oceanum Terris interfudit, & ab Orbe Orbem diſcrevit;*
*Ut alternis commerciis, Hominibus Homines opem ferrent,*
*Et Orbis Orbem erudiret.*
*Ergo cœleſti afflante flamine, lætum nautis celeuſma præcinit:*
*Funem ſimul, & moras ſolvit.*
*Et ultimus Alcidi labor, Xaverio eſt primus.*
*Nimirum, ex arduis noſcitur, qui ad alta naſcitur.*

IV. Occi-

## IV.
## Occidentali in Oceano labor.

*Occiduum per Oceanum*
*Sequere Xaverium, Muſa: ſed propter litus.*
*Mergos imitare, nè mergaris.*
*Vix læta Pelagum tentat navis,*
*Ut lethum Nautis intentat Pelagus.*
*Infernum quippè Concilium,*
*Sacram illam ſalutis Onerariam cernens;*
Quid agimus? (*inquit,*) Niſi Navis hæc perit, omnes perimus.
Quem pacatè poſſidemus Orbem, amittimus.
*Æoliis ergo ſpiritibus Tartarei Spiritus fœderati,*
*Æthereis undis, æquoreas undas:*
*Nocturnis tenebris, Stygias tenebras;*
*Fulmineis facibus, Furiarum faces permiſcent;*
*Quæ lucem coruſcant tenebris diriorem.*
*Quid ſperent Naufragi Nautæ?*
*Ad Xaverium confugiunt, Salutis Vadem;*
*Qui ſolus, tot inter fluctus, non fluctuat.*
*Hic gemina lumina, gemina planè Nautarum lumina,*
*In Cælum placidè intendens, Cælum placat.*
*Humili prece tumorem fluctibus eripit:*
*Et callidus pugil, dum humi ſternitur, Oceanum ſternit.*
*Hoc evicto infortunio, Fortunatas ad Inſulas proram vertit,*
*Quas certò excubabat Infernus Draco.*
*Itaque beatus in Heſperidum Sylvis, novus hic Hercules,*
*Mala non invenit, ſed Malos.*
*Jam torrente ſub zonâ, corruptis frugibus atque lymphis;*
*Vermibus ſcatent aquariæ Urnæ:*
*Et mediis in undis deficiente undâ,*
*Exanimes languent Nautæ, dum Aquæ animantur.*
*At Xaverio,*
*Putri illâ in Urnâ ſepulcralem Urnam memoranti,*
*Delicium eſt vermes bibere, ac ſuis vermibus propinare.*
*Hoc magis mirandum, quòd ignoto in Mari,*
*Aberrantibus Naucleris, viam deſignat.*
*Nam deſtinatum ad Portum tendens,*
*Errare non poteſt Amoris Magnes.*

*Denique*

*Denique ad Africæ cuſpidem, gemini Mundi compágem,*
*Occidui Maris Metam, & Eoi Carcerem, venit.*
*Hic denuò cum Cælo, cum Fluctibus, in æſtuario rixandum.*
*Et, quòd omnium miſerrimum,*
*Dum furit Mare, Terra timetur.*
*Sed omnia illi proſpera ſunt, qui adverſa quærit.*
*Verè igitur Caput Bonæ Spei dictus eſt ille locus.*
*Nam fortis animus, dum peſſima patitur, pejora ſperat.*

V

## Orientali in Oceano mortalitas.

*Hâc in plagâ majores plagæ.*
*Ad maritimos labores, morborum acceſſit labor.*
*Non remigii pernicitate fugitur hæc pernicies.*
*Vivos angit: morientibus convivit: fugientes ſequitur.*
*Eodem Vento tabidus vapor afflatur, qui vela inflat.*
*At Franciſco Xaverio,*
*Dirum aëris vitium, dignam Virtutis materiam parat.*
*Hic, velut publicum ex Cyclo, & Cataſtâ Mancipium.*
*Omnia circa omnes agit, & ſatagit.*
*Idem bajulus & focarius: excúbitor & polinctor,*
*Promus & quæſtor;*
*Stipem rogat, quam eroget.*
*Imò idem opifer & ſalutifer,*
*Non Empiricus, ſed Empyreus Archiatrus,*
*Ægros tangit, ægritudines fugat.*
*At ipſe tandem Xaverius,*
*Ægrorum levamen, graviſſimè ægrotat,*
*Et quos abigit morbos, rapit.*
*Sed alienum malum ut ſuum, ſuum ut alienum ſentiens,*
*Tùm impiger cùm æger,*
*Omnium ſe impendit valetudini, præterquam ſuæ.*
*At quid Amor, niſi fervor? quid fervor, niſi furor?*
*Ergo Amoris fervore, febrilem fervorem geminante;*
*Flammea morbi vis mentem emovet;*
*Et caput illud ingens delirat.*
*At nemo ſanior hoc inſano.*
*E Cœlo illapſum furorem illum credas.*
*Delirabat humana loquens: Divina loquens conſtabat ſibi.*

*In iis*

*In iis errabat, quæ non didicerat.*
*Qui vellent Divina diſcere, poterant ad delirantem venire.*
*Eodem furore percitus, lectulum ægris ſternens ſuum,*
*Anchorarios inter rudentes cubat.*
*Publicæ ſpei Anchora proprium invenit quietis locum.*
*Titubet igitur valetudo; aberret lingua; Mens eſt in portu.*
*Non phrêneſis, ſed phronêſis eſt, benefacere, ac mala pati.*

VI.

## Goam pervenit, Indiarum Orientalium Proregiam.

*Feſtivis jam plaude pennis ſecura Muſa.*
*Fruſtrà fremente Oceano, furente Orco,*
*Ad Indos enavit ſuus tandem Apoſtolus.*
*Jam Goanâ in Urbe Indici Orbis vertice*
*Sedem figit Apoſtolo dignam,*
*Quâ pompâ Romam Petrus, Goam Xaverius ingreditur.*
*Nudo pede, vili induvio, publico in mendicabulo.*
*Petri etiam exemplo*
*Minori Præſuli dexteram cedit Magnus Præſul.*
*Nam legationis onera, non honores, ad ſe recipiens,*
*Omnium maximus, ſibi nullus, omnes etiam latuiſſet,*
*Si Evangelica lampas poſſet latere.*
*Nullum ergo momentum opere caruit; nullum opus miraculo.*
*Prima cura fuit, Chriſtianis prodeſſe.*
*Æquè innocentiæ fautor, & ignoſcentiæ,*
*Vinctorum ferrum ut infringat, aurum quæritat.*
*Olim, ne caperetur, opes abjecit quas habuit:*
*Nunc captos ut redimat, opes poſcit, quas odit.*
*At minus eſt vinctos ſolvere, quàm diviſos vincire.*
*Cadmæa inter odia, & efferatas Veteranâ veſaniâ ſimultates,*
*Placidus Caduceator Xaverius,*
*Odioſum efficit odium, & impacatis amicam Pacem.*
*Adhuc minus eſt odia componere, quàm dirimere Amores.*
*Hic improbum Veneris Alumnum Chriſtianis laribus proſcribens,*
*Obſcænos Thalamos,*
*Vel illicitis facibus expedit, vel licitis expiat.*
*Omnium denique vitiorum reprehenſor. Virtutum ſuaſor, Veri doctor,*
*In æde, in Templo, in compitis,*
*Rudem ſe facit, ut rudes alta doceat;*



Digitized by Google

*Doctum, ut Doctos falſa dedoceat.*
*Hoc aliis diſſimilis, quòd ſe omnibus aſſimilat.*
*Tantis fractus laboribus ubi recubet rogas?*
*Non jam Anchoreos funes, ſed morientium pedes quære.*
*Hic illi ſapit Somnus, qui Somnum excutit.*
*At ſæpè Xaverii Somnum metuens Somni Soror, Ægros deſerit.*
*Nullum enim ſalubrius Amulétum, quàm Juſti propinquitas.*

## VII.
## Expeditio in Orâ Piſcariâ.

*Hactenus Homines in Semideos: nunc Bruta in Homines vertit.*
*Pravos hactenus Chriſtianorum mores emendavit Antiſtes,*
*Nunc ex Antiſtite Apoſtolus, efferas Gentes ut Chriſto vendicet,*
*Maria, ſcopulos, ſolitudines, Ferarum luſtra perluſtrat.*
*Hàc, confraga & ſentoſa nudo diſcurrit pede:*
*Et vernis induit ſentes roſis.*
*Illàc, arentes per arenas affluenti ſudore diffluit;*
*Et ſiti flagrat, in fontem verſus.*
*Confluunt ad novum Hominem monſtroſi indigenæ:*
*Quos ille linguæ imperitos nutibus erudit.*
*Inaudita miracula! audire oculos, manus loqui.*
*At quis mutam miretur facundiam, Brutorum Magiſtram?*
*Primùm in Ora Piſcariâ Evangelicam Sagenam jacit:*
*Ex Petri Arte piſculentum locum nactus.*
*Ubi Uniones piſcantur Indi, Indos expiſcatur Xaverius;*
*Quos Unionibus candidiores ex aquâ trahit.*
*Tritum vulgi dicterium, fruſtra Indum lavari.*
*Hic à ſuo Somnio didicerat Indos fonte ſacro emaculare.*
*Sed unum illi Somnus Indum obtulit; vigilia infinitos.*
*Dies noctibus baptizando continuat:*
*Et citiùs unda manum, quàm capita deficit manus.*
*Charitum Fontem deformibus conciliare formam ferunt:*
*Hic, citrà fabulam, immundum mundificat Mundum.*
*Miri ergo ſunt latices, quos manu Xaverius ſpargit:*
*Ter miri, quos oculis ſtillat.*
*Lacrymarum aſpergine Tartareos extinguit ignes.*
*Ut remeabilem Mortuis efficiat Stygem,*
*Geminum per oculos vadum pandit.*
*Felix Ora Piſcaria!*

*Quas*

Digitized by Google

*Quàs inter fluctus quærebat Gemmas, in litore invênit.*
*Pretioſior nulla eſt Gemma, quàm pia lacryma.*

VIII.

## In Travancoridis Regno geſta.

*Duros labores, ut reſpiret, durioribus mutat.*
*A barbaris Piſcariæ, ad inhumanos Travancoridas navigat.*
*Jam Ethnicum Navis Rectorem ad Chriſtum ducit.*
*Nemo luculentius naulum ſolvit.*
*Perierat infelix; tranquillo etiam pelago náufragus,*
*Polum ſuſpiciens, toto erraſſet Cœlo,*
*Niſi doctiorem Navarchum Navarchus inveniſſet.*
*Hoc etiam ex Petri arte;*
*Cui Cœli Clavis, & Navis Clavus commiſſus.*
*Jam publico vacans Miniſterio,*
*Æris tinnitu Pupillos primum convocat, ut Paſtor Apes;*
*Divini mellificii ſpem primam.*
*Tùm Campi Grandævis implentur;*
*Et concionalis ſuggeſtus eſt Arbor.*
*Arbores omnes unius Hominis cantus in Thraciâ traxit:*
*Una nunc Arbor Indica, Populos trahit.*
*Hic contra impiam Regionis Religionem tonat, fulgurat;*
*Quæ factitiis Numinibus vivos Homines immolans,*
*Inexpiabili flagitio Populum expiabat,*
*Cœlumque irritabat deprecando.*
*Verus igitur veri Numinis cultor & ultor,*
*Chriſtianis Sacris profana exaugurans Sacra,*
*Ubi Homines Diis cruenta cadebant Hoſtia:*
*Incruentam Hominibus Hoſtiam fecit Deum.*
*Templo Numina flammis dicavit:*
*Et Oraculis tacere juſsis, unus Oraculum Xaverius fuit.*
*Malignè tulere opprobrium Dæmones; jocoſâ primum vindictâ,*
*Dum Sacra canenti Xaverio, abſurdis boatibus accinunt.*
*Congruo tamen concentu ex adverſo:*
*Niſi vocum cacophoniam, dolorificus excepiſſet ſonus.*
*Nam Divina meditantem nodoſis pulſant fuſtibus.*
*Vecors vindicta, abſente Animo Corpus aggredi.*
*Non impunè tamen.*
*Nam Cruciantes Dæmonas, acerbiùs cruciat Oratio.*

IX.

## Quid in Divi Thomæ Sepulcro, & Moluchi Regno.

*Quieſce pauliſper Muſa, ubi indefeſſus quieſcit Xaverius:*
*Tandem ad Apoſtoli Thomæ Sepulcrum novus pervenit Apoſtolus.*
*Quàm geſtit illum videre, qui Chriſtum tenuit cùm vidit!*
*Quàm geſtit Sepultus Hoſpes,*
*In ſepulcri ſui Contubernio Hoſpitem excipere Collegam!*
*Ibi Xaverius Defuncto ſimilior quàm ſibi,*
*Ut ſe reficiat, ſeptendiali jejunio conficit:*
*Ità exardens, ità exhauſtus,*
*Ut affixam Divi tumulo votivam lampadem credas.*
*Hic igitur Apoſtolorum ſteterat curſus, ut Xaverius expleret.*
*Illorum limes, Xaverio eſt limen.*
*Excurrit operoſa Virtus quò Vitia vocant.*
*Ad Moluchi Regnum venit;*
*Omnium deterrimum, quia ditiſſimum.*
*Vincendus erat cum Impietate, luxus Vitiorum Pater.*
*Oſtrum, Opes, Dapes, Deliciæ, quicquid cerneres, telum erat.*
*Regiis ipſe donis impetitur Xaverius.*
*Sed aurea miſſilia impenetrabili deluſit centone.*
*Magis proindè exoſus.*
*Venenis clàm inſectatus, oblatas reſpuit antidotos.*
*Nempe à Paulo miſſus, veneniferos morſus non pavet:*
*Imo, de Deo ſecurus, veneni metum ut venenum pellit.*
*Verſo igitur poſtmodum in amorem odio,*
*Magnus ab Indis Pater vocatur.*
*Veriùs Magnam vocaſſent Matrem,*
*Tanto cruciatu tot enixam liberos.*
*Dum Sacris operatur, diro Terræ tremore Templum labat.*
*Diffugiente Populo, abeunte Templo, non movetur Myſta.*
*Templi ruinas integro ſpectans Animo, Opus peragit.*
*Nam quid timeret, qui Deum complexus,*
*Ruere non poterat, niſi in Cœlum?*
*Ultus eſt tamen Dæmonem, ac Terræ facinus:*
*Quam, ne poſtindè moveretur, Templis oneravit.*

X.

## Poſt Sinas, ultimam Terrarum luſtrat Japoniam.

*Finis unius laboris, alterius eſt gradus.*
*Pro Deo contra Idola, pro Virtute contra Vitia,*

*Laboribus*

*Laboribus, Doctrinâ, Prodigiis pugnando,*
*Barbara uſque ad Sinas permenſus Regna;*
*Eoi Solis cunabula ut exploret, Navim poſtulat.*
*Negantibus Navarchis tentari poſſe intentatum Mare,*
*Se Navim, ſe Nautam parat.*
*Non nauticam Pyxidem, non Aſtra conſulet,*
*Qui Aſtrorum Dominum pectore incluſum geſtat.*
Aut gratuitus (*inquit*) Portitor erit Mare;
Aut inimico Mari, ſalutem Amicis feram.
Invia ad Chriſti Fidem nulla eſt Via.
*Hoc argumento Nautarum ſpem firmante,*
*Navim obtinet; & ultimam rerum Japoniam tenet.*
*Sed novis artibus fallendus erat antiquus Regni Genius.*
*Feram ſæpè imitatur, qui Feras capit.*
*Sub Superbiæ inſignibus, Superbiam circumvenit,*
*Gemmeo apice, pexâ Cæſarie, aureo fucatus paludamento,*
*Regias ut aures capiat, oculos captat.*
*Tum alloquio, quàm veſte concinnior,*
*Nobilium animis Divina dogmata inſtillat.*
*Et quibus ſe ſimilem finxerat, eoſdem fecit ſimiles ſibi.*
*Jam ſolus innumeris, exter indigenis,*
*Ignotis ignotum inſinuarat Chriſtum:*
*Sed malo tandem Genio, leve Vulgi ingenium commovente;*
*Malè ſanos dum curat, inſanus creditur.*
*Sic dulciloquus inſanire Orpheus Bacchantibus eſt viſus.*
*Saxeâ igitur grandine undique ingruente,*
*Carneos dixiſſes lapides, lapideas Xaverii carnes.*
*Hic igitur per ſaxa illæſus abiit: illi ſimiles ſaxis reſtitere.*
*Hoc etiam Petro adſtipulatus;*
*Quòd hi lapides Japonam fundarunt Eccleſiam.*
*Nam etiam Impietas nocendo juvat.*

XI.

## Ad Sinas redux, moriendo triumphat.

*B. FRANCISCI XAVERII*
*Laudibus metam pone Muſa, ubi vitæ metam poſuit.*
*Ne ingratæ Japoniæ,*
*Quæ vivum oderat, ſe mortuum fideret:*

*Maluit Sinarum in ſinu mortem quærere, quam prævìderat.*
*Sed hem: ad amicam hanc Terram, adverſo velificat Mari,*
*Fortaſſe pretioſos illos Cineres Solo invidet Salum.*
*Vel ne ad mortem feſtinet, mortem minatur.*
*Sed ô prodigioſa ſecuritas!*
*Eâdem procellâ geminæ laborant Naves.*
*Utraque Navis Xaverium implorat ſuum.*
*Hic utranque ut tutetur, ſimul in utrâque conſpicitur.*
*Unus & geminus; Sociis ut aſtet, à ſe diſtat.*
*Dubitas Mortem paveat?*
*Imò ut certiùs illa collineet, hic ſe geminat:*
*Et ultrò incipit â ſe dividi.*
*Sed quid mireris unum geminis navigiis capi;*
*Cùm uno geminus Orbis ſit minor.*
*Optatos igitur ad Sinas, utroque incolumi navigio, reverſus;*
*Luſtrata Terrâ, dejectis Idolis, vindicato Numine:*
*Nihil erat quòd viveret, cum nihil eſſet quod vinceret.*
*Morbum igitur Mortis Nuncium feſtivè amplexus in Tuguriolo*
*Morti aliquandiu cunctanti*
*Septies incisâ venâ ſanguinem libat.*
*Tenere ſe non poterat flagrans cruor.*
*Ne Apoſtolico cruori degener argueretur,*
*Oſtendit, Martyrium ſibi defuiſſe, non ſe Martyrio.*
*Hos ergo triumphales per aditus ſeptemgeminos*
*Procedens purpureus ille Animus:*
*Ut ex alto ſua numeraret Trophæa, Cælum conſcendit.*
*Anno Salutis milleſimo quingenteſimo quinquageſimo.*
*Natus anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quinto*
*Annos natus quinquaginta quinque.*
*Beatis adſcriptus à Paulo Quinto.*
*Ita quinarium numerum,*
*Lunaribus intemperiis Orbi infauſtiſſimum,*
*Omnium beatiſſimum expertus;*
*Docuit, Nihil infauſtum eſſe Virtuti.*

Digitized by Google

# SACRA CELEBRITAS,

*Qua*

## TAURINORUM AUGUSTA,

Annum Salutis

M. DC. LIII

AB AUGUSTISSIMÆ HOSTIÆ MIRACULO

BIS SECULAREM,

***Religioſâ magnificentiâ, pioque plauſu,***

***Memorabilem fecit.***

CErta & pervulgata res eſt, Anno milleſimo quadringenteſimo qvinquageſimo tertio, Die ſexta Auguſti, Auguſta hac in Urbe Divinum illud Prodigium contigiſſe; quo ab Iſiliarum expugnatoribus, & expilatoribus *Sacratisſimum Chriſti Corpus*, cum ſuo loculo, quod *Oſtenſorium* vocant Myſtagogi, raptum, convaſatum, atque jumento impoſitum: ubi ad olitorium Urbis hujus Forum pervenit: procumbente ſtatim Jumento, ac ſponte fatiſcentibus ſarcinis exiliens, in altum receſſit: ac ſacro poſtmodùm Oſtenſorio ad ſolum deciduo, ipſa per ſe candida HOSTIA inſtar Sideris ſummo in aëre diu fulſit; donec adventante Clero, in Calicem ab Epiſcopo Romagnano ſuppliciter oblatum, ſpontè, ſensìmque deſcendit: & Metropolitanam ad Baſilicam ſolemni pompa delata fuit, ac cælici Theſauri loco, in arcanis loculis cuſtodita. Æternam rei fidem aſtruunt Acta publica, in Urbani Prætorii Tabulario, & Eccleſiæ Metropolitanæ Archivo, aſſervata: multa & gravisſima ſacrorum profanorumque Hiſtoricorum monumenta: marmoreum Sacellum eodem loci ac temporis conditum, quod longè auguſtiore poſtea Templo publica pietas commutavit: numeroſa demum Sodalitas piorum Civium, abusque illo ævo, ad continuandam Divini muneris venerationem, inſtituta. Qvamobrem cum *Auguſta Civitas* beatisſimam illam diem, anniverſariâ ſemper celebritate religioſisſimè percoluerit: cumque centenariæ periodi, fatali quadam conſenſione, multo vehementiùs quam Annuæ, ſibi reſpondeant: unde centenarios Urbis conditæ recurſus, maximâ ludorum, & Secularium carminum exultantiâ, Romani celebrabant: voluit eadem Auguſta *Annum hunc Bis ſecularem,* magnifico apparatu, & unius Concivis hujus ſui calamo, inſignire.

Itaque cùm in eo *Templo*, quod (ut prædixi) DOMINICO CORPORI, ubi res acta fuerat, dedicavit: divina Sacrificia, piasque gratiarum actiones Civitas decreviſſet: placuit votivi ejus Templi faciem, ingenti *Arcu Triumphali* aſtituto, ſplendidisſimè exornare: totamque Fori aream, quae ante Templum maxima

xima panditur, in quadrum circumveſtire: ac duos utrinqve aditus ad ortum & occaſum, duobus itidem *Arcubus* pari magnificentià intercipere.

## *Occidui Arcus ornamenta.*

A Coronide ad Fornicis curvaturam, ampliſsima infixa *Tabula*, pictam exhibebat oculis Iſilienſis Oppidi expugnationem, Templi direptionem, ac præſertìm Sacratisſimae *Hoſtiæ* atque *Oſtenſorii* raptum, Sacerdotum horrorem, & Angelorum ſummo in aëre adploratum.

Infra Tabulam, ad explicatum Picturæ, atque populi invitamentum, hujusmodi pendebat *Inſcriptio*, Jambico metro.

*Taurina Pubes, Romuli Auguſtum genus,*
*Cerne ut ſubactis bellicus Iſiliis furor,*
*Prædam profanæ miſceat prædæ ſacram,*
*Et mancipatum Sarcinis claudat Deum.*
*Bis-Secularis igitur hæc rediit Dies,*
*Cùm rapta fugiens HOSTIA hoſtiles manus,*
*Ex univerſis legit hanc Urbem Urbibus,*
*Veramque fecit Numini Auguſtam ſuo.*
*Tibi ceſſit ergo Præda: tu alieno innocens*
*Diteſce Civis ſcelere; tu captum Deum,*
*Ne, ut advolavit, avolet, Votis liga.*

Cætera hujus Arcus Ornamenta ad deteſtabilem illam rapinam referebantur. Primò igitur, in inferioribus intercolumniis, *Symbola duo* ex profana eruditione deſumpta, ſeſe offerebant. Altero, ſacrilegus *Prometheus* Ignem Cœlo furabatur: Horat. ÆTHEREA DOMO SUBDUCTUM. Altero, *Achivi* fatale Palladium ex Palladis Arce aſportabant: Virgil. AGGRESSI SACRATO AVELLERE TEMPLO.

Alia item duo ex Sacris literis. In altero, *Sámſonem* mancipant, illigantque Philiſtini. Jud. 16. PHILISTIHIM SUPER TE SAMSON. In altero, *Ægyptii* Divinum Joſephi *Craterem* ſacculo includunt. Gen. 14. PESSIMAM REM FECISTIS.

Supra Coronidem, quatuor *Simulacra* Iſilienſis excidii barbariem ſignificabant. Hinc *Mars* minax, diſtricto acinaci. Illinc *Furor* cœcus, flammasque ſpirans. Utroque in angulo, *Furiæ* angvineâ comâ, facibus & viperis armatæ.

Supra projecturas ſedebant *Iſilienſes Captivi*, palmas pedesque arctè coerciti.

Faſtigium incubabant *Virtutes deſolatæ. Religio* Aram complexa, ſciſſo Pallio, fractâ Cruce, dejectâque Mitrâ. *Fides*, quaſſato Calice, atqve ſpeculo, pectus ſibi dolenter plangens. *Juſtitia*, crinem laniata, gladio atque bilance ad pedes ruptâ.

Cætera ſpatia complebant *Trophæorum Faſces*, Militaribus ſimul, & Sacerdotalibus exuviis temerè congeſtis: cum inſcripto, FASQUE NEFASQUE. & SACRA PROFANIS. Ut ſignificarent promiſcuam in impotenti victoriâ prædam.

*Mediani*

Digitized by Google

## *Mediani Arcus Ornamenta.*

Hic, geminâ hinc inde *Tabulâ*, Sacroſanctæ *Hoſtiæ miraculum* continebat. Dextera ob oculos ponebat Chriſtigerum Jumentum eo loci derepentè proſtratum: diruptam per ſe Sarcinam: Vivificam *Hoſtiam* altè radiantem: Oſtenſorium humi jacens: & attonitos Populos. Siniſtra *Miraculum alterum* exhibebat: Cleri adventum; Epiſcopum cum ſacro Calice ſupplicantem; Divinum Corpus illabens; Populum gaudio lacrymantem: Notarium publicis acta literis excipientem.

Inter utranque Tabulam legebatur *Inſcriptio*, eodem Jambico ſtylo, utpotè ad enarrandum facili, ac populari.

*Auguſte Cives, Numini acceptum Genus.*
*Venerandus hic eſt ille Solſtitii locus,*
*Ubi ſancta prono Præda Jumento ſtetit.*
*Hic ſolis inſtar pendulum ſpargens Jubar,*
*In ſupplices vocata deſcendit manus.*
*Hîc ergo adora, hîc procide: hîc Magnum Advenam,*
*Quem coluit etiam Quadrupes pronus, cole.*

Hunc etiam Arcum decorabant duo *Symbola* ex profanâ eruditione. In dextero, *Sol* erat, obſcuræ Nubis obicem vibrantibus disſipans radiis: RUMPIT, UT ERUMPAT. In lævo, *Bomba*, novum, at notum bellici tormenti genus; ignis incluſi violentiâ dirupta. CÆLARI NESCIA VIRTUS. His eruptio Sacræ *Hoſtiæ* indicabatur.

Duo quoque Symbola Sacræ eruditionis, ad ſupplicem Epiſcopum dilapſam *Hoſtiam* ſignificabant. *Moſes* in aurea capedine, coram populo, ſvavisſimum Mannæ rorem candida è nubecula depluentem colligit, quem in Arcâ recondat. Exod. 15. EST PANIS, QVEM DOMINUS DEDIT VOBIS. *Joſue* Solem moratur. OBEDIENTE DEO VOCI HOMINIS. Joſ. 10.

Infernè, *Statuæ* quatuor antecolumnares, quatuor Principum Sabaudorum ejus ævi, quo res acta eſt, Imagines referebant. *Ludovici* Sabaudiæ Ducis, & *Annæ* Cypriæ Conjugis. *Beati Amedei* Principis, & *Yolandæ* à Franciâ, Conjugis.

Supernè, *Angeli* quatuor erecti, alterâ manu buccinam; alterâ Uvas & Ariſtas, Auguſtisſimi Symbola Myſterii, tenebant.

Cætera ſpatia eleganter implebant, ornabantque *Trophæa* Myſterio conſentanea, ex rebus ad Euchariſtiæ cultum, ſacramque ſupellectilem pertinentibus.

## *Tertii Arcus Ornamenta.*

Continebat hujus Arcus pictura *Sacram Cæremoniam*, quâ Taurinenſis Civitas, tanti Numinis non ingrata Hoſpes, ad æviternam Divini benefacti memoriam, ſplendidisſimi hujus Templi fundamenta jecit. Objiciebant ſe in ea Tabula Urbis Decuriones: Canonicus Metropolitanæ Ordo cum Epiſcopo, qui primorem inaugurabat lapidem ſic inſcriptum:



Digitized by Google

MEMORIÆ AUGUSTISSIMI MUNERIS
AUGUSTA TAURINORUM, SACRAT.
ANNO M DC VII.

Aſtabat cum Filiis piiſsimus Dux Carolus Emmanuel, aureum Nomisma cum ſua effigie fundaminibus immittens: eique celeber Architectus Vitozzius, Templi Imaginem in tabella deſcriptam oſtendebat.

*Inſcriptio* Tabulae appenſa, hæc fuit.

*Adeſte Cives, Hoſpites, & Convenæ,*
*Hic quò tenaces traxerant Numen preces,*
*Puſilla Magno Cellula Statori ſtetit;*
*Et Ara Amoris arrha perpetui brevis.*
*Creſcente creſcens Urbe, ſed fervor pius,*
*Anguſtias contermini laxans Fori,*
*Auguſtiore Numen excepit Domo.*
*Sed una Dominum non capit tantum Domus.*
*Majora poſcit. Numini Hoſpitium capax*
*Eſt Hoſpes ipſe. Corde ni excipitur Deus,*
*Auguſta in Urbe ſedeat, anguſtè ſedet.*

Alludebant ad eandem Hiſtoriam in Intercolumniis, duo de profano fonte derivata *Symbola*. Primùm, *Pharia Turris* à Ptolomæo Philadelpho in Ægyptii Maris litore conſtituta; ut & pulcritudinis admiratione oculos moraretur, & nocturnorum ignium fulgore, laborantibus Nautis Portum indicaret. Verba ex Horatio: PRÆSIDIUM, ET DECUS. Deinde, *Capitolini Templi Inauguratio*: in qvâ Terminalis lapis inter fundamenta repertus, cùm dimoveri nulla vì potuiſſet, eidem Templo æternitatis fecit augurium. Verba, NEC METAS NEC TEMPORA: ex Virgiliano carmine ad eandem Capitolini Templi Inaugurationem reſpiciente:

*His ego; nec metas rerum, nec Tempora pono.*

Ex duobus *Emblématis* ab Hiſtoriâ Sacrâ: alterum fuit *Ara ſaxea*, ab Jacobo ibi poſita, ubi Deum viderat. Geneſ. 35. APPELLAVIT NOMEN LOCI ILLIUS, DOMUS DEI, IBI ENIM APPARUIT DEUS. Alterum, Aurea Menſa in Salomonis Templo, *Panem propoſitionis* perpetuò ſervans. OBLATIO DOMINI IN MEMORIAM MUNERIS.

Faſtigii flexiones inſidebant tria *Simulacra* ad Templi ſtructuram ſpectantia. *Magnificentia*, magnificè ornata, Pyramidem complexa, & altera manu ditia dona fundens. *Architectonice*, Ichnographificas tabulas, circinos, libellamque tenens. *Pictura*, lauro redimita; peniculos, Tabellam, variaque pigmentorum loculamenta.

Ad dexteram lævamque, *Statuæ* quatuor antecolumnares. *Aron*, Pontificio habitu, Panes (Divinæ Hoſtiæ ſpecimen) utràque geſtabat manu. *Melchiſe-*

*dech*

Digitized by Google

*dech* regiè Paludatus, Panem, atque Cratérem. *Salomon*, Templi ſui Typum. *Ezechiel*, novi Templi Imaginem à Deo acceptam.

Inania demum ſpatia, *Trophæis* ad Architectonicen, fabrilemque ſpectantibus complebantur: ſupraque fornices & projecturas, Auguſtæ Urbis antiqua eminebant *Inſignia*.

## *Interioris Templi Ornamenta.*

Nihil erat toto Templo quod elegantiis ornatuque careret. Nam cùm Templum ipſum ob admirabilem artis elegantiam, ſe ipſo ſemper ornatum eſt: tùm præſertim triumphali illa die, parietes omnes, apertiones, laquearia, pilæ, columnæ, tot adſcitis aulæorum, picturarum, lemniſcorum, florumque illecebris: tantoque auri atque argenti fulgore undecumque oculos rapiebant; ut non jam Templum, ſed verè Paradiſum Numinis domicilium videretur.

Suprà Principem autem Aram, ſumptuoſa ſurgebat *Moles*: in quâ tota *Miraculi Scena*, non jam pictis Imaginibus, ſed prominentibus Simulacris diſcretim expreſsìmque apparebat. Ibi totius *Fori area* cum ſuis hinc illinc ædibus ſenſim diminutis, ad Urbani Palatii proſpectum opticè procurrens, ut in theatralibus proſceniis cernimus: ipſum Miraculi locum ad vivum repræſentabat. Ibi Sacratisſimæ *Hoſtiæ* conſimilis quædam forma in aëre altè ſuſpenſa; argenteis quibusdam filamentis ex lampadum repercuſſu radios imitantibus, vehementer effulgebat. Humi *Epiſcopus* in genua provolutus, humillime deprecantis ſpecie, imminulæ hoſtiæ aureum Calicem offerebat; quæ argenteo radiorum ad Calicem fluore, ac perpetuâ illâ coruſcatione, moveri ac dilabi, aſtitibus videbatur. Superiore in *Tabella* inſcripta legebantur ſacra verba, quibus Salomonem alloquutus eſt Deus, cùm ſupplici prece devocatus, in Templum ab eo conditum multa cum luce deſcendit.

AUDIVI ORATIONEM TUAM,
ET ELEGI LOCUM ISTUM MIHI,
IN DOMUM SACRIFICII.
lib. 2. Paralip. cap. 7.

# SACRA CELEBRITAS,

*Quâ eadem*

AUGUSTA TAURINORUM,

## FRANCISCO DE SALES

Gebennenſi Epiſcopo,

BEATORUM HONORIBUS DONATO

*Publicè gratulata eſt,*

Anno

M. DC. LXII.

HUnc quoque diem ſuis annumerandum Faſtis Auguſta Civitas cenſuit; quòd Beatisſimum hunc Præſulem, Sabaudo Sceptro conſubditum, Domicilii jure Concivem; Familiæ dignitate, Patritium; Vitæ candore, Aulæ hujus ſpeculum habuiſſet: ediſcens, à Regalibus quoque Palatiis ad Empyream Beatitatem, viam eſſe virtuti. Itaque cum jampridem ipſa Civitas ſuis quoque ſupplicibus literis ab Apoſtolicâ Sede hunc honorem Concivi benemerito atque ſanctisſimo, enixisſimè rogaſſet: ubi tandem ſenſit ab Alexandro VII. Orbi datum, quod ipſa voverat; non potuit infinitam lætitiam feſtivis plauſibus non offundere. Cùm igitur in Nobilium Virginum Templo, quæ Beati hujus Patriarchæ ſpiritu vivunt, maximâ Principum, & omnium Ordinum celebritate, publicae ſupplicationes, actionesque gratiarum eſſent perſolutæ, eandem frequentiam ante Urbanum Prætorium ſuum Magnificentisſima Civitas, feſtivo nocturnorum ignium ſpectaculo recreavit, Divique laudes tot eloquentibus lingvis, quot exilientibus flammis perſonuit.

## *Flammiferæ Molis ſpecies, atque ſignificatio.*

Clemens Octavus, Maximus ille Optimusque Pontifex; ut Franciſco de Sales Elogium quam amplisſimum quam brevisſimè pangeret, FONTEM DIVINI VERBI, IGNEMQUE OMNIA COMBURENTEM, appellavit. Ænigmaticum prorſus praeconium: quid enim tàm repugnans, quàm IGNI AQUA? ſed adeò verax atque mirabile, ut Præſulem nondum mortuum Sanctus Pontifex, pauciloquo iſto vivae vocis Oraculo (ut ità loquar) canonizarit. Horum igitur authoritate verborum fretus noſter Author, ut Beatum Franciſcum IGNEUM verè FONTEM extitiſſe demonſtraret; *Eliæ Aram* Aqua & Igni diffluentem pro Symbolo ſibi propoſuit, ex Sacrâ Hiſtoriâ *lib. 3. Reg. Cap 18.* Cùm enim *Taurum* in Arâ lapideâ Elias immolandum collocaſſet: tantam aquarum vim ſuper Aram

Aram fundi juſſit, ut Arâ Fontis inſtar exundante, ſolum etiam, omneſque circùm foſſae abluvione natarent; tùm rapidam è Cœlo Flammam devocavit, quæ victimam, ligna, lapides, aquam denique omnem devoravit, atque conſumpſit. Quid autem expreſſius *Fontem Divini Verbi*, *ignemque omnia comburentem*, expingeret?

Ad eam igitur Hiſtoriam feſtivo in hoc Apparatu allegorice alludens Author; totam *Molem*, quae medio ſurgens Foro, *Eliae Aram* referebat; ad imaginem marmorei Fontis octogoni efformavit: qui gemino e conceptaculo, altero in alterum depluente, undas undique undis agglomerabant: quibus multiplices Geniorum Imagines ex urna, variaque Monſtrorum ingenia, tubulis, atque helicibus, perſpicuos addebant lympharum fluxus, atque jaculationes. Arae impoſita erat lignorum ſtrues: ſupraque ſtruem ingens *Taurus*, Taurinam *Eliæ Victimam*, imitatus, procumbebat: nobiliſſimum hujus Urbis inſigne: ad exprimendum Taurinenſium affectum erga Beatiſſimum Concivem, cui ſeſe devovebant, ſacrabantque. Atqui ſatis conſtat, nullum in Sacris profaniſque literis luculentius, gratiuſque fuiſſe Sacrificium, quàm quo Taurus immolabatur. Meritò itaque Virgilius, *Maxima* (inquit) *Taurus Victima.* Et Plinius *lib. 8. cap. 45. Taurorum Victima, optima, & laudatiſſima Deorum placatio.*

Hoc igitur totum apparatus myſterium *Inſcriptis literis*, pictiſque *Symbolis* explicabatur. In anteriore Aræ fronte hæc legebatur *Inſcriptio.*

BEATO FRANCISCO SALESIO,
RADIANTIBUS FLAMMEI CÆLI SEDIBUS
IN DIVORUM CONCILIUM RECEPTO;
AUGUSTA TAURINORUM,
ARDENTIA CIVIUM VOTA
FLAMMANTIBUS EXPLICANS LINGUIS,
EMPYREI BEATITATEM GRATULATUR,
SESEQUE SACRAT.

Oppoſita *Inſcriptio* ad Virgineum Cœtum, ab eodem Beato, Sanctiſſimis legibus inſtitutum, alluſit.

MIRARIS IN ELIÆ SACRIFICIO
ALGENTES FLAGRASSE LATICES,
PURAMQUE IN UNDIS ARSISSE VICTIMAM?
DIVINI AMORIS MIRACULUM FUIT,
IN FRANCISCO SALESIO RENOVATUM.
HUNC FLAMMEUM FONTEM VOCES,
DODONÆO VERIOREM.
NAM INNUMERÆ VESTALES DEO SACRATÆ,



Digitized by Google

AB IGNIFLUA EJUS DOCTRINÆ SCATEBRA, ÆTERNAS ÆTHEREI AMORIS LAMPADES INFLAMMARUNT.

Ad Arae latera, *Emblemata* duo, utriusque Inſcriptionis ſententiam Symbolice innuebant. Atque utrique Emblemati pro Inſcripto, ipſisſima Clementis VIII, verba dividue reſpondebant. Altero Emblemate *Elias*, aſtite Achabo Rege, Victimam aquâ circumfuſam devocatis e Cœlo Flammis adolet, IGNIS OMNIA COMBURENS. Altero, *Fons Dodonæus* extinctas Ferulas accendens: ac Virgines pleræque Veſtales, ex ejus aqua faces illuminant, FONS DIVINI VERBI.

## *Exitus.*

Hæc feſtivae Molis forma fuit, atque diſpoſitio: cui Forum univerſum ſplendidisſimum efformabat Theatrum. Nam Fontis *clauſtra* atque *cancelli* procul ipſo fonte; ad varios ignium luſus erant parati: parietes interim, Meniana, Tecta omnia facibus collucebant: omnia nobilium Virorum, Matronarumque ſpectantium decorabat ornatus: Ædes præſertim Urbanae, Regiorum Principum, Aulicorumque pompâ gliſcebant: certabatque cum tedarum fulgore, gemmarum fulgor. Augebant denique majeſtatem Prætorianæ cohortes circa forum diſpoſitæ, tubarum fragor, armorum nitor, & ipſa noctis obſcuritas.

Non igitur abſimilis ab Eliæ Sacrificio, fictitii hujus Sacrificii Succeſſus fuit. Nam ſigno dato, Fons ille mirus, qui pellucidis aquarum rivis undique profluere videbatur: tùm ſubitâ veluti e Cœlo devolante *Face* tactus, aquas repente in flammas vertit. Jam *Taurus* ignea cornibus fluenta in Cœlum vibrat: jam omni ex parte volantes flammae, ignei vortices, crepitantia fulgura, favillarum imbres, horribili fragore, innocuo fulgore aures ſimul atque oculos oblectant territando, atque adeo novis ſemper, ſemperque mirabilibus ignium ingeniis, eousque ſpectantes detinuere, donec jam omnes *Cancelli*, *Ara*, *Strues*, *Victima* ipſa tota jucundisſima in luce conflagrarunt: atque Ignium ſpectaculum, tubarum clangor, & militarium tormentorum bombi exceperunt.

Digitized by Google

# LITERARII APPARATUS.

## LITERARII APPARATUS,

*id eſt*

## DUODECIM CÆSARES.

ANNO M. DC. XIX. cùm Matthiæ Imperatori, Ferdinandum Secundum Religioſiſſimum Principem, Sacer Electorum conſeſſus, unanimi conſenſu, ritèque ſuffeciſſet: quanto refractariorum fremitu conviciiſque dehoneſtata; tantis Catholicorum plauſibus, honorificiſque gratulationibus, percelebrata fuit illa Electio. Itaque, cùm Academiæ omnes Panegyriſtarum vocibus, omneſque parietes literis conveſtiti, piiſſimi Cæſaris encomia paſſim perſonarent; placuit Authori noſtro primævorum Cæſarum geſta argutis Elogiolis complecti; ut illorum Vitia, Ferdinandi Virtutes illuſtrarent ex adverſo; & Seculi noſtri felicitaten priſcorum comparatio efficeret dulciorem. Hic igitur eſt ille juvenilis adhuc ingenii Partus, vel potius impetus; qui licet ab Authore ita ſpretus, ut Typis illum ſuo ſine nomine, velut abortivum, contemptim abjecerit: omnia tamen ingenia ad novum quoddam, & vivaciſſimum ſcribendi genus vellicando expergefecit. Has ego Inſcriptiones, appoſitis elucidare notis nolui; ut Lector ipſe, de Svetonii commentario, Authoris ſenſu per ſe veſtigando, hauriat è ſcatebrâ duplicem cum utilitate voluptatem.

*I.*

## C. JULIUS CÆSAR.

Lucii Cæſaris Filius, lux Cæſarum & Pater,
Romanus Alexander, Terræ Mars,
Omnibus tam metuendus, quam mitis,
Pretium fecit ſervituti,
Victo Orbe, Urbem victricem Orbis vicit.

Deſuere

Deſuere illi hoſtes, hoſtem habuit Patriam,
Ne deeſſet unquam quod vinceret.
Ingratam Patriam patriis armis puniit.
Eam vicit invitus, quâ vixit invitâ.
Qui Romæ propugnator non regnavit,
Regnavit expugnator.
Pro Româ triumpharat, de Româ triumphavit.
Amavit tamen inimicam: nolenti profuit.
Sæpe à fulmine Lauro ſervatus regiâ,
Non ſemper.
Quem inermem timuerunt arma,
Armata necavit toga.
Ceſſit Civibus Cæſar Cæſus.
Serò cognitum luxit Patria:
Viventem Hoſtem, mortuum vocavit Patrem,
Patricidium confeſſa cum Patrem dixit.
Diſce lector.

*Melius ſæpè, quæ non habes, vides,*
*quam quæ habes,*

# CÆSAR.

## *Scribit ſuos Commentarios.*

QVæ modò fulmineum vibtabat dextera ferrum
Pacatos calamos ſanguinolenta regit.
Scribit dextra eadem calamo, quæ geſſerat enſe,
Hoſte vetuſtatem deficiente ferit.
Nulla tuæ, Cæſar, celebratæ gloria dextræ,
Aut ferro, aut calamo, ſi caruiſſet, erat.

## *Per Mare innatans Commentarios gerit.*

HOrrida felici rumpis freta pectore Cæſar;
Librum læva regit, dextra flagellat aquas,
Dum Mare Cæſareæ formidat verbera dextræ,
Currit inoffenſo tuta ſiniſtra libro.
Dextera fit remus; tu remex; navita, navis:
Vela chlamys; malus læva; volumen opes.

Ibitis

Digitized by Google

Ibitis illæſæ metuenda per æquora merces,
Naufraga non poterit tanta perire ratis.

*Contra Jubam pugnaturus Augurium ſpernit.*

EFfugit attonito ſacris data Victima Vate:
Nudaque deluſis ingemit Ara focis.
Impavidus metuenda videt præſagia Cæſar,
Captaque neglectis promovet arma ſacris.
Fortunam ſed enim, vel ſeſe conſulit unum:
Non capit à profugo præſcia fata Bove.

*Eo mortuo Sidus novum apparet.*

SIdereum repetit, cui ſe ſubduxerat, Axem:
Et quæ cælarat lumina, Cæſar habet.
Impia ſecretum manifeſtant vulnera Numen,
Stellaque per lacerum libera corpus abit.
Tranſtulit imperium Cœlo, dùm linqueret Orbem:
Par erat, ut victo vinceret Orbe Polum.
Jam conjuratæ prodeſt injuria dextræ:
Magnum, quem voluit perdere, Roma facit.

II.

# D. AUGUSTUS
## OCTAVIANUS CÆSAR.

Patris Virtutem contraxit Filius, Patre major;
Corporis forma Imperium promiſit,
Animus dedit.
Privatus Imperatori ſimilis fuit,
Imperator privato.
Doluit Patria, cùm Principem fecit;
Gaviſa, cùm habuit.
Timebat carnificem, medicum experta.
Ad bellum natus, bellum fugavit.
Motus eſt Orbis illo moto, quievit quieto.
Brevis pugna pacem peperit longam.

K Abor-

Digitized by Google

Abortum fecit Fortuna.
Jani Templum ſolus clauſit,
Muſarum ſolus aperuit.
Quibuſdam non caruit vitiis,
Vitiorum ſeverus ultor.
Quæ admittere pudebat, committere non puduit.
Hoc tantùm ſe Hominem probans,
Quòd in humana incidit.
Qui Deus habebatur inter Homines,
Cœpit Homo haberi inter Deos.
Demum Nolæ, volente fatò,
Invictus Viris, victus à Fœmina.
Obiit Sol Patriæ;
Oriens ploratus, ploratus cadens.
Diſce lector.

*Quo præſente expiraturum te putas,*
*Suſpirabis, ſi abſit.*

# AUGUSTO

*Comedenti Aquila panem rapit.*

DUm prandes tibi furtivo Jovis Armiger auſu
Ambeſas avido diripit ungue dapes.
Ab Jove conſuerat diviſam ſumere menſam;
Te ſimilem cernens, credidit eſſe Jovem.

*Dei nomen iniquè aſſumit.*

UNo bina videt miracula tempore Mundus;
Cedere Roma Deo prodigioſa negat.
Nam Deus humanos dum ſe tenuavit in artus,
Parvus Homo ingentem ſe facit iſte Deum.
Ille Deus, cùm fiat Homo, non deſinit eſſe:
Cum Deus hic fiat, non ſinit eſſe malus.
Major es ergo Deo, vel nomen fingis iniqvum,
Cæſar; non potuit, quod potes ipſe, Deus.

*Audita*

Digitized by Google

*Audita Civium clade, caput ad parietem allidit.*

TRunca videns Populi deriſus corpora Cæſar,
Aſpera ſemineci marmora fronte petit.
Silicet ultricem geniali vulnere niti
Pallada conatur: ſe putat eſſe Jovem.

*Veneno ab Uxore propinato interit.*

CRuda novercales commiſcet Fœmina ſuccos,
Cæſar, & in pateris ultima fata bibit.
Paſtus vipereis vitâ fugiente venenis,
Ad lentam properat pallidus ora necem.
Namque hoſtes rabidi, Furiarum ut maxima Regem
Perderet, orarunt: perdidit Uxor Avus.

III.

# CLAUDII TIBERII NERONIS.

In obſcuro atramento clareſcant geſta, ſi poſſunt.
Hic Liviæ Filius, Auguſti Privignus,
Matris mores tenuit, non Vitrici.
Acuto in peſſimis ingenio, obtuſo in optimis:
Dexteram Fortunam, ſiniſtram Virtutem habuit.
Triumphator aliorum ſæpè, nunqvam ſui.
Repugnante Vitrico, Matre propugnante,
Ad Imperium ab exilio venit,
In exilium miſſurus Imperium.
Tàm ſceptri amans, cùm non haberet,
Qvàm amens, cùm habuit.
Sponte ſe Roma Tyranno tradidit;
Tempori ſerviens, non Regi.
Cives preſſit, ut aurum exprimeret.
Simulatione Proteus:
Nunquam magis hoſtis, quàm cùm blandus.
Vultu amabat, hamabat manu.



Digitized by Google

Capreis marceſens Romæ aderat:
Ferro, ſi non conſilio.
Fame Nepotes perdidit, ſuæ Famæ nepos.
A Nepote tandem perditus, obiit.
Huic lætas Populus exequias fecit.
Diſce lector.

*Mores non mutat, qui gradum mutat.*

# TIBERIUS.

*Noctu videt.*

ACcipiterne rapax, metuendave Noctua furtis
Sit Cæſar, dubium eſt: eſt tamen alteruter.
Accipiter nil nocte videt; nil Noctua claro
Fuſca die: Cæſar nocte dieque videt.
Eſt utrumque igitur. Pavidæ migrate volucres;
Non vobis nox eſt, non bene tuta dies.

*Fame occidit nepotes.*

NUtrit Amyclæum Romana per antra Leonem,
Nutrit & Hircanæ Claudius ora Feræ.
Cæſaream lambit ſaturataque Vipera dextram,
Humanas capiunt lubrica Monſtra dapes.
Quæris jejunos cur perdidit ille Nepotes?
Non tantas poterat paſcere Roma Feras.

*Dùm tonat, lauro ſe cingit.*

AUdit iners, metuit ſtridentia fulmina Cæſar,
Sulphuream nimbo parturiente facem.
Quaſque ſerenato temnebat ſidere frondes,
Adjungit trepidis nube tonante comis.
Erraſti: qvin te, quia cingit Regia latus,
Regia te, Cæſar, fulmina percutient.

*Fame perit.*

ABripit expreſſis quantum petit Urbibus aurum,
At neqvit aurivoram ſolvere dente famem.

Illyriis

Illyriis gravidum ſuſpirat meſſibus Iſtrum,
Devorat optatas Cæſar, & ardet opes.
Quicquid Romanâ metitur ſine lege ſecuri
Flagrat, nec toto frangitur Orbe fames.
Deſine conſulto tua, Cæſar, Aruſpice fata
Quærere: vis dicam? tu moriere fame.

IV.

# CLAUDIUM CÆSAREM

## CALIGULAM,

Ex clade Heróum,
Ex cæde nominis, ex caligine oblivionis,
Perge vindicare Fama.
Hic in Mortis caſtris vitam habuit.
Nondum puer, jam miles,
Prius gladium vidit, qvàm Solem.
Ut Mavors ortus, ut Bacchus vixit.
Fortior infans, quàm adultus,
Præpoſteram habuit ætatem.
Tantùm ut Imperium raperet, ſui ortus memor,
Tiberio Vittam cum Vitâ rapuit.
Ejus ſanguine ſuam chlamydem purpuravit.
Regiam laurum meſſuit gladio.
Quamvis laureâ contemptâ,
Primus auream coronam geſſit:
Aurum Imperii, non laurum amans.
Deus credi voluit:
Humana vitia Deorum commendans nomine.
Immortalitatem affectavit mortalis:
At demum ſua morte mortalitatem eſt faſſus.
Nam inter milites ortus, inter milites cadens,
A milite vitam accepit, & mortem.
Diſce lector.

*Fortis eſt, non qui inter fortes naſcitur,*
*ſed qui fortiter vivit.*



Digitized by Google

# CALIGULA

*Naſcitur in Caſtris.*

CÆſar ut incluſus materno carcere ſenſit
Claſſica, non potuit tædia ferre moræ.
Intempeſtivo diſcindit viſcera nixu,
Sanguineamque petit ſanguine tinctus humum:
Ut clypeo exceptus vidit volitantia pila,
Natalem gemuit ſe celeraſſe diem.
Crediderat ſed enim pateras audire ſonantes:
Deceptum ſimili ſe videt eſſe ſono.

*Primus aureum diadema tulit.*

PRimus Appollineâ commutas fronde metallum,
Cæſar, & aurato ſtringis in orbe caput.
Non ſano capiti fragiles per tempora frondes
Non ſat erant, nodo te meliore ligas.

*De milite natus à milite occiditur.*

QUem dederant Vitæ Martís feralia Caſtra,
Eripuít vitæ Militis una manus.
Mars animum dederat, ſed cum te, perfide, Baccho
Perſimilem vidit, quod dederat repetit.

*Saturnalibus diebus addidit Juvenalem.*

FOemineas Cæſar cùm faſtidire Calendas
Cœpit, & heroam ſiſtra peroſa manum.
Saturnalitiis Juvenalia feſta diebus
Junxit, & attonitâ diſtulit Urbe jocos.
Crede, nec ingratus Juvenalia munera Civis
Accipiet: Dominum non ſinet eſſe ſenem.

V.

# CLAUDIUS
## TIBERIUS CÆSAR

Ante Imperium ſine fama fuit, quia latuit:
In Imperio infamis, quia non latuit.

Clarior

Digitized by Google

Clarior erat, ſi fuiſſet obſcurior.
Hic in angulis gladium fugiens, ſceptrum invenit.
Quem cæſum volebant Patres,
Cæſarem fecit miles.
Vecors, ſtupidus:
Stultus prudentibus, prudens ſtultis viſus.
Juris gladium tàm periculosè vibravit,
Quàm ignavè.
Calamo feliciùs quàm gladio uſus:
Avorum geſta ſuo calamo teſtatus,
Sua geſta Nepotum calamis liquit deteſtanda.
Triumphavit ſemel, pugnavit nunquam.
Timida Fortuna, uti Elephas,
Victoriam aborſa eſt.
Honores contemſit carens virtute;
Hoc tantum juſtus.
Cenſuram, Cenſore dignus,
Dominum, ſub Domino geſſit.
Liberti libertus, Uxoris ſervus,
Omnia in Imperio habuit, præter Imperium.
Uxore una occisâ, aliam habuit vindicem,
Veneno ab Agrippinâ ſublatus.
Diſce lector.

*Ignavos per vim extollas,*
*per vim deprimes.*

## CLAUDIUS.

*In latebrâ occultus, Imperator creatur.*

IMperii lucem fugiens, cœca antra ſubivit;
Et fera, quàm Princeps, maluit eſſe Fera.
Conſcia mens ſceleris pronum formidat honorem:
Ægra nequit ſceptri pondera ferre manus.
Deſine Roma Ducem nolentem velle: quid urges?
Non volet Imperium ponere, quando voles.

*In Im-*

*In Imperio vitam inertem ducit.*

FOemineâ temerata manu regalia Cæſar
Sceptra gerens, partum perdidit omne decus.
Regius illuſtrat latitantia crimina fulgor,
Quem toga cælabat, prodit aperta Chlamys.
Obſcurat claro in ſolio ſua nomina Cæſar:
Clarior in latebrâ, ſi latuiſſet, erat.

*Non exit ad pugnam.*

I, Piger, abſtruſis te vecors eripe Thermis:
Invocat ampla tuas barbara præda manus.
Hoſtibus aucta ſeges Romanis falcibus auget
Materiam: tantæ ſunt tua damna moræ.
Providus Imperii jacturam Claudius horret;
Imperium in latebris ſervat, ubi dederant.

*Plures aquæ ductus condit.*

CÆrula Romanas quæ proluit unda ruinas,
Cæſareo liquidum munere fundit ebur.
Qui Tiburtinis Anio ſubductus agelis,
Civis in Auſonias ſe ſtupet ire Domos.
Quique per infracti peregrinus vulnera montis
Transfuga Romuleâ Facinus Urbe fluit.
Et piger attonitis qui torpet fluctibus amnis,
Cæſar cuncta tuæ ſunt monumenta manus.
Erigit undarum te Principe Roma tributum:
Terrarumque caput, vult caput eſſe Maris.

VI.

# NERONIS
## CLAUDII CÆSARIS

Aude calame vel ſcribere nomen, vel projicere.
Calamis pungatur, quos gladio acuit.

Hic

Digitized by Google

Hic inter privatos optimus,
Inter Principes peſſimus:
Regno dignus erat, niſi regnaſſet.
Depreſſit illum Fortuna, dum erexit.
Molles illius mores in duris,
Induruere in mollitie.
Dum laurum acquiſivit Regiam,
Palmam amiſit popularem.
Victoriam ſceptro terruit.
Regiâ faſciâ eò tantùm uſus,
Ut maleſanum verticem ligaret.
Patriæ Dominus, non Princeps fuit.
Domum auguſtam fecit, anguſtam Urbem.
Matris viſcera quæſivit ferro;
Dubius an ferrea eſſent.
Cui occiſæ Romam fecit Rogum.
Patriam incendit, ut extingueret.
Romæ demum vitam reddidit, cùm ſuam projecit:
Nero aliis & ſibi.
Sed Injuſtus aliis, ſibi Juſtus:
Alienum ſanguinem, quem biberat,
Per ſua vulnera egeſſit.
Deſuit extincto rogus.
Ignis avara fuit Roma,
Quæ tantum ignem acceperat.
Diſce lector.

*Dedignatur terra tegere, qui terram dedignatur tangere.*

## NERO.

### *Inflammat Urbem.*

ORbem, Roma, novum metuenda potentia Regum
Te facit, ipſe tuas invidet Orbis opes.
Tranquillas Genitor dederat tibi Romulus Auras;
Saxea Telluris viſcera Tarquinius.

Claudius abſtruſis vexit tibi ductibus Undas;
Ignea ne deſint, fert elementa Nero.

*Dùm ardet Roma, Cythara canit.*

NOn patriæ Cæſar lachrymis, non igne movetur;
Amittunt vires ignis, & unda ſuas.
Dum videt ambuſtum Patriæ fumare cadaver,
Exequias hilari ſolvit honore lyræ.
Vincere Thebani tentat miracula Fabri;
Condidit ille Urbem, deſtruit iſte lyrà.

*Matris ventrem lacerat.*

MAtris ab infracto prodit Fera lubrica ventre,
Atqve oritur Lictor, Filia qvæ latuit.
Non oblita ſui Romana eſt Vipera moris.
Qvos oriens neqviit, frangit adulta ſinus:
Frangere non poterat tàm ferrea viſcera naſcens:
Fregit, cùm potuit, ferrea facta manus.

*Seipſum occidit.*

VIncere verboſi metuiſti Neſtoris annos:
Perdita, cum lacrymis, te tua Roma vocat.
Tigris erat qvi te feriit: petat ergo ſceleſtus
Tartara: Caucaſeam pectore paſcat avem.
Curſibus æternis illum rota verſa fatiget:
Tantaleam neqveat ſolvere fonte ſitim.
Non Nero (vaticinor) ſaltem morieris inultus:
Ille tuo, qvi te conficit, enſe cadet.

VII.

# SERGIUS SULPITIUS GALBA.

Elogia, qvalia libebat, audivit vivus;
Qvalia licet, mortuus audiat.

Veritas

Digitized by Google

Veritas Poſthuma Patrem non timet;
Paſiphaës Filius credi voluit,
Non Achajæ : credatur:
Non niſi ex Paſiphaë fluxit Minotaurus.
Ab Sulpitiis degener, ſuppliciis genitus,
Neroni ſuffectus eſt Nero.
Non Tyrannum amiſit Roma, ſed mutavit.
Fero Juveni, Senex furens ſucceſſit;
Immaturo, putris.
Auri Scylla, gemmarum magnes:
Fortunæ ſimulacrum coluit, à Fortuna deluſus:
Tàm Fortunæ qvàm aliis oneroſus.
Tribus Libertis regendum Sceptrum dedit.
Ne pauciores Romam, qvàm Avernum
Affligerent Furiæ.
Durus aliis, ſibi mollis;
Timorem exegit, odium elicuit:
Tàm timore dignus qvàm odio.
Milites ad alienum ſangvinem alliciens,
Ad ſuum illexit:
Et dum fictis armis mortem provocat,
Veris necatur.
Diſce lector.
*Mortem ne ſpernant, qui mori metuunt.*

## GALBÆ.

*Ad pedes, Victima ſacrificanda fugit.*

TAurus adoratas ſteterat moriturus ad aras,
Senſerat & dubiæ vulnera certa necis.
At fugiens, ſacro fœdavit ſangvine Galbam,
Geſtatus bijugis dum ſonat altus equis,
Quod petis aufugium? qualem miſeranda ſalutem,
Victima? Carnificem dum fugis, ecce petis.

*Puer, qui miniſtrabat, repentè caneſcit.*

DUm ſacra jejuno deſignat vulnera cultro,
Ante coronatum Galba cruentus ebur.

Aureus Argento mutatus canuit Infans:
Intempeſtivâ diriguitque nive.
Infelix Roma es; Galbæ ſi liqueris enſem,
Te manet arcano cana ſenecta pede.

*Bis in ſomnis offertur Fortuna.*

TE Dea velivolo quæ tranſigit æquora tergo,
Ut ſceptrum caperes viſa rogare fuit.
Inde relabentem cum jam te cerneret annis,
Se tibi rapturam, quod dedit ante, monet.
Te Juvenem, gemmisque levem Fortuna ferebat:
Ditior & Senior ſis gravis. Eſt Mulier.

*Emortui caput haſta circumlatum Saxis petitur.*

FAma eſt in gelidum conſpectâ Gorgone Saxum,
Viſcere torpenti diriguiſſe Viros.
Prodigium majus: quod ſummâ devehit haſtâ
Lixa caput, longè ſaxa animata vocat.
Infernæ majore Domus Tortore ſonabunt:
Quarta Erebum, maior Gorgone, Dira petit.

VIII.

# M. OTHO
## SYLVIUS.

Sylviorum ſylveſtris palmes.
Paterni animi tenax, pecuniæ prodigus hæres.
Auri Avidus, ut evomeret.
Quæſturam geſſit, queſturam potius.
Neronis intimus, intimè Nero fuit.
Dignus, qui Neroni ſuccederet, eſt acclamatus.
Non tamen à Nerone Regnum accepit, ut Hæres,
Quò illud furaretur, ut Nero.
Pari facto cum Nerone accepit,
Pari fato dimiſſurus.

Ære

Digitized by Google

Ære alieno obrutus,
Sceptrum accepit ne periret;
Periit, quia accepit.
Faces Civiles ſuis odiis accenderat,
Debuit ſuo ſanguine reſtinguere,
Adoleſcens in otio ſenuerat,
Senectâ non eguit.
Suorum ſcelerum ultor fuit:
Oculos ſibi priùs effodit.
Parva jactura, non utenti.
Cæcus deindè, cæcam motem quæſivit ferro:
Non tamen cæca erravit manus.
Diſce lector.

*Malis ſi deſit Carnifex, ſibi non deſunt.*

# OTHO

*Diti ſacriſans, litat: quod dirum.*

SI tua Semideûm Patri cadat Hoſtia, Cæſar,
Tabida fumoſis ignibus exta ſonant.
Si Diti cadit ante aras; jam Mulciber inſons,
Integra ſincero viſcera dente vorat.
Infelix Cæſar? vel ſint tibi Numina læva,
Vel dextra, ipſe Diis, Otho, ſiniſter eris.

*Rapax eſt alieni.*

CLaude flagellatas Mercator marmore gazas,
Othonis penetrat marmora clauſa manus.
Turbato concede mari tua lucra Britanne,
Extrahet immerſas Cæſaris aſtus opes.
Si pedibus, quantum manibus valet, Otho valeret;
Herculeas curſu vincere poſſet Aves.

*Priusquàm ſe occidat, oculum ſibi confodit.*

SOmni Sororem Vulgus ut Mortem vocat,
Dormire credit Otho, quos cogit mori,

Quin ipſe cæde Civium laſſus gravi,
Tandem repoſitis ocium telis petit.
Iſtinc ſtrepentes jam recedant Aulici:
Dormire vult; cœpit feneſtras claudere.

*Seipſum occidit.*

Mille Tyrannorum Cæſar tormenta mereris,
Et tamen eſt crimen, ſi tibi tela paras.
Te quicunque necet, pius eſt, tamen ipſe ſceleſtus
Es, ſi te ferias; eſt ſcelus eſſe pium.
Te damnat Cœlum, te conſcia Tartara damnant,
Es reus, at lictor non potes eſſe tui.
Quàm malus es Cæſar? quæ te pia Numina luſtrent
Crimine? ſi pietas te facit ipſa Reum.

IX.

# AULUS VITELLIUS,

Se à Fauno originem trahere putavit.
Jure quidem;
Niſi ille Semifer fuiſſet, hic totus Ferus.
Adoleſcentiam ne quæras:
Capreis in ocio perdidit.
Ætas virilis notior fuit, non melior.
Auri ſuccinum, aurum etiam de Templis traxit.
Diis auferens, qvod Scortis daret.
Præſes ſceleſtorum, præſidium ſcelerum:
Famam fœdavit Filii ſangvine.
Imperium ex Othonis cinere collegit:
Qvæſitum diu, mittendum citò.
Vitæ diſpendio parvum mercatus compendium.
Cæſaris nomen recuſavit:
Cæſarianæ virtutis augurium fugiens.
Perpetuò Conſul, perpetuò inconſultus.
Fami non Famæ conſuluit.
Diis ſacra, gulæ ſacrabat.
Fucus Imperii frugem perdidit:

Ut

Digitized by Google

Ut fucus in purpuræ Roſa citò periit.
Statim privatus Imperio,
Qui ſemper in Imperio privatus fuit.
Per Urbem raptus, riſum inſanis dedit moriens.
Qvi ſanis lacrymas dederat vivens.
Morti ſacratus Vitulus, ut Martem placaret.
Diſce lector.

*Imperium vel mali adeunt:*
*boni tenent.*

# VITELLIUS

## *Mendaciſſimus eſt.*

CUm gereret tumido te, Cæſar, viſcere Mater,
Qvid gereret fertur conſuluiſſe Deas.
Juno, *Vir*, inqvit, *erit: non Vir, ſed fœmina*, Pallas.
Utraqve decepta eſt, ſemivir ille fuit.
*Haud reget*, hæc, *regnum; regnum reget*, altera dixit.
Utraqve decepta eſt, haud regit, haud regitur.
Prima, *peribit aquis: ſiccâ*, hæc, *tellure peribit.*
Utraqve decepta eſt, cæno humilis periit.
Qvem non decipiet duplici Vitellius ore,
Præſcia ſi potuit Numina decipere?

## *Capiti Gallus in Foro inſedit.*

AUſoniæ dum jura dabat Vitellius Urbi,
Imminuit capiti nuncia Solis Avis.
Inſidias cave diſpoſitas; tibi tela parantur;
Nam vigil hæc volucris nunciat, ut vigiles.

## *Ad ſcalas Gemonianas occiditur.*

RAptus ad infames Gemoni ſangvine ſcalas,
Improbe, Romani ſcena furoris, obis.
Oh, tibi qvi ſimilis Regnum conſcendere tentat;
Regia per ſimiles ſurgat ad Aſtra gradus.

*In*

Digitized by Google

*In Tiberim projicitur.*

PHœbéum Phaëton ſe credidit eſſe nepotem,
Aulus item ſobolem ſe putat eſſe Deûm.
Ille furens patrii petiit moderamina Currus,
Hic periit Patriæ flectere fræna ſuæ.
Ille animam Eridanâ flammaſqve extinxit in unda,
Sorte pari Auſoniis mergitur Aulus aquis.
Hoc variat ſortem: lacrymat Phaëtonte cadente
*Populus*, exultat, dum perit hic, *Populus*.

X.

# FLAVIUS VESPASIANUS CÆSAR.

Tertius Divus, Secundus Auguſtus, Primus Pius,
Afflictæ Urbi tandem datus,
Solus præceſſore melior.
Solus ad Imperium evaſit, non invaſit.
Solus è vita diſceſſit, non fugit.
Romam Romæ reſtituit, ſanam fractæ.
Dignitatem Imperio dedit, cùm accepit.
Patriæ verus Parens, quia verus Filius.
Templum Pacis excitans, Templis pacem reddidit:
Ad ſpectacula Theatrum dedit:
Spectaculum ſe ipſo nobilius dare non poterat.
Dignus ſpectari, qvem cæci etiam ſpectarunt.
Dignus Imperator, qvo jubente claudi currebant.
Iniqvis æqvus;
Injuriarum morſus linivit oblivione.
Hieroſolymæ ut fores clauderet,
Jani fores aperuit.
Ut pacem pareret, nupſit Bellonæ,
Sceptri caduceo Pacis ſomnum induxit,
Somnum indixit ocii.
Sed heu; ſerò datus, citò rapitur.

Ceſſit

Digitized by Google

Ceſſit divino Fato, qui exceſſit humana facta.
Stans Obiit:
Mortem terruit, cùm animam afflavit.
Diſce lector,

*Principem decet ſtantem mori.*

# VESPASIANUS.

## *Amphitheatrum condit.*

QVis? quis Erythræis animat properantia ripis
Marmora? quò rupes, nudaque ſaxa volant?
Oceano mirante Paros procul innatat omnis:
Currit in Auſonium terra Pelaſga Mare:
Heu, quæ Romuleâ moles ſeſe erigit Urbe?
Proxima marmoreus ſidera pulſat apex.
Naufraga ſidereæ minitatur machina puppi:
Pallidus & Pavidos Sol retroëgit Equos,
Vel tua, vel ſuperûm ſunt hæc miracula, Cæſar;
Orbis in antiquo conditur Orbe novus.

## *Comicos reſtituit.*

REddidit Auſoniis ſcurrilem Cæſar arenam,
Salſaque proſcriptis perſtrepit Aula jocis,
Provocat alba chelys chordacem carmine ſaltum,
Prima theatralis jura Bathyllus habet.
Migret Oreſtæus; Tragicae concedite Muſae:
Luctus abi. Regnum Veſpaſianus habet.

## *Portentum vidit.*

Aëra per vacuum cernis pendere bilancem
Ante Palatinas, Veſpaſiane, fores.
Sanguinis una tenet ſitientem Concha Neronem;
Altera te innocuum pendula Concha tenet.
Par onus utrinque eſt; penderis lancibus æquis;
Tàm ferus es Cæſar, quàm fuit ille pius.



Digitized by Google

*Viſo Cometâ crinito jocatur.*

QVi rubet infauſto Fecialis crine Cometes,
Barbaricum Regem, cui coma longa, vocat.
Sic raſus loquitur, fallens ſeſe omine Cæſar:
At Vatem occidit flammea ſtella ſuum.
Flava hæc Cæſaries Flavi eſt tibi noxia, Cæſar.
Odit enim raſum Stella comata caput.

XI.

# TITUS VESPASIANUS CÆSAR.

Flavii Veſpaſiani imago,
Patriæ ſe Patrem pro Patre dedit.
Ante Imperium ignavus, moleſtus, crudus.
In Imperio gnavus, modeſtus, clemens.
Relictos Patris mores in ſolio invenit:
Vapor clarus, ſtella fulſit.
Exuit animum, cùm purpuram induit.
Lupus invaſit Regnum, evaſit Paſtor.
Prius aurum omne voluit, qvod amavit,
Tùm illud donavit, qvod voluit.
Prius ferro corpora,
Tùm auro animos figere didicit:
Munis officiis in immunes officii.
Patris incæpta perfecit Patri,
Hieroſolymam victam,
Victimam ſacravit Famæ.
Suum ſcripſit nomen, cùm Urbem delevit.
Tanto animo breve Imperium fuit:
Quod diu meritum biennio liquit.
Breve Regnum cupiebat Roma
Cùm Regem accepit.
Longum cupiit cùm amiſit.
Diſce lector.

*Non ſemper Fortuna non mutat mores.*

TITUS

Digitized by Google

# TITUS.

## *Imperio accepto fit melior.*

CRudus eras, Cæſar, privatâ degener aulâ:
Ductus ad Imperium mitis es, & melior:
At tuus imperii Clemens in limine Frater:
Protinus excelsâ crudus in Arce fuit.
Virga Caducéæ compar eſt Regia Virgæ,
Efferat hæc mites, mitigat illa feros.

## *Templum Hieroſolymitanum inflammat.*

HEu, quæ bachantem frænabunt æquora flammam?
Naſcitur in Templo depereunte Rogus.
Frigida Romanæ ſerpunt per marmora tedæ:
Nulla homines flectit victima, nulla Deos.
Flamma profana ſacrum conatur perdere Fanum:
Machina in exiguum magna cadaver abit.
Splendidus Iſacidum Cæſar cupit eſſe Sacerdos;
Non tantum Vitulos, integra Templa litat.

## *Bis venenum bibit, primò impunè, ſecundò obiit.*

HOſtili medicata manu cùm cæcuba ſorbet
Titus, inoffenſo viſcere monſtra bibit.
Intrepido attonitus ſub pectore torpuit Aſpis:
Immemor ipſa ſui Mors alimenta dedit.
Fraternâ medicata manu cum cæcuba ſorbet,
Irruit in tumidum vipera fuſa jecur.
Per cava ſerpit hyems venarum clauſtra: repertis
Mors ſubit auxiliis; victaqve vita fugit.
Diſce novum virus: cùm non vis ulla veneno eſt,
Iratam Fratris, Theſſala, qvære manum.

## *Statim, ab Imperio, accepto obiit.*

AUrea regalis tetigit cùm pondera ſceptri
Mortiferâ Titus falce reciſus obit.
Vitam Vitta fugat: Cupreſſo laurea cedit:
Degener ad feretrum purpura, pompa fuit.

M 2 Invida

Digitized by Google

Invida tam rectum viderunt Tartara Regem;
Ut regeret Manes hunc petiere ſuos.

XII.

# FLAVIUS DOMITIANUS.

Ex Flavio Veſpaſiano,
Sub malo punicâ natus ad malum publicum.
Qvàm malos ramos bonæ radices agunt?
Felix Genitor erat, tam fœcundus ni fuiſſet.
Hic anteà fortis, in Regno marcuit,
Purpuram Neſſi ſangvine tinctam induit.
Capitolium intravit ſemel, non ductus, ſed pulſus.
In Theatro Bellator, ſpectator in Campo.
Fratrem ſuſtulit, ut ſe extolleret.
Gemuit rurſum Roma,
Inducias experta, non pacem.
Sub Principe legibus vincto, reſpiravit ſoluta:
Sub ſoluto, vincta fuit ſerva.
A Fratre uno vitam,
Mortem ab altero accepit Imperium:
A Patre medicinam, & vulnus.
Scena interdixit Hiſtriones,
Solus Hiſtrio daturus ſcenam.
Hoſtibus Muſca, Muſcis Hoſtis fuit.
Neqvitiam pervidens ſuam,
Gladium prævidit, non vitavit.
Diſce lector.

*Præviſa Mors malos terret, non corrigit.*

## DOMITIANUS.

*Muſcas venatur.*

Terribili armatus jaculo, volitantia Cæſar
Agmina Muſcarum provocat, urget, agit.

Pugnat

Digitized by Google

Pugnat nigra Phalanx: telum gerit ore, tubamqve,
Ipſa ſibi telum, dux, eqves, & lituus.
Cæſareæ ſedenim ſuccumbit copia dextræ:
Parvaqve non parvum corpora vulnus habent.
Apula nativis ſpoliantur compita monſtris,
Muſcarumqve genus perdidit una manus.
Qvin domitis de more Feris jam Cæſar ovaſſet,
Sed qvæ axem traheret Muſca nec una fuit.

*Vites recidi jubet.*

SOla Ceres profugo luget viduata marito:
Negligis arentes pectere flava comas.
Vitiferum prohibet frondeſcere Cæſar Jacchum,
Pulſus ab Auſonio margine Liber abit.
Silicet humano ſe poſtqvam ſangvine Cæſar
Proluit, iſta ſitit pocula, vina fugit.

*Ante obitum, Cornix loquitur.*

HOrrida Tarpejo crocitans in culmine Cornix;
Edidit humanos prodigioſa ſonos.
Prodigiis turbata novis exhorruit Aula;
Et diram volucrem, Domitiane, paves.
Ah! metuis, Fera cum loquitur? miracula, Cæſar,
Tam conſueta times? non tu etiam loqueris?

*EPITAPHIUM.*

EXciſa truncis germina immerſit ferox,
Hydrâ ſuperbior, Virorum Carnifex.
Cæſar fuit cædens, dein cæſus perit.
Horret calentem ſtrage marmor: poſtquam eum
Mors hic momordit, reddita eſt crudelior.

Digitized by Google

# PUBLICÆ PRINCIPUM RECEPTIONES.

## CHRISTIANÆ ALEXANDRÆ, SVECORUM REGINÆ,

*Auguſtam Taurinorum ingredientis*

RECEPTIO.

XVII. KAL. NOVEMB. ANN. MDCLVI.

AD Urbis Auguſtæ Portas, ubi *Thronus* eminebat, cum Regia hæc Majeſtas, Regali Celſitudine comitante, perveniſſet; ab Emmanuele Theſauro, Civium nomine (ex præcepto Domini) gratulatoria Oratione excepta fuit. Argumentum duxit Orator ab ea lætitiâ, quam Romana ſenſit Reſpublica, cùm regnante Claudio, Romam ſuâ ex Arabiâ *Phœnix Avis*, Orbis Eoi miraculum, advolavit: quam diem, maxima felicitatis præſciam, publicae Faſtorum tabulæ, ac privatæ Scriptorum paginae celebrarunt. Majore verò plauſu, ac ſolidiore felicitatis præſagio ſignandam, celebrandamque Diem iſtam demonſtravit; quâ ſub Alexandri Septimi, Protoparentis Sanctiſſimi auguratu, admiranda hæc fauſtitas toti Orbi Chriſtiano divinitùs aſſervata eſt: ut vera *Reginarum Phœnix*, Divino renovata Flamine, Romanam Eccleſiam univerſam, jucundiſſimo ſpectaculo recrearet.

### *TRIUMPHALIS ARCUS.*

Eandem eruditionem idem Author, in triumphales apparatus continuavit: nobilius quippè argumentum, magiſque proprium excogitari vix poterat. Ibi itaque, ubi perpetuam nobilioremque viam ampliſſima excipit antè Regias ædes Area, ingens patebat *Arcus*, cujus faſtigium, geniali ex Rogo rediviva inſidebat Phœnix: aureo redimita diademate; aureoque circa collum radiata torqui, Phœnicià

Digitized by Google

Phœnicia purpurâ (unde illi nomen) rutilantibus pennis: prorſus ut à Phyſiologis deſcribitur Phœnix. Infrà Phœnicem, ingens *Tabula*, his inſcripta literis, anterioris Arcus ſententiam explicabat.

[*1. Plin. lib. 10. Solin. Suidas.*]

PHOENICEM VISERE QVISQVIS AVET,
HUC EAT.
HANC MOLLI IN ARABIA NIDULARI,
FABULA EST;
IN SVECIA NASCITUR.
REGNANTE CLAUDIO ROMÆ VISAM,
NE CREDAS.
ALEXANDRO SEPTIMO AUSPICANTE
ROMAM PRIMUM ADVENTAVIT.
UNAM ESSE TANDEM QVI PUTAT,
MALE COMPUTAT.
REGNANTUM, SAPIENTUM, BELLATORUM,
VIRAGINUM PHOENIX,
QVADRUPLEX, ET UNICA EST PHOENIX
**CHRISTIANA ALEXANDRA,**
**MAGNI GUSTAVI FILIA.**

In intercolumnaribus Scaphis quatuor, totidem *Simulacra*, Reginæ laudes, quas Inſcriptio curſim attigerat, exprimebant. Primum Simulacrum *Regiam Majeſtatem*, hoc Titulo, JUNONI REGNATRICI. Secundum, *Sapientiam*, hoc Titulo, DIANOEÆ OMNISCIÆ. Tertium, *Bellicam Virtutem*: PALLADI BELLIPOTENTI. Poſtremum, *Pudicitiam*, ASTREÆ VIRAGINI.

Singulis autem Simulacris *Symbolum* appoſuit pro Emblemate: *Regiam Majeſtatem* ſignificabant *Coronæ tres aureæ*, invicem nexæ, cum dicto, MENS SUFFICIT UNA: quo Symbolo tria Junonis Regna, tria item Regna, Reginæ hujus imperio ſubjecta, prudenterque adminiſtrata, innuebantur. *Sapientiam* verò, *Cycbnus* intra *Oleaginam Corollam*, cum *Horatiano* dicto: DOCTARUM PRÆMIA FONTIUM. *Bellicam laudem*, *laurea Corolla*, in quâ *Jovis Ales* fulmineam complexa facem; cum *Lucani* dicto: NON UNIS PARTA TRIUMPHIS. *Pudicitiam* denique perpetuus ille munditiæ cultor, quem *Armenium Murem* eruditiores, Armelinum Barbari vocant; cum *Horatii* dicto: INTAMINATIS FULGET HONORIBUS.

Altè appenſa *Reginæ ſtemmata* eminebant: hinc inde *Stemma Taurienſis Auguſtæ*. Cætera ſpatia *Trophæorum faſces*, ad *Regium decus*, ad *Doctrinam*, ad *Militiam*, ad *Pietatem* pertinentium complebant.

*TRIUMPHALIS ARCUS POSTICUM.*

Conſimilis Architecturæ diſſimilis erat ornatus, atque ſententia, quam Inſcriptio ſignificabat hic literis: ADA-

ADAMANTINUM DEPANGE CLAVUM,
TAURINORUM AUGUSTA:
DIEMQUE MEMORABILEM
ÆTERNIS INFIGE FASTIS.

CHRISTIANA ALEXANDRA
SVECORUM, GOTHORUM, WANDALORUM,
REGINA TER AUGUSTA,
TRIUMPHALE HOC INGRESSA LIMEN,
TRIA REGNA IN TRIUMPHUM RAPUIT,
A SE ABDICANDO.
MAGNO ALEXANDRO MAJOR ALEXANDRA.
ILLE ALIENA OCCUPANS REGNA,
COELESTIUM REGNORUM DESPERATIONE FLEVIT:
HÆC, COELESTIA UT ACQUIRERET,
ABJECIT SUA.

*Simulacra* quātuor, quaternas *Virtutes*, quæ memorabilem illām Reginæ abdicationem comitatæ ſunt, referebant: *Religionem*, *Prudentiam*, *Gloriam*, atq; *Conſtantiā*.

Singulis autem Virtutibus ſuum reſpondebat *Symbolum*. Religioni, *Paradiſi Avis*, ab *Scaligero* & *Cardano* deſcripta; perpetuo gaudens æthere; quam unam Terreſtris Paradiſi ferunt eſſe incolam. Additis literis, SOLI DEO.

Prudentiæ, *Apis* à Salomone in exemplum propoſita: *Virgilianis* de Ape inſcripta verbis: FATO PRUDENTIA MAJOR.

Gloriæ, *Clara Solis Fax*: addito lemmate, NULLA EST NESCIA TERRA: ex *Ovidiano* carmine,

*Nullaque de facie neſcia Terra tua eſt.*

Quo præclarum illud Reginæ facinus, Orbi univerſo conſpicuum, & Servatoris præcepto conſonum, exprimitur: *Sic luceat lux veſtra coram Hominibus. &c.*

Conſtantiæ demum, quæ innumeris implexiſque difficultatibus, à propoſito dimoveri non potuit; Solida, atque inter fluctus inconcuſſa Rupes, IPSA IMMOTA MANET: ex *Virgiliano* verſu

*Vim cunctam, atque minas perfert Cælique, Mariſque:*
*Ipſa immota manet.*

Hic idem Arcus, qui Reginæ triumphānti patuerat, omni elegantiā, atque magnificentiā petornatus, in feſtivo flammarum apparatu, crebris luminibus ſtellatus primūm emicuit; lætaſque demum in flammas abiens, ex Firmamento Empyrium fecit.

CARO-

# CAROLI EMANUELIS
# ET
# FRANCISCÆ à FRANCIA,
## REGIORUM CONJUGUM,
## PUBLICA RECEPTIO,
### *Auguſtæ Taurinorum Prid. Id. Majas* M. DC. LXIII.

MUltæ quidem atque diſſimiles in hac Pompâ exurgebant *Moles*: omnes tamen, jubente Principe, unius Authoris hujus ingenio animatæ: ac ſingulæ Argumentum ſuum in Titulo præferebant, hoc Ordine.

*PRIMA MOLES*

## AUREUM SECULUM.

*Triumphalis* hic erat *Arcus*, ab Regiæ Cameræ Quæſtoribus erectus, ducentis ab Urbe paſſibus, adventantibus citima Moles: cujus argumentum Author peregrinâ ex eruditione quæſivit. Ut enim celeberrimum Auguſti Cæſaris, ac Liviæ Druſillæ Conjugium, Ætatis Aureæ, novique Seculi Inſtaurationem Romani vocavere; ac proindè Auguſtum *Saturno*, Liviam *Aſtrea*, *Aurei Seculi* Antiſtitibus compararunt: ecquid aliud Auguſto ex hoc Conjugio, poſt innumerabiles bellorum calamitates, Regio Ærario Præfecti augurarentur, quàm *Aureum Seculum*, propriam ſui Magiſtratus materiam? Accedebat *Aureorum Liliorum* Sabaudo in Solo renovata inſitio: & locus ipſe liber & amœnus, ubi ſita erat Moles, ampla in Via, arboribus utrinque conſita, & vernantibus incluſa ſuburbanorum Hortorum viretis; arridente præſertìm jucundiore Anni tempeſtate, adeò publicæ felicitati omnia complaudebant. Hanc igitur ſententiam in anteriore Molis fronte ſuſpenſa ſignificabat *Inſcriptio*.

CAROLI EMAN. ET FRANCISCÆ A FRANCIA,
SAB. DUCUM, PEDEM. PRINCIPUM, CYPRI REGUM,
OPTATISSIMO EX CONJUGIO;
ÆTATIS AUREÆ
REDIVIVAM SIBI, AC POPULIS FELICITATEM,
REGIA COMPUTORUM CAMERA,
HAC FIDELITATIS, OBSEQVIIQ. TESSERA,
LÆTABUNDA OMINATUR.

Inſcriptionem hanc nullis infuſcatam coloribus appoſitè Author voluit: ex quà reliquæ lumen eſſent mutuaturæ. Tota igitur Moles, quæ duplici proſpectu, latiſque lateribus, antiquam Triumphalium Fornicum Majeſtatem, architectonicâ elegantiâ, & proceritate, propemodùm vicit: ad ſingulas *Ætatis Aureæ* beatitates ominandas, omni ſui parte referebatur.

Inferiora itaque intercolumnia, geminum *Saturni* atque *Aſtreæ Simulacrum*, juvenili ſpecie, Regioque cultu intercipiebant, quibus Romani Auguſtum ſuum atque Liviam, Aurei Seculi Inſtauratores adumbrarunt: noſter verò Author *Carolum*, & *Franciſcam*: quorum vultus in Simulacrorum vultu ſpirabat. Utrique Simulacro utrumque *Virgiliani* carminis emiſtichium, ad Auguſti ac Liviæ connubium alludentis, accommodavit: *Aſtréæ*; JAM REDIT ET VIRGO: *Saturno*; REDEUNT SATURNIA REGNA.

In ſuperiore Arcus ſpatio ingens Tabula *Prométhei fabulam* expictam dabat; qui Primus, Homines Ætatis Aureæ Progenitores, Solaribus favillis, veluti Cœleſti Divûm ſemine, animavit: atque ut Fabulam, ità Epigraphen ab *Ovidio* petiit: *COELESTI SEMINE DIVUM*, *AUREA PRIMA SATA EST ÆTAS*. Cujus Ætatis Auſpices indicabantur *Deucalion* atque *Pyrrha*, pientiſſimi conjuges, de quibus idem Poëta:

*Non illo melior quiſquam, nec amantior æqui,*
*Vir fuit: aut illâ reverentior ulla Deorum.*

## *Averſa Molis facies.*

In hac, felicitatem eandem auguratus eſt Author, *Aureorum Liliorum* Argumento, quæ jam decies, Sabaudâ in Familiâ, Regalibus Conjugiis conſita, uno tempore in Chriſtianæ Matris, & Franciſcæ Conjugis Inſignibus, efflorеſcebant. Ut non abſurdè Regiam ipſam Domum, Amœniſſimum Florale, Aureumque Lilietum liceat appellare. Igitur editiore in Tabulâ, *Heſperidum Hortus* pingi voluit, ubi non Aurea tantum Mala, ſed *Aurea* etiam *Lilia* germinaſſe Poëtæ tradiderunt: multoſque *Amores* atque *Genios* appinxit Hymenei Alumnos, Aurea carpentes ex areolis Lilia, & *Sabaudis Nodis* in Coronamenta complicantes. Suſcriptio *Babtiſta Egnatii* Carmine: quo nullum expreſſius. *AUREA IN HESPERIIS RADIARUNT LILIA CAMPIS.*

Itaque ſi Aurea in Ætate,

*VER ERAT ÆTERNUM; placidique tepentibus auris*
*Mulcebant Zephyri natos ſine ſemine Flores.*

Longè feliciorem hâc Ætatem indicabat pretioſus atque multiplex immortalium Florum germinatus.

Neque minùs argutè, in hanc ſententiam, præcipua luſit *Inſcriptione*, quam abſolutiſſimo ex Anagrammate, nexis utriuſque Sponſi Nominibus, derivavit hoc modo:

CARO-

Digitized by Google

# CAROLUS EMANUEL, ET FRANCISCA.

*Anagramma Epithalamicum.*

## CANAM: FLORES LUCESCANT AUREI.

*Epigramma.*

SI LÆTA FLORES, TERRA PERPETUOS TULIT,
ASTRÆA RERUM PRÆSIDE:
BEATA REGI SECULA ALPINO AUGURAT
ASTREÆ ACCESSUS FRANCIÆ.
HINC, NOMINA ILLIGANDO, PRÆSAGUS CANAM:
FLORES LUCESCANT AUREI.

In Inſcriptione *Ænigmatium* Conjugialis Amoris pendebat *Symbolum*, initialibus utriuſque Nominis Characteribus Liliato *Sabaudiæ Nodo* connexis: cum hoc dicto: (1) *INSCRIPTI NOMINA REGUM NASCUNTUR FLORES.* Ad *Virgilianum* reſpiciens Ænigma de Hyacinthi Flore, in quo Regis Ayacis Nomen, duarum literarum complexu, indicabatur. Aliis quoque in *Tabellis Aurea* gliſcebant *Lilia*, cum Inſcriptione: *SEMPER LILIA FLORENT*, &, *SEMPER IDEM FLORIBUS EST HONOS* (contra *Ovidianam*, & *Horatianam* ſententiam; *Non ſemper Lilia Florent. Non ſemper idem Floribus eſt honos.*) Planè ut in Aureo ſeculo, ſemper vivida.

Hac quoque in fronte, duo *Simulacra* inter inferiores Columnas erecta, duas itidem Ætatis Aureæ felicitates referebant: alterum *Pacis*, Oleâ redimitæ, atque Arma Proculcantis, cum Epigraphe: (2) *NON GALEÆ, NON ENSIS ERANT.* Alterum *Ubertatis*, quæ Magnæ Matris imagine, fruges effundebat, cum Epigraphe: (3) *PER SE DABAT OMNIA TELLUS:* Utraque namque felicitas tumprimùm Subalpinis erat redonata. Dum item *Simulacra* ex utroque latere ſeſe offerebant; alterum *Fidei*, alterum *Securitatis*: utrumque ejuſdem Poëtæ verbis ſignatum: *SINE LEGE FIDEM, RECTUMQUE COLEBANT, NULLAQ. MORTALES PRÆTER SUA LITORA NORANT.*

Denique *Veſtibuli parietes*, eleganti picturâ duas reliquas Aurei Seculi voluptates explebant. Hinc *hilares Paſtorum Nympharumque Choréas*; adſcripto ejuſdem Poëtæ Carmine: *MOLLIA SECURE PERAGEBANT OCIA GENTES*: Illinc *Arbores dulci fluore ſpontè ſcatentes*, quo cados atque capedines implere cuique gentium licebat: (4) *FLAVAQUE DE VIRIDI STILLABANT CORTICE MELLA.* Itaque una hæc Moles integrum continebat Epithalamium; dignumque triumphanti Hymenæo pandebat Arcum.

(1) *Virgil.* (2) *Ovid. Met.* (3) *Ibid.* (4) *Ibid.*

## *SECUNDA MOLES*

# JUNONIS PRONUBÆ TEMPLUM.

Secunda hæc *Moles*, Subalpinorum ſumptu, in extero Pomœrio ante Portam Novæ Urbis occurrebat: quæ ab imo ſolo in quadrilateram excitata formam, arcuato laterum curvamine quaquaverſus apertam formabat Porticum: at ſupernè concamerata, in octangulam & columnatam creſcens Teſtudinem, faſtigato cacumine deſinebat: mirum, quantâ majeſtate ac pulcritudine.

Et quanquam Regiis conjugibus deſtinatus hic erat *Thronus*, ad excipienda celſo è Solio omnium Ordinum obſequia, feſtaſque gratulationes: Author tamen, ne quid myſterio aut eruditione careret, *Auguſtisſimum nuncupare* voluit *Junonis Pronubæ Templum*: ut *Chriſtiana à Franciâ*, Regiæ Parenti, plauderent Populi; quæ Regalium Nuptiarum Auſpex fuerat & conciliatrix. Ita enim Adrianus Cæſar, in honorem Plotinæ Auguſtæ, cujus operâ Sabinam duxerat Trajani Neptem, celeberrimum JUNONI PRONUBÆ Templum dedicavit. Hoc igitur ſuum Cogitatum anteriore declaravit Inſcriptione.

TIBI, AUGUSTA PARENS, AC PRONUBA JUNO,
QVOD CAROLI ET FRANCISCÆ
REGALI NODO TER INENODABILI,
NUTANTEM FAMILIÆ, REGNIQ. FORTUNAM,
OLIM FORTISSIME CONSERVATAM,
FIRMISSIME COLLIGASTI:
SUBALPINÆ GENTES GRATIAS AGUNT:
TEQVE EX JUNONE, LUCINAM ROGANT.

Nam éadem Deûm Regina, quæ cùm Nuptiis præeſt, *Juno* dicitur; cùm deindè parturientibus aſtat, *Lucina* nomen aſſumit.

### *A dextro latere alia Inſcriptio ſic habebat.*

MACTE TUIS NODIS, SANCTISSIME HYMEN,
QVI CAROLUM ET FRANCISCAM,
COELESTES ANIMAS, UNO CAPTU IMPLICUISTI.
AT MAJORNE TUA, AN AMORIS GLORIA?
VINCIRI FACILE POSSUNT, QVOS AMOR VICIT.
QVIN GEMINA TIBI DEBETUR GLORIA.
QVOD UNO NEXU AMANTES EXUISTI, ET AMOREM:
UT, AVOLARE SI VELIT, NEQVEAT: SI POSSIT, NOLIT.

A lævo latere, ad locum propè Eridanum Inſcriptio alludebat:

O LÆ-

Digitized by Google

O LÆTA FATORUM ANTISTROPHE!
UBI TAURINÆ URBIS REX PHAETON
LUCTIFICÆ DEVIUS AURIGA LUCIS
PRÆCIPITEM IN ERIDANO SOLEM SUBMERSIT;
FELICIOR PHAETONTE REGNATOR CAROLUS,
ÆTHERIO CLARIOREM ADVEHIT SOLEM.
ERGO UBI EXTINCTUM ILLUM POPULI FLEVERE,
HOC AFFULGENTE, GESTIUNT POPULI.

Ambiguâ *Populi* vox, priore loco Arbores, poſteriore Populum ſignificat, qui Molem dedicavit.

Omnes igitur Templi partes, eandem *Junonis Pronubæ* allegoriam inſiſtebant. Porticum ſuſtinebant ingentes Pilæ *Telamónum* & *Caryátidum* ſpecie. Ac ſingulæ Pilæ bicorpores, Telamónem & Caryátidem, Virum & Matronam, alterâ manu ſeſe invicem complexantes, alterâ Epiſtylium ſuſtinentes, repræſentabant: quaſi in Junonis pronubæ Delubro, inanimes etiam Columnæ jugali fœdere ſociarentur.

Summâ in Teſtudine, *Juno Pronuba* (in qua Chriſtianæ Matris effigies expicta erat) aureo in Curru à Pavonibus delata, Sabaudum Nodum jugale, ſuâ manu è Floribus contextum, intextis Conjugum Nominibus, Hymenæo porrigebat. In Inſulâ, *Virgilii* verba de Junone Pronubâ, legebantur: CUI VINCLA JUGALIA CURÆ.

Circà Templum, *Tabulæ* octo, Regalia Conjugia totidem, Junonis auſpicatu celebrata, iconicè continebant; ſculpturam imitante picturâ. Primum, quo Juno ſupra Nubes *Heben*, Filiam ſuam, Juventæ Deam, *Herculi* jungit, aſtante Jove: cum Inſcriptione: PAR SINE PARI. Alter enim ſtrenuitate, altera pulcritudine, incomparabiles. Talem Tabulam idem Adrianus in Junonis Pronubæ Templo dicavit, ut felicitatem Nuptiarum ſuarum cum Sabinâ, Plotinæ miniſterio, ſignificaret.

Secundum, Conjugium *Pélei* cum *Thétide*, Juno altera manu utrumque inaugurat, nexando: altera Diſcordiam abigit Deam, feliciores Caroli, quam Pélei, Nuptias ominata. Idque appoſita ſignabant Verba: CORDA RELIGAT, DISCORDIAM RELEGAT.

Tertium, *Orphei* cum *Euridice*: additis *Ovidii* Verbis: AMOR POST FUNERA VIVIT. Orpheus enim extinctam erga Conjugem inextinctos amores teſtatus eſt.

Quartum, *Perſei* cum *Andrómede*: MERUIT, QUÆ VINCULA SOLVIT. Nam Perſeus Regiam Puellam, marino expoſitam Monſtro, vinculis exſolvit, illique ab Hymenæo devinctus eſt.

Quintum, *Ulyſſis* cum *Penélope*: MORA PROBATUR AMOR. Nam pudica Matrona, diuturnam Viri abſentiam atque naufragii famam, conſtantisſimo amore perferens, Procorum importunitatem eluſit.

Sextum, *Céphali* & *Prócridis* Erichtei Regis Filiæ: UNI SERVOR, UNI SERVO. Nam rapto Conjuge, multorum Principum votis expetita, conſtanti hac ſemper voce reſpondit:

*Uni Servor, ubicumque eſt*: *Uni mea gaudia ſervo.* Ovid.

Septimum, *Céycis* Thraciae Regis, cum *Alcione*: NIL HÆC CONNUBIA TURBAT. Nam etiam poſt Fata in Aviculas mutati, connubialem fidem tanto Cœli favore ſervant, ut ipſo brumali tempore, in earum nidulatione, venti ponant, mare detumeſcat. Undè dies Alciónii.

Ultimum, *Philémonis* cum *Baúcide*: POTIUS MORTE JUNGI, QVAM VITA DIVIDI. Verba ſunt *Maximi Valerii* de Conjugali Voto: ad Philémonem & Baúcidem ab Auctore noſtro accommodata: qui ab Jove Hoſpite, quicquid rogaſſent, impetraturi, hoc tantum rogavere, ut ne alter alteri ſuperſtes eſſet.

In laqueariis, aliisque Templi ſpatiis, Regalia *Conjugum Nomina*, *Sabaudo Nodo* implicata; Symbolicorum Ænygmatum (quos *Gryphos* Latini, Barbari *Cifras* vocant) miram varietatem pepererunt. *Sabaudus* autem *Nodus*, qui à Priſcis *Herculeus* dicebatur, laqueis duobus, adverſim ſeſe amplexantibus, figuratur; quaſi laqueus laqueum capiat, vero Conjugii Symbolo: qualem Nodum, à Junone Pronubâ ambabus manibus conſtrictum, in Mammeæ Auguſtæ Numiſmatis obſervarunt. Singulis autem Nodis, materiâ, non figurâ diverſis, Inſcriptionem ſubjecit, ad Heroicarum argutiarum exemplum:

Primus Nodus erat ex duobus *Anguibus* compactus, eo modo complicatis, quo in Mercurii Caducéo, quem *Mercurii Nodum* vocant, *Concordia* Symbolum. Itaque in Inſulâ Titulum ſcripſit ex Propertio: CONCORDIA FELIX.

Aliud, ex implexa *Unionum* linea, cum dicto: PRETIOSIOR OMNIBUS UNA: Nimirum, ut Conjugalem hanc *Unionem* omnibus Indi, & Erythræi Unionibus anteferret.

Aliud, ex *Adamantino Monili*: NEC FERRO, NEC IGNE. Ut infragilia Gigantum Vincula vocavit *Statius*, *Solidoque intenta Adamante.*

Aliud, ex geminis *congruentium Palmarum* ramis: IN MUTUA FOEDERA. Sentiunt enim alternos amores congeneres Palmæ: ex *Claudiano*: *Vivunt in mutua Palmæ Fœdera.*

Aliud ex geminis *Lauri ſurculis*: NEC FULMINA SOLVENT. Sola enim laurus fulgure ici non creditur.

In alio, *Anchoræ* duæ, complicatis rudentibus Sabaudum formant Nodum: UTRINQVE SECURITAS. Ad *Pindaricum* dictum reſpiciens: *Bonum eſt, duabus Anchoris niti.*

In alio,

In alio, gemini *Arcus* juxtim hærentes; utrâque chordâ Sabaudum in vinculum nexatâ, jaculantur: VINCI ET VICISSE DECORUM, ex *Ovidio*.

In alio, ne omnia perſequar, *Jugi* unius *Vincula* colligata (qualem fuiſſe Gordianum Nodum tradunt) Sabaudum Amoris Nodum imitabantur: SOLA MORS SOLVERE POSSIT, ex eodem Poëta.

Omnia denique *Aureis Liliorum Floribus* erant diſſeminata; qui *Junonii* dicuntur *Flores*; ex ejus nempè lacte, uti fabulantur, sati. Et quoniam Liliorum radicem ferunt humani cordis eſſe ſimillimam; alicubi Ænigmaticum Symbolum viſebatur, quo duæ Liliorum Stirpes, gemino ex *Corde* pullulantes, Sabaudum ſeſe in Nodum inflectebant, conſtringebantque Regalia Sponſorum Nomina; multiplici flore: fœcunditatis omen.

## *TERTIA MOLES*

# LIBRA.

Tertiæ *Molis* hic erat Titulus; quæ Regii Senatus erecta ſumptu, Novam Urbem ingreßis in conſpectum ſe dabat: miràque amplitudine ac celſitate, aditum planè triumphalem ingredientibus Regiam rectamque viam, aperiebat. Tituli autem rationem præcipua declarabat Inſcriptio.

FRANCISCAM A FRANCIA,
QVOD SOLE LIBRAM IRRADIANTE,
IN IPSO NOCTIS ATQVE LUCIS LIBRAMENTO NATA,
NE ORBEM QVIDEM INGREDI VOLUIT, NISI JUSTUM:
ET SIDEREAM ÆQVI JUSTIQVE LIBRAM
ANIMO DEFERENS;
CAROLI EMMANUELIS, JUSTISSIMI PRINCIPIS,
REGNO AFFULSIT,
REGIUS SUBALPINORUM SENATUS,
SANCTISSIMUM VELUTI JUSTITIÆ NUMEN,
E COELO REDDITUM TERRIS,
FELICISSIME RECIPIT, FIDELISSIME COLIT.

Inſcriptioni argumentum fecit natalis *hora* atque *Sidus*. Cum enim die decimatertia Octobris, propè ortum Solis, in lucem prodierit Regia Conjunx, geniale illud Aſtrum ſortita eſt, cujus vim *Pontanus* in *Urania* ità celebravit.

*Librâ ſurgente per ortum,*
*In lucem quicunque venit; non ille Deorum,*
*Contemptor*, NON RECTA ANIMI SENTENTIA *mentem*
*Deſeret.*

Quibus Aſtronomicorum Poëtarum præſagiis accedente diei, atque Tempeſtatis æqualitate ab eo Sidere; argutum *Juſtitiæ* Symbolum, ſupremoque Senatui



Digitized by Google

natui maximè proprium exhibuit; ut Aſtræam, quæ ipſa *Libra* eſt, Terris reſtitutam, Judices gratularentur.

Inſcriptioni conſonabat pictura ſuperiore in Tabula: ubi *Taruntius* Aſtronomus, *Libra* ſtellatam Imaginem in Cœlo, Solemque in Librâ exorientem, *Romulo* oſtendebat: eam quippè Cœli conſtitutionem in Romuli ortu à Taruntio deprehenſam fuiſſe, ſcribit *Plutarchus*: ex qua *Manilius*, ad Romulum reſpiciens, feliciſſimum Juſtitiæ præſagium duxit,

*Sed cùm Autumnales cœperunt ſurgere Chelæ;*
*Felix æquato genitus ſub pondere Librae,*
*Judex extremae ſiſtet vitaeque, neciſque, &c.*

Hinc atque inde geminum *Juſtitiae* Symbolum affixit. In altero heroicum illud ipſum argumentum, quod *Emanuel Philibertus* exponi voluit, cùm Pedemontanum erexit Senatum: *Solem* videlicet in *Librae Signo*, æquinoctialem ſupra Eclipticam: cum dicto: NEC CITRA, NEC ULTRA: ut in Pedemontanarum Deciſionum Frontiſpicio videre licet.

In altero *Critolái Libra* à Cicerone celebrata; cujus altera in lance Virtus poſita, in altera terrarum globus; nec Virtuti Terra præponderat: cum dicto: NEC TOTO FLECTITUR ORBE.

Inferioribus Columnarum intervallis Tabulæ continebantur duæ, affabrè pictæ. Quarum altera *Emanuelem Philibertum* Sab. Ducem oſtendebat, Pedemontani Senatus conditorem; Conſtitutiones atque Jura purpuratis Patribus in Auguſtali tradentem, Anno MDLXIII. Annis planè, ante hunc Aſtreæ reducis adventum, centenis: cum hoc inſcripto: SACRI SENATUS PEDEMONTANI CENTENARIA PERIODUS IN NOVA GAUDIA REVOLVITUR.

Habent enim Seculares Periodi, ex Politicorum obſervatione, fatale quidpiam, ſibique reſpondens.

Altera *Henricum Secundum*, Galliarum Regem, feliciſſimo in Conjugio Margaritæ Sororis cum Emanuele Philiberto Sabaudiæ Duce, Provincias in priſtina jura Duci reſignantem: cum inſcripto: NUSQUAM JUSTIOR TRIUMPHAPHIT JUSTITIA.

In Aureâ Molis fronte, Juſtitiæ comes, CLEMENTIA, ſuum quoque decus exegit in Inſcriptione.

JUSTISSIMIS REGIBUS
CONSANGVINEUM QVOQVE JUSTITIÆ NUMEN
PLAUDAT CLEMENTIA,
QVÆ SOLA REGEM A REGULO,
PRINCIPEM A TYRANNO DISTINGVIT.
EADEM GERIT UTERQVE ARMA:
SED ILLE, UT NOCEAT; HIC, UT POSSIT NOCERE.
ÆTHERIO REGI SIMILIS,
QVI NON SEMPER FULGURAT, CUM FULGIT,

ET

ET LATIUS TERRET, QVAM FERIAT.
NEQVE JUSTITIÆ LIBRAM FLEXILITAS FLECTIT.
POENARUM ENIM GRAVISSIMA EST POENITENTIA:
ET INNOCENTIAM DOCET NOLLE NOCERE.

Inſcriptionis ſententiam oculis deſcribebat Pictura, in quâ ingens *Clementia Dea* cum *Deâ Némeſi* altercatio ſpectabatur. Ac *Némeſis* quidem, quam Adraſtiam alii vocant, Vindicis rigidæque Juſtitiæ Numen, diſtricto acinaci ſupplicibus devinctiſque Reis atroci vultu imminebat, ſonantes alterâ manu concutiens frenos. *Clementia* verò è Cœlo devolans, amatam Deæ dexteram retinebat. *Amor* quoque captorum vincula abrumpere nitebatur. Summo in Æthere, *Librae* fulgebat *Sidus*, quòd ex *Manilio*, ad Juſtitiam ſimul, & Clementiam inclinet.

Duo quoque *Symbola*, hinc inde, ad Regiam hanc Juſtitiæ Clementiæque mixturam ſignificandam præfixit, deſumptâ ex utriuſque Sponſi gentilitiis Inſignibus Symboli figurâ. *Lilium* nempe, qui Gallorum flos eſt, cum FLEXIOR QUO CELSIOR. Nam ex *Plinio, Nulli Florum excelſitas major.* Rurſuſque, *Languido ſemper collo, & non ſufficiente capitis oneri.* In altero, *Roſa* (Sabaudorum Principũ Torquibus intextus Flos,) cum dicto: ET FERIT ET RECREAT. Hanc enim ſimul & Spinarum aculeus formidabilem, & grata Gratiis ſvavitas amabilem facit.

Inter inferiores Columnas Tabulae quoque duæ ad *Clementiam* referebantur. Alterius argumentum erat. *Magni Caroli* Sab. Ducis clemens Victoria in Bernenſes fœdifragos, cùm hac Inſcriptione: DENA BERNENSIUM MILLIA, CONTRA DATAM FIDEM, ADVERSA: CATHOLICÆ FIDEI SERVARE MAVULT, QVAM SÆVIRE.

In alterâ, Regii Sponſi indulgentia erga Reos, vinctoſque, in Sponſæ gratiam, depicta erat, cum hoc Titulo: PARI CLEMENTIÆ INSTINCTU, CAROLI NEPOS, JUGALI VINCULO ASTRICTUS, FERREO ASTRICTOS SOLVIT.

In utraque Molis facie collocata *Simulacra*, *Sabaudorum Principum* nominibus, qui *Juſtitiae* vel *Clementiae* laude floruiſſent, diſtinguebantur. Nimirum quoad Juſtitiam, *Amedeus III. Vindex*; *Thomas I. Jurium tenax*; *Petrus Semiferreus*; *Amedeus IV. Barbarorum terror*; *Victor Amedeus Juſtus.*

Quoad Clementiam; *Humbertus III. Pius. Thomas II. Conciliator: Amedeus VII. Pacificus; Amedeus VIII. irâ Vacuus; Philippus II. injuriarum immemor.*

## *QUARTA MOLES.*

# REGALIUM VIRTUTUM PANTHEON.

Quarta hæc Moles, Regiâ prorſus Magnificentiâ, miroque opere architectonicæ Artis, ac ſublimitate, ſituque ſuper alias eminebat, ampliſſima in Area ante Regias ædes: ubi tranſverſaria Porticus ingentem Caſtri Platéam ab anteriore Palatii areâ ſejungit. Et quidem duplo illuſtriora merebatur hic locus ornamenta. Nam cum eà die Regiis Conjugibus triumphalem Arcum aperiret; ac poſtridie Sacrum Suggeſtum ad explicandam Populo ſepulcralem Chriſti *Sindonem* eſſet de more exhibiturus, ejuſmodi ornatum atque ſignificationem excogitavit Author; ut éadem moles ad utramque cæremoniam, Aulicam & Religioſam, æquè videretur extructa. Cum enim Cyprii Regni Titulum Sabaudi Duces meritò ſuſtineant: cumque ad Sabaudos Duces ex Cypri Regno divinitùs pervenerit Sacra Sindon: ingenio confinxit, hoc eſſe illud *Templum*, quod in Monte Olympo, Cyprii Regni vertice, propè Amathunta, Veneri dicatum olim fuerat: nunc verò piiſſimæ Cypri Reginæ, Franciſcæ à Franciâ, Virtutibus ac triumphis conſecratum, ideoque Templum ipſum, REGIARUM VIRTUTUM PANTHEON, cenſuit nominandum; ut Marcus Agrippa eo Nomine Templum ſuum inſignivit, quòd formæ rotunditate Cœlo ſimillimum, omnia Numina complecti videretur. Hanc igitur ſententiam in anteriore Molis facie obvia explicabat Inſcriptio.

ADES CYPRI REGINA.
POST TRIUMPHALES ARCUS,
OLYMPUM, CYPRII REGNI CAPUT,
PRO CAPITOLIO SCANDE.
UBI CEDENTE OLYMPICI FANI PROFANA GLORIA;
VIRTUTUM OMNIUM PANTHEON INVENIES,
TE IPSAM.
NAM VIRTUTES OMNES COLIT,
QVI TE UNAM COLIT.

Ut verò triumphali huic Pompæ, Sacram Sindonis Pompam intereſſereret, Inſcriptionis formam averſa in Molis fronte immutavit;

AVETE CYPRI REGES,
**CAROLE, ET FRANCISCA.**
QVORUM FELICISSIMO ADVENTU
CYPRIORUM REGUM SEPULTÆ UMBRÆ
SEPULCRA EXCUSSERE.

JAM

Digitized by Google

JAM VESTRO EX CONJUGIO THRACIUM JUGUM
ELUCTATURAM SE SAGIT CAPTIVA CYPRUS.
QVIS ENIM CYPRIUM DESPONDEAT
TRIUMPHUM,
QVIBUS JAM DEUS PRO VICTORIALI ARRHA
TRIUMPHALE SUÆ SINDONIS VEXILLUM
E CYPRO OPPIGNERAVIT?

Cùm igitur triplici Ordine, infimo, medio, & ſupremo, magnifica totius Molis Machina concreſceret; infimus quidem Ordo utroque latere cum Porticu junctus, utraque fronte foras protuberans, *Olympici Montis* verticem imitabatur. Ibi ſedentia octo *Simulacra* proximiores illos Cypri Reges Reginaſque ad vivum exprimebant, à quibus Sabaudi Reges Regni illius Jura ſibi vendicant. Primo, *Janum Cypri Regem*, cum *Maria Conjuge*. Deinde *Joannem Secundum Cypri Regem*, cum *Helena Paleologâ*. Tum *Ludovicum Sabaudiæ Ducem*, cum *Annâ Jani Regis Filiâ*. Poſtremò *Ludovicum Sabaudum Cypri Regem*, cum *Carlottâ Joannis Secundi Cypri Regis Filiâ*, legitima Regni Herede.

Quatuor in ſpatiis ejuſdem ſubſtructionis, *Urbium* Quatuor in illo Regno præcipuarum pictae Imagines, ſub Turcico jugo gementium, ſupplices tendebant palmas. *Sálamis* (hodie Famaguſta) Cupreſſu redimita, undè Cypro nomen. *Paphus* Roſis ornata, ob loci delicias. *Cyrine*, à Cyro condita, Margaritarum baccis, quæ in eo litore pulcherrimae leguntur, decorata. *Amathus*, mellis favos manu prætendens, ob ſingularem mellificii gloriam.

Terminabatur infimus hic Ordo, columellato meniano ſupra Coronidis crepidinem circumquaque projecto, in octanguli podii ſpeciem; unde Sacrum linteum paludati Antiſtites quaquaverſus circumferendo, Populum pio ſpectaculo bearent. Supra meniani angulos, octo conſurgebant *Statuæ Principum*, ſanctitate inſignium, ex utroque Sponſorum Stemmate. Ex Francis aderant, LUDOVICUS REX. LUDOVICUS EPISCOPUS. MARGARITA S. LUDOVICI REGIS UXOR. BLANCA, PHILIPPI VALESII UXOR. Ex Sabaudis, HUMBERTUS III. AMEDEUS VIII. LUDOVICA, Inſtitutum Sanctae Clarae profeſſa. MARGARITA, ex Inſtituto Sancti Dominici.

Medius Ordo ex infimi ſummitate, ſtrictiore tamen ambitu, naſcebatur; in pulcherrimi Templi effigiem, quod undique apertum Columnae ſexdecim ſuſtinebant. Hujus ex ſummitate, conſimili meniano circumvallatâ, Supremus Ordo, faſtigium operi imponebat, deſinebatque cuſpidatim excelſam in Pyramidem. Quatuor in frontibus ſuperioris Ordinis, *Tabulæ* totidem eleganter figuratæ, inſignem Hiſtoriam continebant. Primae argumentum declarabat Inſcriptio.

LUDOVICO ET CAROLOTTÆ, CYPRI REGIBUS,
CYPRII SACRAMENTUM DICUNT.



Digitized by Google

Secunda, Horum Regum priorem pugnam contra Jacobum, *Carolottae* Fratrem Spurium, Regni occupatorem, exhibebat;

ÆQUOREA PRIMUM FORTUNA
JUSTIS REGUM VOTIS ADSPIRAT.

In Tertiâ, *Carolotta*, quàe Ludovico Sabaudo Conjugi, Regni ſui Jura ſolemni cæremoniâ tradiderat; poſt alteram pugnam infelicem profuga, & orbata Viro; eadem Jura coram Pontifice ad Carolum Primum, Sabaudiae Ducem, ſucceſſoreſque transmittit. Inſcriptio;

CYPRIUM REGNUM SABAUDIS
SANCTE CONFIRMAT CAROLOTTA.

Poſtrema in Tabula, *Margarita Charnia*, Regii Sanguinis Matrona, Sanctisſimam Sindonem ex Cypria direptione ſervatam, ſecum in Burgundiam deferre dum feſtinat; prodigioſo Jumentorum reniſu admonita, Sacram illam Sarcinam, Chamberio abſiſtere nolentem, Ludovico & Annæ Cypriæ, Sabaudiæ Ducibus, affinitate ſibi proximis, dono addixit. Hiſtoriam leviter indicabat Inſcriptio.

CYPRII REGNI SPOLIUM, DIVINA SINDON,
MIRE SABAUDIS OBVENIT.

Templi denique Pinnaculo atque faſtigio, ſexdecim *Simulacra Virtutum*, ad Heroinæ noſtræ Virtutes ſignificandas, ſuperſtabant: quarum Virtutum aliae dicuntur *Regiæ*, aliæ *Chriſtianæ*. *Regiæ*, Gentibus etiam honoræ: JUSTITIA, & CLEMENTIA. PRUDENTIA PACATA, & MILITARIS. STRENUITAS, & CONSTANTIA. MAGNIFICENTIA, & MAJESTAS. *Chriſtianae* verò, RELIGIO, & DEVOTIO. MODESTIA, & HONESTAS. HUMILITAS, & POENITENTIA. OBEDIENTIA, & SIMPLICITAS. Singulae ſuis nominibus atque ſymbolis diſtinctae: omnes ad ornandum Virtutum Pantheon concordes.

## *QVINTA MOLES.*

## VOTA.

Antequàm *Regias Ædes* Regii Conjuges ingrederentur; *Metropolitanam Baſilicam* ad perſolvenda vota piisſimè adierunt: ubi Quintam Molem, generoſi celſique animi Archiantiſtes, Michael Beyamus, ſuopte impendio, ante ipſam Templi faciem præſtruxit, cum hac Inſcriptione.

POPULO QVIETE, ARIS RELIGIONE RESTITUTA,
QVOD UNUM DEERAT VOTIS,
CONNUBIUM PRINCIPIS EXPLESSE;
ET GALLICARUM CONJUGUM SERTO,
SABAUDIS AUSPICATISSIMO,

DECU-

DECUMANUM LILIORUM FLOREM
FELICITER ACCESSISSE:
MICHAEL BEYAMUS ARCHIEPISCOPUS TAURINENSIS,
GRATULABUNDUS VOTA SOLVIT:
ET E FLORIBUS FRUGEM VOVET.

Hæc enim decima eſt, è liliato Gallorum Stemmate, Sabaudis Principibus Nupta: quam proinde *Florem decumanum* vocat: nam decima quarumcunque rerum, omen habet: & eximia quæque dicuntur *Decumána*. Hanc igitur Pii Præſulis Redauſpicationem vocare lubet. Dum enim pro felici Conjugio Vota ſolvit, pro felici Prole vota concipit. Surgebat igitur Sacro ornatu magnificus hic *Arcus*, qualem requirebat Auguſtiſſimum in Templum Triumphalis ingreſſus. In intercolumnaribus Scaphis, gemina Simulacra geminas Beatitates in Inſcriptione memoratas ſignificabant; RELIGIONEM, & PACEM. Superioris Ordinis S*imulacra*, duorum Tutelarium Sanctorum effigiem referebant, MAURITII, atque SECUNDI, quos aſſiduis Votis Populus univerſus, ac Præſul interpellarant. De ſupremo Faſtigii angulo Regia utriusque Sponſi pendebant *Stemmata*. Supra Scaphas hinc inde, S*temmata* Archipræſulis. Cætera ſpatia *Trophæorum Faſces;* quà Sacrorum, quà Regalium; ac *Liliorum* varia ſchemata, decorè venuſtèque complebant.

*ULTIMA MOLES.*

## MARTIS TAURUS.

Poſterâ die, cum ad Auguſtæ Urbis Prætorium Auguſtiſſimi Conjuges acceſſiſſent; condignâ prorſus Magnificentiâ atque ſplendore à Civitatis Moderatoribus, ac Decurionibus excepti fuere: ac præſertim *feſtivo* nocturnorum ignium *ſpectaculo* in lætitiæ ſignificationem: cujus Argumentum ab ejusdem Urbis inſignibus noſter Author derivavit. Nam quoniam, uti diximus, antiqua Urbs, ab Ægyptio conditore Api, *Taurinum* Stemma duxit, atque Nomen; eandemque Urbem Martis Aſtro ſuppoſitam ferunt: commentus eſt, hunc eſſe *Martis Taurum æripedem*, Aurei Velleris cuſtodem, qui cum fulmineos efflaret ignes, nec domitoris manum, jugumve pateretur; tùm verò adventante Jáſone, Theſſaliae Rege, cum Medéa nova Nuptâ; admirabili eorum virtute manſuefactus, fatalibus vinculis detineri geſtiit, ultròque domitas cervices jugo ſubmiſit. Voluit igitur ex fabuloſo acroamate, argutam ſequi allegoríam, ad ſignificandam Taurinæ Urbis fidelitatem unos erga Sabaudos Principes; atque humillimam præſertim obſequelam, ingentemque lætitiæ ardorem, ex Regiorum Conjugum feliciſſimo adventu. Allegoríam explicabat Inſcriptio.

DOMITORE AMORE,
FLAMMIVOMUS MARTIS TAURUS,
THESSALICI DUCIS, ET COLCHIDIS HEROINÆ,
AMANTIUM CONJUGUM, ULTRO AMAT JUGUM;
ETLÆTITIORIBUS SE FLAMMIS ADOLET.

Olitorium igitur Forum, quod antè Urbanum Prætorium latè vireſcit, herbeſcentem eſſe *Campum* confixit, ubi *Martis Tauri* pabulabantur: qualis à Poëtis deſcribitur ille locus;

(1) *Conveniunt Populi ſacrum Mavortis in Arvum.*
*Hic adamantéis Vulcanum naribus efflant*
*Æripedes Tauri: tactaque vaporibus herba*
*Ardent, &c.*

Mediam verò Machinam finxit Author, confragoſum eſſe Clauſtrum, ubi *Taurus* ille omnium ferocisſimus aſſervabatur, nam duos numerat *Ovidius.* Hic igitur ſcopuloſa è cavea primus ſeſe obtulit erectus, (planè ut in Auguſtæ Urbis Stemmate) flammasque anhelans; ut apud eundem Vatem:

(2) *Sic tùm Clauſtris emerſit uterque*
*Taurus: & immani perflavit turbine flammas*
*Arduus: atque atro volvens incendia fumo, &c.*

Sed cum ex adverſo prodiisſent *Jaſon*, Clypeo inſtructus; in quo Sabauda fulgebant inſignia: ejusque *Sponſa*; vinculum tenens, Sabaudis nodis perſimile: horum ante pedes inflexà cervice procubuit Fera, coërceri ſe paſſa, *Ut Ovid. ibidem.*

*Sed non incendia Colchis*
*Aſpirare ſinit: Clypeoque illiditur ignis.*

Ejus igitur *Clypei* fulgore nobiliores flammas concipiens *Taurus*, lucere primùm, tum adoleri, feſtisque undique ſcatere flammis in altum abeuntibus, quaſi ſtellatus Taurus alter Cælesti ſuccederet. Tùm cætera *Simulacra*, atque ipſe *Scopulus*, jucundisſimis lætitiæ ignibus conflagrarunt.

Hæc ſane felicisſima præſagia Urbem ingredientibus Sponſis, Regiæque Matri fortunatisſimæ, Civium amor, Magiſtratuum ſtudia, Præſulum Vota, Muſarum ingenia, Principes ipſi ſibi, non immeritò gratulabantur. Sed heu improvidæ Hominum mentes! heu recondita & perplexa Regnorum Fata! paucis pòſt menſibus, incongrua Matris, junctimque intempeſtiua Sponſæ Mors, Principem, Aulam, Fora, Aras, Urbem funeſtavit: & Author ipſe, qui læta hæc omina præcantarat; utrumque funus deflevit.

(1) *Ovid. Metam.* (2) *Ovid. Metam.*

# REGIARUM ÆDIUM ORNAMENTA.

## REGII PALATII TAURINENSIS ORNAMENTA.

NIHIL his in Ædibus eſt, quod non rapiat oculos; Regiamque Caroli Emmanuelis, eo Nomine Secundi, Magnificentiam, vel tacendo, non eloquatur. Plurimus hic Auri nitor, pretioſa ſupellex, admirabiles Sculpturæ, nobilis Pictura, nobiliores Hiſtoriæ, immemorabilis ævi memoriam revocantes. Atqui, cùm ſingulæ Picturæ ſuis inſcriptionibus animentur; omnium tamen argumenta, unius Emmanuelis Theſauri ab ingenio atque calamo, manare voluit optimus Princeps.

Ædium igitur Porticum ingreſſis, in primo ſcalarum aſcenſu, *Equeſtris Statua* ſe profert *Victoris Amedei*, quam ære fuſili, marmoreo in equo ſedentem, utroque artis miraculo; quaſi domeſticum Larem, locique Præſidem, graviſſimus Filius collocavit, cum hac *Inſcriptione* in anteriore Baſis fronte.

D. VICTORIS AMEDEI
BELLICAM FORTITUDINEM,
ATQUE INFLEXUM JUSTITIÆ RIGOREM,
METALLO EXPRESSUM VIDES.
TOTUM ANIMUM VIDERES,
SI VELOX INGENIUM,
FLEXILEMQUE CLEMENTIAM,
EXPRIMERE METALLUM POSSET.

Oppoſita in Baſis fronte;

D. VICTO-

Digitized by Google

# D. VICTORI AMEDEO

## QVOD UNUM RAPERE FATA POTUERUNT, REGIAM ORIS MAJESTATEM, ÆTERNA VINDICAT HÆC IMAGO. IN REGIAS VIRTUTES, ET HEROICA GESTA, JUS NULLUM FATIS RELIQVIT FAMA.

## AULÆ REGIÆ ORNAMENTA.

Maxima hæc *Aula* conquadrata; ad ſummum ſcandentibus prima panditur; quam SAXONICÆ GLORIÆ nuncupare, Auctori noſtro viſum eſt. Nulla enim viſuntur emblemata vel ornamenta, quæ inſigne aliquod decus Saxonicæ Domus, unde Sabaudæ origo, non adumbrent. Supernè, ubi multiformis aurearum trabium percurſus, multa in ſpatia rotunda & anguloſa, contignationem diſtinguit: mediàno in æquore, apprimè ſpatioſo, appictus Jupiter altè ſedens, armatae Viragini, quae *Saxonia* eſt, de ſtemmate noſcenda, ſceptrum porrigit: *Fatumque* aſtans, Diphteram, hoc eſt, Amalthéæ Caprae pellem, ubi futura omnia deſcriptè continentur, oſtendit; atque in ea grandibus literis fatidicum legitur carmen:

(1) *His ego, nec metas rerum, nec tempora pono.*
*IMPERIUM SINE FINE DEDI.*

Sub pedibus itaque Jovis, ſupra dejectam Metam *Tempus* aſternatur, paſſis alis, fracta clepſydra, retusâ falce. Propè Jovem, *Mars*, & *Saturnus* (Priſca Saxonum Numina 2.) præſagio læti. In imo, *Rhenus* & *Albis*, contermina Saxoniae Flumina, Juncis coronata, ſcatentibus incumbunt Urnis. Actuoſa penitùs, & nobilis pictura, antiquorum digna famâ.

Quatuor proximiora ſpatia decircinata, quatuor Facultatum Imagines continent, quae ſtrenuos Heróas æternitati ſacrant. *Hiſtoria*, quae Muſa eſt Clio; pennarum ſerto redimita, in ephemeridas acta refert; cum inſcripto. (1) TRANSACTIS TEMPORA REDDIT. Propè Muſam, *Mercurii Virga*, quae Manes ad vitam revocat. *Veritas* Speculum tenet; *Fama* Tubam.

Alio in ſpatio, *Poëſis Heroica*, ſive Calliope, Oleaſtro decorata, cum *Virgiliano* Emiſtichio: NOMEN LAUDESQUE MANEBUNT. Aſſidet *Apollo*, Cithara ludens: & *Pegaſus* ungulà ſaxum feriente fontem elicit, unde doctum furorem Poëtae bibunt.

Tertia *Pictura*, quae muta Poëſis eſt, laureata: Sigveardi Saxonis effigiem pingit, operi intenta: cum Inſcripto, ÆTERNITATI. Ex Protogenis dicto; qui objurganti, quòd manum de Tabulà neſciret dimovere, illud tantum reſpondit, *Æternitati pingo*. Aſſidet *Simulatio*, verſicolore amictu; alterà manu larvam tenens, alterà digito labris impreſſo, Silentium indicit. *Aligeri Puelli* aſtites & circum-

(1) *Ex Virg. 1. Æneid. 2. Ex Krantii Saxon.* (2) *Ex Virgil. Epigr. de Clio.*

circumvolitantes, aut pigmenta terunt, aut colorum loculamenta, tabellas, peniculos, ſpongiam deletilem, aliaque ad pingendum neceſſaria, miniſtrant.

Ultima *Sculptura*, ferreis apicibus coronata, ad formam Videchindi Magni, Statuam elaborat; cum hac Inſcriptione; COELO RESTITUIT CÆLO. *Prometheus* furtivum è Cælo ignem ferulâ defert, quo Statuas animabat. Locum ipſum, veluti ſtatuariam officinam, occupant informes lapides; illaborata Simulacra; marmorea Saxonum Stemmata; acuendorum ſcalprorum Rotae, Mallei, aliaque lapicidarum inſtrumenta.

Reliquæ Contignationis Areæ, varios *Trophæorum Faſces*, ſuis Titulis inſignes, continent; ad Heróum Saxonum æternum decus appenſos. Primum *Trophæum* barbarico priſcorum armorum, ac geſtaminum genere coagmentatum; Vandalico inſigni, nempe *Aureo Leone*, cruentis Clypeis inſculpto; in alligatâ tabellâ Titulum gerit: SIGVEARDUS SAXONUM REX, VANDALIS EJECTIS. Primus enim Sigueardus è Scandia in eam Vandaliæ Provinciam profectus; deterrimam Gentem ab iis ſedibus expulit, Regnumque Saxonicum fundavit.

Aliud *Trophæum*, ex diverſis Chriſtianorum Templorum, atque Altarium, inſignibus congeſtim colligatis. VIDECHINDO MAGNO, OB RELIGIONEM PROPAGATAM. Hic enim primus ab Ethnicâ ſuperſtitione, ad ſynceram Chriſti Religionem verſus, Regnum totum convertit.

Aliud, ex Navalibus armamentis. VERTEGIRUS, ANGLIÆ DUX, BRITANNIA SUBACTA. Nam primus felici Claſſe, victricia Arma in Britanniam trajecit, ut ſubindè dicetur.

Aliud, ex Imperii Romani Auguſtalibus Notis. HENRICUS AUCEPS, IMPERIO PROMERITO. Is nimirum Saxonum primus ad Imperii faſtigium evectus eſt, vel innuitus.

Aliud, ex bellicis armis, HENRICO LEONI SAXONI, OB HOLSATIAM REDUCTAM.

Aliud, ex maritimis Manúbiis, BRUNONI SAXONI, NORTMANNIS FUSIS, FUGATIS.

Aliud, ex Turcicis Spoliis. CONRADO SAXONI, OB RECIPERATAM HIEROSOLYMAM.

Aliud, ex frugibus, atque inſtrumentis ad agrariam culturam pertinentibus. OTHONI MAGNO IMP. OB FELICITATEM ITALIÆ REDDITAM. Pulſis enim Græcis, deſolatam magnâ ex parte Italiam uberavit.

Aliud, ex Pontificiæ Dignitatis ornamentis. OTHONI III. IMP. OB PONTIFICEM SERVATUM. Gregorium enim V. contra Joannis Pſeudopápæ, & Romanorum quorundam impietatem ſuſtinuit.

Aliud, ex Apicibus, aliiſque honeſtamentis Cæſareæ, atque Electoralis Dignitatis: cum Inſcriptione: GREGORIO V. SAXONI, PONT. MAXIMO, OB ORDINATUM IMPERIUM. Hic enim Othoni III. propinquo ſuo, à quo ſervatus fuerat, gratas referens vices, Imperatorem ſalutavit: & in Concilio Romano, celeberrimae Conſtitutionis de Germanicis Cæſarum Electoribus, Author fuit. Itaque Otho Res Romanas, Gregorius Germanicas, ordinarunt.

P Aulæ

Digitized by Google

AUlae verò Parietibus totam *Saxonici Stemmatis* circumundique Hiſtoriam appinxit; octo in ſpatia, penſilium ſpecie Tabularum, diſpertitam. Eadem quippe Inſignia de Saxonico Stemmate in Sabaudum immigrarunt.

Primà igitur in Tabulà, *Sigueardus Saxo* cum Vandalorum Rege confligens, *Equinum Pullum nigricolorem*, infrénem, & erectum, argenteo in Clypeo geſtat: nigrà ipſe chlamyde paludatus, nigro vexillo, nigris galeæ lemniſcis, nigerrimum inſidens Equum; Victorque Hoſtem (qui cruento in Scuto Aureum Leonem oſtentabat) exanguem lanceà proſternit: uniusque prælii lucrum eſt Regnum. Hiſtoriæ alludit Inſcriptio.

FUNEREUM QUEM CERNIS EQVUM
HORRENDO SIGUEARDI SAXONIS
HÆRENTEM CLYPEO,
VANDALIÆ FATALIS, UT OLIM TROIÆ,
AD BARBARORUM EXITIUM
INNUMEROS HEROAS PARIET.

Nimírum, à Sigueardo innumerabiles Heróes ſtrenuisſimi; ac præſertím Sabaudi, tanquam ex Trojano Equo prodiere.

Cur verò poſtindè Saxonico, & Sabaudo in Stemmate non Áter, ſed *Candidus* irrepſerit *Equus*, proxima docet Tabula; ubi *Videchindus Magnus*, Sigueardi abnepos, ſacrâ Baptismatis lympha ad Víſeram fluvium, cum ſuis Populis, luſtratus; avita demutat Inſignia. Huic enim Magnus Imperator Carolus, Nigrum Stemmatis Equum candido nítore perfundit. Ipſe Videchindus cum duobus liberis Videchindo, & Vigeberto, candida ín chlamyde, ſubmiſſo genu, novum à Carolo Inſigne ſuſcipit, Nepotibus transmittendum. Rem notat Inſcriptio.

CHRISTIANÆ FIDEI CANDIDATO, VIDECHINDO,
PULLUM AVITI STEMMATIS PULLUM
CANDEFACIT MAGNUS CAROLUS.
AD PALMAM VERE OLYMPICAM PROPERANTI,
HAUD ALIUS CONVENIT EQVI COLOR.

Albis enim Equis, albisque bigis Olympico in Curriculo certabant. Iisque Rheſus in certam Victoriæ ſpem utebatur. Catull. *Non Rheſi niveis citisque bigis.*

At, quod Saxonico atque Sabaudo in Clypeo, præter candidum Pullum *Faſciolæ* aliquot aurei atrique coloris alternatím ac transversím adjacent, ex tertia diſcitur Tabula, ubi *Otho Balenſtedenſis* Saxo, Anhaldiae Comes, devictis Vandalis, qvi Romanum infeſtabant Imperium, tantam mox fiduciam de Cæſarea beneficentia concipit, ut novo Stemmate, novam ſibi ſuisque Fortunam ominetur, Ipſe igitur feroci in Equo armatus ovans; ac præ ſe captivos agens Vandalos; Equo gentilitio de Stemmate abráſo, *diſcoloribus* hiſce *faſciolis*, (quæ Imperii Coloribus reſpondent) Clypeum inſignitum, ut Anhaldinæ poſteritatis Omen, oſtentat. Rem tangit Inſcriptio.

OTHO

Digitized by Google

OTHO SAXO ANHALDIÆ COMES,
SAXONICO EQVO DISCOLORES IN FASCIAS MUTATO,
NOVO STEMMATE, NOVAM SIBI FORTUNAM SAGIT.
NEC VIRTUS VOTIS,
NEC VIRTUTI FORTUNA DEFUIT.

Ac ejus quidem votum litaſſe, conſequens teſtatur Tabula, in qua *Bernardus* Anhaldiæ comes, à Friderico Cæſare ob inſignia facta, Ducali Apice donatus; Cæſarem rogat, ut Patrium Stemma cum Fratribus commune, ſingulari aliqua diſtinguat Notâ. Ac Cæſar *foliatum Rutæ ramuſculum*, quem in manu habebat (nam ea planta delectabatur) ſupra Bernardi Clypeum obliquat. Atque inde Saxonico, & Sabaudo in Stemmate, *Rútea Corolla* ſupra bicolóres Faſciolas obliquè proſerpit. Inſcriptio ſic habet.

BERNARDI ANHALDINI SINGULARIA MERITA
SINGULARI DUCATUS DIGNITATE MUNERATURUS
FRIDERICUS CÆSAR,
AVITIS FASCIOLIS RUTEAM COROLLAM ATTEXIT.
APTE; QVID ENIM DIGNITAS, NISI AMARUM DECUS.

Cur autem *Beroldus Saxo* Primus Sabaudiæ Dominator, Saxonicum Equum, *bicipitis Aqvilæ* in pectore concluſum, pro Stemmate geſtaret, *Quinta* indicat Tabula. Hoc enim Clypei decus ab *Othone III.* Imperatore accipit, dùm ad tuendum contra Ligures Arelatenſium Regem Rodulphum mittitur, annuente Procerum cætu. Qvod in augurium felicitatis trahit Inſcriptio.

EQVUS BELLA CARTHAGINI,
AQVILA VICTORIAM ROMÆ PORTENDIT,
SCITE IGITUR BEROLDI SAXONI OTHO PATRUUS
EQVUM AQVILÆ, VICTORIÆ BELLUM, NEXUIT;
NAM PRO ALLOBROGIBUS PUGNASSE,
AC VICISSE, PERINDE FUIT.

*Equi præſagiunt Pugnam*, inquit *Plin.* l. 8. c. 42. Ac *Virgil.* 3. Æneid.
*Bellum ò Terra hoſpita portas.*
*Bello armantur Equi: Bellum hæc armenta minantur.*

Proindè in Carthaginis fundaminibus inventum Equinum Caput, Belli ſedem futuram illam Urbem portendit. *Aquilam* verò, Victoriae auſpicem, infulminabilis natura fecit: *Plin.* l. 2. c. 55. Præterquam quòd reliquarum volucrum oſtenta quæcunque oblata eſſent, interventu ſuo Aquila delebat: *Valerian.* lib. 19. c. 1. Romanis ideo legionibus ſacra: & Romae, omnium gentium victricis, Inſigne.

Quoniam verò in Saxonici atque Sabaudi Clypei angulo, *trium Lunularum* Imagines apparent, quas alii Vaginarum, alii Calcarium Mucrones vocant: ſequenti ex Hiſtoria pendet origo. Cùm enim *Anglia* Saxoniae Ducatus (alii *An-*

*griam* ſcribunt) Mucrones illos pro gentili Stemmate geſtaret: tùm verò *Angliæ Dux Vertegirus* Saxo, felicibus armis ſubacta Britannia: Angliae Nomen Britanniae indidit: & *Britannicis Leonibus Anglicos Mucrones* adjecit. *Sexta* igitur in Tabula, Vertegirus Britannico in litore Victor, Regali è Solio ſupplicibus Britannis Jura dat: & ingentem Clypeum utroque Symbolo inſignem tenet, cum hac Inſcriptione.

ANGLIÆ DUX, BRITANNIÆ DOMITOR VERTEGIRUS,
BRITANNICIS LEONIBUS MUCRONES
ANGLICOS INSIGENS.
BRITANNIS LEGES DEDIT, NOMEN ERIPUIT:
ET MIRANTE OCEANO,
UBI NATABAT BRITANNIA, NATA EST ANGLIA.

*Septima* in Tabula, *Henricus Auceps*, Saxonicis diſſidiis cum Imperio compoſitis, Imperium recuſando promeritus, bifido in Clypeo *ſectam Imperii Aquilam, ſectumque Saxonicum Pullum* componit.

PRIMUS HENRICUS AUCEPS,
ROMANA INSIGNIA SAXONICIS NECTIT INSIGNIBUS,
AUSPEX PLANE AUCEPS,
CUI VEL INVITO
AUGUSTÆ SE OBTRUDUNT AVES.

*Poſtrema* in Tabula, *Henrico Fratri*, poſt perniciale diſſidium, veniam pacemque flagitanti, *Otho Saxo* Imperator, inſperatum Bavariæ Ducatum: novumque Stemma *luſoriæ inſtar Tabulæ* teſſellatum, Saxonico Equo ſupra Galeæ conum prominente, clementer impertit. Inſcriptio ſic habet.

OTHONIS MAGNI FRATER,
ATQVE HOSTIS HENRICUS,
DUM VENIAT ROGAT,
BAVARO DONATUR SCEPTRO,
DECUIT LUSORIÆ TABULÆ SPECIES
BAVARICUM STEMMA,
NAM LUDENTE AMORE
QVI VINCITUR LUCRUM FACIT.

Tabularum intervalla, aliorum Saxonum ſtrenuorum *Equeſtribus Simulacris*, ad ornamentum atque Hiſtoriam pertinentibus complentur. Fulgentibus in cujusque Clypeo ſuarum Provinciarum Inſignibus.

AULÆ

# AULA INTERIOR.

Hanc *Dignitatum Aulam* vocavit Author, quòd in omni ornatu præcipua Sabaudi Principatus Décora, & accrementa comprehendat. Celſa igitur in contabulatione, aureo veluti Cælo, IMPERATORIA MAJESTAS, mitrata, paludata, Coronas, Apices, Sceptra, Equeſtria ſigna diſtribuit. Infràque volitans Fama, buccis turgentibus geminas inflat Tubas. Sinuoſo in limbo *Horatianum* legitur dictum, AD ORTUS SOLIS, AB HESPERIO CUBILI. Ex Ode 15. libri 4.

*Per quas latinum Nomen, & Itala*
*Crevere Gentes, Famaque, & Imperi*
*Porrecta Majeſtas, AD ORTUS*
*SOLIS, AB HESPERIO CUBILI.*

Imperialium enim Principum Dignitas, æquè in Eoo, atque Occiduo Imperio, ab Auguſta Majeſtate, veluti à fonte promanavit.

Mediam igitur hanc Tabulam, geminae altrinſecùs Tabulae intercipientes, utramque Sabaudorum Principum Dignitatem inſigniorem oſtendunt: Occidentalis nempè Imperii *Perpetuum Vicariatum*: & Orientalis Imperii *Perpetuum Electoratum*.

Dextrà ergo in Tabulà *Conradus Imperator* in Procerum conſeſſu Gladium, perpetui Vicariatus Inſigne, Amedéo Secundo Sabaudiæ Comiti committit. Ad Tabulae ornatum, in imo aſſidet *Roma*, rerum Domina; & *Tiberis* Pater, flavam ex Urnà effundit lympham. Rem attingit *Inſcriptio.*

*Occidui Imperii perpetuo Vicariatu cluet Amedéus II. & abſentis etiam Cæſaris Majeſtas, Sabaudo fulgurat gladio.*

Ad lævam, Biſantio recepto, Orientalis Imperii *Electores* conſtituti, *Balduinum* Belgam, legitimis ſuffragiis ad Conſtantinopolitani Imperii faſtigium provehunt. Porrò in Electorali Collegio ſuffragii ferendi Jus habuit *Sabaudus*. *Sabell. Ennead.* 9. lib. 5. aliique Scriptores. Græci autem Imperii Stemma *Crucem* continebat, quatuorque angulatìm initiales Characteres B. B. B. B. hoc eſt *Baſiléus Baſiléon*, *Baſiléuon Baſiléuondas*: latinè, *Rex Regum*, *Regnare faciens Regnantes*. Summà in Tabula, *Fortuna* Urnam Sortium tenet. In ima Tabula, *Græcia* divitias ſpargit: & *Danubius* ſenis perpluit Capedinibus. Nam oſtiis totidem in Pontum evolvitur. Inſcriptionis hæc eſt ſententia.

*Orientalis Elector Imperij Thomas Sabaudus, Electoralis Apicis jura Nepotibus tranſmittit: revicturo etiam uſu, ſi Chriſtiana concordia revivſcat.*

Cætera Dignitatum monumenta circum parietes, eleganter pictae memorant Hiſtoriæ, quas vel ſine coloribus ſola pingere poſſit Inſcriptio; hoc ordine.

I.

*Sabaudiæ Servatori Beroldo, regendos tradit Sabaudos Rodulphus Burgundiæ Rex: & laborum merces eſt labor.*

Hunc enim de Liguribus triumphantem, Rodulphus Arelatenſium Proregem; & Sabaudiæ, quam ſervarat, Principem conſtituit.

II.

*Humbertum Sabaudiæ Comitem Mamfredus Italiæ Marchio, Jugali Filiæ nodo, & hæreditario Apice vincire facilius poteſt, quàm armis vincere.*

Hac igitur in Tabulà, Humberto Primo nubens Adelaidis, Mamfredi Filia, acerrimo bello finem imponit, & dotalem Secuſiæ Comitatum, atque Italiæ Marchionatum, ſecum defert.

III.

*Ab Henrico IV. Amedeus II. in Auguſto Comitialium Principum Quatuorviratu cooptatur. Quorum tanta authoritas, ut Reges ſubditis, Imperator Regibus, imperet.*

IV.

*Salutiarum Marchionem clientelari alligans Voto Hombertus III. Italici Marchionatus delibata Jura integravit.*

Mamfredum nempè Marchionem.

V.

*Novis donatus Provinciis, novo ritu profitetur Petrus Semiferreus, & Semiaureus: ut Auro muneratorem décoret, Ferro munera tueatur.*

Huic enim, qui à Ricardo Cæſare Quiburgenſium & Vantuatum Provinciis auctus fuerat, cum ſuboluiſſet; nonnullos Auguſto ex Collegio Próceres ſatâgere, ne Cæſarea Munificentia frueretur: generoſa fretus confidentia, Cæſaream fertur Aulam, ad dicendum clientelare ſacramentum, ingreſſus, altera ſui parte aureo nitens amictu; altera cataphractus & ferro rigens: novamque cæremoniam ſtupenti Cæſari, rationem illam reddidiſſe: illique poſtidea Petri Semiaurei, & Semiferrei hæſiſſe cognomentum.

VI.

*Ab Aſianâ redux Victoriâ Philippus Sabaudus, feliciſſimo Iſabellæ Achaicæ conjugio Peloponnenſium Principatum, ſeptem olim Regnis inclytum, Pedemontano Principatui connectit.*

Peninſulam illam alii *Moréam* vocant; ab eoque Philippo longa Sabaudorum ſeries deducta: quos *Achaiae*, vel *Moreæ* Principes vocarunt; quoadusque omnia Orientalis Imperii Spolia Thracius Raptor convaſavit.

VII.

*Et Filiæ connubio, & poſtremis Tabulis Theodorus Paleólogus ſancit, ut Paleólogâ Stirpe Viris defectâ, Monſerratenſis Marchia Sabaudo accreſcat Imperio.*

VIII.

*Ab Ladisláo Provinciæ Comite deſtituti Nicienſes, dùm ſuæ libertatis arbitri*



Digitized by Google

*bitri Clementiam Fortitudinemque Sabaudorum Principum demirantur; eisdem parére malunt, quàm ſibi imperare.*

Ipſa in Tabula Nicienſium legati, Amedeo VI. qui cognomento Rubeus dicitur, Jusjurandum ſanctè præſtant, Anno 1388. aſſentiente Ladislao.

XI.

*Amedeum VII. ex Comite Ducem creat Sigismundus Cæſar, ne flagrante novorum Principum ambitu, antiqua Imperialium Principum Dignitas minuatur.*

Nam paucis antè annis, Vencislaus Imperator, Mediolanenſis Ducatus Titulum, & Inſignia, Joanni Galeatio Virtutum Comiti, inconſultis Electoribus, ingenti pretio vendiderat: proinde ab Electoribus Imperio exautoratus.

*Carolotta Cypri Regina, cùm Patrii Regni Jura omnia in Carolum Sabaudum, poſterosque transtuliſſet: morti penè contigua, coram Innocentio VIII. acta confirmat; & ultimum vitæ actum claudit.*

Anno 1459. Dominica prima Septembris, ſolemni more coronata fuerat trium Regnorum Regina, Cypri, Jeruſalem, & Arméniæ. Lege Annales Eccleſiaſticos ſub illo Anno, & ſequentibus.

Singula Tabularum intervalla, Provinciarum Inſignibus atque Stemmatis, principumque Fluminum Imaginibus ornata; decorem augent, atque Hiſtoriae ſerviunt. Ac ne quid inornatum relinquatur; cum ab Oſtiorum trium ſuperliminari, ad usque Aulæ coronidem, alta intercedant ſpatia, aulæorum nudata chorágio: placuit tria illa ſpatia exemptibilibus obtendere Tabulis, appicto Emblemate aliquo, ad Dignitatem Symbolicè ac generatim alludente. Primo, *Janus*, Italiæ *Rex*, Saturnum Vicarium adlegit; & Aſtræa Juſtitiæ antiſtita, in Terras devolat. Secundo, *Diadúmeno* Pileum eripiens Aquila, Regiae imponit Statuae; quod Fatidicorum judicio, Regiae dignitati omen fecit. Ultimo, Aquila Ganyméden ad Aſtra evehit, neglecto Canum latratu: promotae Virtutis Symbolum.

# ANTERIUS CONCLAVE
## Ad Meridiem.

PUlcherrimum hoc, & Dignitatum Aulæ contiguum Conclave, REGIIS VIRTUTIBUS meritò nuncupavit Author: nam Dignitas ſine Virtute, indignitas eſt.

Summo igitur in lacunari *Virtus* emicat, amazonica ſpecie, candido cultu, tricipitem ferrea catena cohibens ac rutila face diverberans *Chimæram:* quo Monſtro Vitium omne monſtratur. *Pallas* autem ſublimis, Virtutem coronat; addito *Maniliano* dicto: CUM VIRTUTE POTESTAS.

Toto vero parietum ambitu Duodecim *Virtutes Regiae*, totidem Tabulis viſuntur expreſſæ; ſuis quæque Symbolis atque inſignibus iconicè diſtinctae. Singulis autem Tabulis appicta eſt conſentanea Virtuti Hiſtoriola ex vetuſtis Sabaudorum

dorum Principum monumentis (nam recentia per ſe coruſcant) ut, quo quæque in Principe Regia Virtus excelluerit, imitatrix poſteritas ſentiat. Hiſtoriarum porrò argumenta Inſcriptionibus demonſtrantur, non temporum, neque Principum, ſed Virtutum ordine ſervato. Prima igitur, Regiarum Virtutum Regina ſedet.

## *I. Religio.*

CLARUIT IN PATRIÆ INCENDIO
HUMBERTI III. RELIGIO:
QVI SACRATO PONTIFICI,
QVAM DESECRATO CÆSARI OBSEQVENTIOR;
MALUIT REGIONEM SIBI,
QUAM RELIGIONEM NUMINI DEPERIRE.

Cernitur hac in Tabula *Secuſina Urbis* conflagratio: aſtante atque jubente *Friderico Ænobarbo* Eximperatore, Diris devoto. Nam quòd Humbertus Sabaudiæ Comes, Sanctiſſimi Pontificis Alexandri III. partes religiosè ſuſtineret, ille impos animi, execranda crudelitatis exempla, ab hujus Urbis cæterarumque Subalpinarum direptione atque incendio, eſt auſpicatus.

## *II. Pietas.*

E CASTRIS IN CLAUSTRA,
E SOLIO IN SOLITUDINEM DIVERTENS,
INCLUTA IN EREMO
OCCULTAM PIETATEM COLIT AMEDEUS VII.
SED NOTIOR DUM LATET,
AD TRIREGNUM VOCATUR DUM REGNUM FUGIT.

Hic eſt ille Dux bellicoſus, qui pacatâ Italia, ut ſoli Deo viveret, in Ripaliæ ſcopulis ignotam ſibi Thebaiden eſt molitus. Hunc tamen in illo arcano, Pontificatus invenit; quem (ut Eccleſiam quoque pacaret) ſine crimine accepit, & cum virtute depoſuit. In Sacris Annalibus hiſtoriam leges.

## *III. Magnificentia.*

TOTA VERO HUMBERTI PRIMI PECTUS
INTRAVIT MAGNIFICENTIA.
TOT ENIM DIVINAS ÆDES
AD CÆLUM PASSIM EREXIT;
UT SABAUDÆ SOLITUDINES,
COELITUM COLONIÆ VIDERENTUR.

Viſitur

Digitized by Google

Viſitur in hac Tabula *Humbertus*, Novalicienſis Templi molitoribus inſtans. Hanc enim, & Secuſinam Abbatéiam, & Maltacénæ Prioratum; denique, ut *Pingonius* ſcribit, *Eccleſias alias fundavit, dotavitque plurimas.* Nihil autem Magnificentius, quàm Divis Templa dicare.

## *IV. Liberalitas.*

QVID PHILIPPI PRIMI LIBERALITAS?
QVI POPULO PER PRÆCONIS ACCITO,
CREDITORIBUS DEBITA, DEBITORIBUS CREDITA
ELARGITUS:
PRETIOSUM NIHIL IN LOCULIS RELIQVIT,
NISI SE IPSUM.

In Tabula videās Præcōnum tubis convocatam fluere Turbam; ipſumque Principem, ex arculis atque ſcriniolis eductas opes, & chirographa, erogantem.

## *V. Clementia.*

AT PHILIPPUS ALTER,
FACTIOSORUM INGRATIIS TANDEM DUX,
CRUENTUM VINDICTÆ GENUS INVENIT,
CLEMENTIAM.
NAM SINE FERRO,
TOTUM CONSCIIS CRUOREM OFFUDIT PUDOR.

Hic eſt *Philippus*; qui Brixiâ ſolâ donatus, ſe *Philippum ſine Solo* appellari jubebat. Hic, tametſi pupilli amantiſsimus, à perfidis tamen Magnatibus, qui ſe, ut ipſi regnarent, zelatores mentiebantur, inſectanter laceſſitus: & externis tandem Victoriis clariſsimus; cum Pupillo Pronepoti inopinanter ſucceſsiſſet; quos perditurus credebatur, peramanter complexus eſt; *ac majoribus etiam* (ut noſtri ſcribunt) *honoribus affecit.* Hunc igitur inauditum Clementiae actum Tabula repræſentat.

## *VI. Severitas.*

AMEDEI VERO SEXTI
LACESSITA CLEMENTIA IN SEVERITATEM VERSA,
ANTISTITIS OPPRESSORES SEDUNENSES
SEMEL INCRUENTA REPRESSIT.
ITERATUM PIACULUM FLAMMIS EXPIANS,
GEHENNÆ PROLUSIT.

Olìm enim Sedunenſis, Friburgenſis, & Valeſianus Comitatus Sabaudis obtemperabat. Ac Sedunenſem præſertim ab Henrico IV. Amedeus Secundus acceperat.



Digitized by Google

## *VII. Juſtitia.*

PROFUGÆ AUTEM JUSTITIÆ
PERFUGIUM PANDIT LUDOVICUS;
TAURINENSEM NEMPE ACADEMIAM,
TOT JURIS ORACULIS PERSONANTEM;
UT JUDICES, SI PECCARE VELINT,
ERRARE TAMEN NON POSSINT.

Non enim errat, qui ſciens peccat. Hic igitur Ludovicus Achaiæ Princeps & Pedemontii; Benedicti XI. Pontificis Maximi, & Sigismundi Cæſaris beneficio, Auguſtæ Taurinorum Doctrinarum univerſarum Athenæum erexit.

## *VIII. Modeſtia.*

ALTERUM MIRACULUM VIDERE PISÆ,
UBI IMPERII CELSITAS
AMEDEI QVARTI MODESTIAM
FRUSTRA INTERPELLAVIT.
PLUS EST PRINCIPEM NOLLE EXTOLLI,
QVAM TURRI INCLINARI.

Ad famigeratum miraculum alludit Piſanæ Turris, quæ ſive caſu, ſive artificio cernua, ſemper caſuræ ſimilis, nunquam cadit. Majus igitur, inquit, miraculum ſtupuere Piſæ; ubi poſt Henrici VII. obitum, cum Amedei Magni ſtrenuitatem omnium vota, non modo invitando, ſed eligendo, (ut Hiſtorici loquuntur) ad Imperium accerſerent; ſola obſtitit ejus Modeſtia, ne extolleretur.

## *IX. Celeritas.*

OCCURRIT OCULIS
BELLICA THOMÆ PRIMI CELERITAS,
QVI CUM CISALPINA,
PRINCIPIBUS SPOLIATA, SPOLIUM PENDERET,
FUGACEM ARRIPIENS FORTUNAM,
PALMAM PRÆRIPUIT.

Nimirum, poſt Secuſinum incendium, cùm perditisſimi Ænobarbi rapina iviſſet Ciſalpina: eoque poſtmodum alíubi occupato, ad illam prædam convolarent Inſúbres, Ligures, finitimique Réguli: tam opportunâ celeritate provolavit, non ùt modò deperditam Patris Ditionem receperit, ſed extenderit; & meliorum Cæſarum authoritate poſſederit.

*X. Facun-*

Digitized by Google

## X. *Facundia.*

AT REGIÆ VIM FACUNDIÆ
AMEDEI PRIMI FACUNDIA ELOQVATUR;
QVA EXARMATUS HENRICUS
REFRACTARIAS CERVICES PONTIFICI SUBMISIT.
LEONEM DIXISSES,
MERCURII CADUCEO CONSTERNATUM.

Magnorum pervicaciam ſuaviloquentiâ perdomitam, per Leonem Caducéo proſtratum, ſignificarunt mythólogi. Non poterat digniore Symbolo exprimi Amedei Facundia; quæ contumacem Henricum Cæſarem commovit, ut nudo pede atque humero, ante Gregorii Pontificis Maximi pedes procideret, veniam multamque rogaturus. Triumphalis facundia, quæ Cæſarem Pontifici, Pontificem Cæſari, reſtituit, & Orbi Pacem.

## XI. *Fidelitas.*

THOMÆ TERTII FIDELITATE,
NIHIL RARIUS ASSERVANT FASTI.
NAM DELPHINO INCITANTE;
ULTRICIA IN FRATREM UT ARMA VERTERET,
PRO FRATRE IN DELPHINUM
ARMA CONVERTIT.

Vigebant inter Thomam Pedemontii Principem, & Amedeum Quartum Sabaudiæ Comitem, non Fraternæ tantùm ſimultates, ſed Cadmèa odia, urgentibus quidem cauſis. Nam Amedeus natu minor, primigenia Comitatus Jura ex præpoſtero Patrui Teſtamento posſidebat; calenti ergo Thomæ, faces addidit Humbertus Delphinéus; faciles illi vindicias pollicitus, ſi junctis armis, alter à tergo, alter à fronte Amedeum adorirentur. At ſanctiora ſunt Sanguinis jura, quàm Regni. Hoc igitur Delphinéo contigit, quod Æſopico Lupo in Canum rixâ: ab utroque ſpoliatus eſt.

## XII. *Fortitudo.*

OMNIUM TAMEN VIRTUTES VICIT
INVICTA CAROLI BONI FORTITUDO.
CUI OMNIA CONVERTERE FORTUNA POTUIT,
PRÆTER ANIMUM.
QVO IN FILIUM TRANSMISSO,
OMNIA MORTUUS RECUPERAVIT.



Digitized by Google

Mira hujus Principis fidelitas fuit, qui à Rege Franco hoſtilia omnia pati maluit, quam juratam Cæſari, Directo Domino, fidem infringere: mirabilior tamen fuit *Fortitudo*: quâ rejectis conditionibus, ad ultima usque Fata in propoſito hærens, iniquiorem ſemper fortunam æquiùs ſemper tulit. Atqui Emmanuel Filius, Paternæ Fortitudinis hæres, non Fortunæ; celebri tandem Victoriâ Solium & Solum recuperavit.

IN Superliminaribus Tabulis tria cernes VIRTUTIS Emblemata. *Prima* in Tabulâ, *Improbus Amor Cæcus* (ut in priſcâ fabulâ de Duobus Amoribus) vinculis coërcitus humi mœret: *Virtutis Amor*, oculatus & liber, aſperrimum conſcendit Clivum: Fortuna ſequitur.

In *Secunda*, Rex Numa, Regalium Sacrificiorum Myſtagogus; non cæde ac ſanguine, ſed frugibus atque floribus Aras imbuit. Tanta erat in Clementisſimo Principe ſanguinis humani parſimonia.

*Ultimâ*, Curius Romanus Eqves, pro Patriæ ſalute devotus, inexplebilem ſe in Voraginem, concito Eque armatus impellit: Populus certatim in eandem Voraginem flores fundit.

# INTERIUS CONCLAVE
## Ad Meridiem.

CUm nobilisſimus Virtutis fructus Victoria ſit; congruè noſter Autor, quod Virtutum Conclavi jungitur, VICTORIARUM CONCLAVE cenſuit nominandum. Nec ullus ſanè dignior eſt Regiarum Ædium ornatus, quàm qui res fortiſſimè in bello geſtas, antè oculos ponit. Aureo igitur in lacunári, quo nihil magnificentius, *Victoria* palmigera ipſa, palmas atque coronas donat: *Famaque* Æneatrix, Victorum videtur nomina laudeſque circumſonare: adſcripto *Virgiliano* hemiſtichio; HABET VICTORIA LAUDEM.

Circa majorem hanc Tabulam, minora ſpatia in orbem flexa, alites *Genios* continent; qui ſinguli, ſingula Coronarum genera, quibus Victores donabantur, oſtentant, ſuiſque diſtinguunt Titulis. *Laurea* hoc Titulo inſignitur, REDUCI TRIUMPHATORI. *Graminea*, OBSIDIONE SOLUTA. *Robúſtea*, CIVIUM SERVATORI. *Myrtea*, OVANTI DECUS. *Olea*, AUSPICIIS VICTORI. *Muralis*, ex auro Murorum pinnas imitante, MURUM ASSILIENTI. *Roſtrata*, aurea; navalium roſtrorum ſpecie, NAVALI VICTORIÆ. *Vallaris*, item aurea, ad Caſtrenſis Valli imaginem: *Lucani* verbis, AUSO TRANSCENDERE VALLUM.

Parietes verò circumveſtiunt duodecim illuſtriores Sabaudorum Principum *Victoriæ*, expresſim depictæ, brevique elogio declaratæ: quarum tamen ordinem Fabrûm incuriâ perturbatum nos ità corrigemus, ut verum atque hiſtoricum ordinem ſequamur; quilibet autem ex Elogio fabrilem inſcitiam poſſit arguere.

*Prima*

Digitized by Google

*Prima Tabula.*

REDIMAT SACRA LAURUS HUMBERTUM:
QVI GODEFRIDO BULLIONO
PRÆLIORUM COMES, ET PRÆMIORUM,
REDEMPTORIS SEPULCHRUM REDEMIT.

Hic eſt Humbertus II. Amedei Primi Filius, Sabaudiæ Comes; quem *Transmarinum* vocant.

II.

AD ARAM HANC
CRUENTO SUBSTITIT FERRO AMEDEUS STATOR,
LAURA DIGNUS, ET AUREA.
HOSTIUM TRIUMPHATOR, ET SUI.

Hic eſt Amedeus II. Humbertus II. Filius; qui Gebenneſes, abſente Principe Sabaudiam populantes, ut rediit, internecioni dedit: neque à fugacium deſtitit cæde, usquedùm ad locum hunc pervénit, quem Victoriæ metam eſſe voluit; atque Arâ primùm, mox nobili Cœnobio ſacravit; cui corruptum adhuc *Stamedëi* nomen hæret; quòd ibi, ſtéterit Amedeus; vel quòd Gebennenſium fugam ſtiterit. Non abſurdè igitur *Amedeum Statórem* vocat Author, uti Jovem Statórem vocavit Romulus, quòd Romanorum fugam, & Sabinorum Victoriam progredi vetuiſſet.

III.

OBSIDIONALI VERO PETRUS.
QVI COFFINGENSEM REGULUM,
CILIONIOS OBSIDENTEM, OBSIDENS,
EO TANTUM SERVAT, UT SERVIAT.

Tanta Viri hujus ſtrenuitas fuit, ut Parvi Carolomagni cognomentum meruerit. Hic Coffingenſem Comitem, qui ſe Cablaſienſem & Auguſtanum Ducatum Cæſareo nomine ab ejus manu erepturum jactitans, Cilionium circumcluſerat, concluſit; ſibique Clientelarem fecit: explevitque quod ſemiferreo indumento minatus fuerat.

IV.

INCRUENTA VERO MYRTEA DEBETUR THOMÆ,
CUI VILLELMUS MARCHIO
TAURINORUM AUGUSTAM OCCUPANS,
CAPTUS, CAPTAM RESITUIT PRÆDAM.

Tertius hic fuit Thomas Petri Nepos, Pedemontium Princeps.



Digitized by Google

V.

IRRADIET AMEDEUM QVARTUM
ROSTRATÆ CORONÆ FULGOR.
QVI LABORANTE RHODO,
TURCI CLASSEM, TURCI CLADE, PROFLIGAVIT.

Navalem hanc Amedei Magni Victoriam clariorem fecit Amedeus Quintus ejus Nepos; qui Torquatorum Ordine inſtituto, Sabaudis Nodis notisſimum Tetragrammaton implicuit, æternandæ Avi memoriæ, F. E. R. T. hoc eſt, FORTITUDO EJUS RHODUM TENUIT. Ex quo, *Guicenonis* petulantiam mireris, qui tam inveteratam glorioſamque memoriam, fabulæ nomine auſus eſt conſpurcare.

VI.

MAGNI ALEXANDRI MURALEM AD MALLOS,
ÆQVAT AYMO AD MONTUVIUM.
NAM MURIS PRIMUS IRREPENS,
SUO PERICULO, SUOS ANIMAT.

Malli Indiæ Populi a Mallo Monte. *Plin.* lib. 6. Horum Municipium ineluctabile, hoc artificio expugnavit Alexander, cunctante exercitu. Hoc de Aymone memorat *Joannes Boterus* (quem Amedeum vocat) contra Delphinum Vienneaſem præliante.

VII.

UT AYMO ALEXANDRO,
SIC EDOARDUS CÆSARI COMPAR:
RAPTO FUGIENTIS VEXILLO,
SUOS VINCI PARATOS, VINCERE DOCET.

Aymonis, & Edoardi germanorum Fratrum ſtrenuitatem, geminorum Heróum comparatione attollit Author, ne alterutri invidiam moveat. Ut igitur Alexandrum Aymo, ſic Edoardus Cæſarem imitatur; qui acie ſuâ jam inclinatâ, nunc arrepto Scuto, nunc Vexillo, ſuorum animos redintegravit. *Sueton.* c. 62. Tantundem igitur de Edoardo ſcribit idem *Boterus.*

VIII.

MERUIT CONCOLORUM SIBI CIVICAM
VIRIDIS AMEDEUS.
QVI GRÆCO CÆSARI DETRACTA VINCULA,
BULGARIS IMPINGENS,
IMPERIO CIVEM, CIVIBUS IMPERIUM SERVAVIT.

Ex

Digitized by Google

Ex omnibus ab hoc Principe ſtrenuisſimè geſtis, quid clariùs buccinet invenire non poteſt Fama. Sanè *Pingonius* ex omni Sabaudâ, & Græcâ Hiſtoriâ breve hoc expresſit Elogium: *Joannem Cæſarem Conſtantinopolitanum è vinculis Búlgari liberavit: eumque triumphali Pompâ Conſtantinopolim ingreſſum comitatus eſt.*

## IX.

AT VICTRICES OLEAS
SUO AB ERIDANO EXIGENS LUDOVICUS,
UT SOCIIS ACCURRAT, SFORTIÆ OCCURRIT,
VALENTIÆ PRÆVALET.

Hic eſt Ludovicus Amedei Pacifici Filius, Sabaudiæ Dux, qui fœderatis Mediolanenſibus, ut accurreret; quos Franciſcus Sfortia Mediolanenſium Præfectus, ſubigere ſibi adnitebatur; arma in Franciſcum vertit: Novariam Ammelinam, & Valentiam ſupra Eridanum, fœderatis recuperavit.

## X.

VALLAREM VERO SIBI VIDICAVIT JACOBUS,
QVI MAXIMILIANO CÆSARI
MAOBONIOS SUBEGIT,
AUT PERIRE CERTOS, AUT PARERE.

Filius hic fuit Ludovici Ducis; & Maximiliani Cæſaris copiis in Bello Gandavenſi Præfectus.

## XI.

AT PHILIPPO SECUNDO
ARAGONIOS EX AQVITANIA FUGANTE,
AQVILÆ GALLIS REGNUM;
GALLI PHILIPPO PROREGNUM CEDUNT.

Hic eſt Philippus ille *Sine Solo*, de quo diximus; qui antequam Sabaudiæ Ducatum delibaret, Ludovico XI. autoratus, Joannem, & Ferdinandum Aragonios, qui Aquilas in vexillis ventilabant, Perpiniano, totâque depulit Aquitaniâ, quam deinde prorex adminiſtravit.

## XII.

PHILIBERTI PULCRI AUXILIIS
IN INSUBRICA VICTORIA,
QVANTUM DEBUIT LUDOVICUS XII.
PRÆMIUM DOCUIT.

Hic

Digitized by Google

Hic Philibertus II. Philippi Filius, Carolum VIII. in Neapolitanâ expeditione impúber adhuc, ſequutus: jam ephebus Ludovicum XII. auxiliaribus copiis, magniſque ſuppetiis, in Mediolanenſi Victoriâ maximè juvit. Quod verò tanti meriti honorarium à Ludovico retulerit, *Pingonius* indicat hoc elogio. *Rex Inſubrium proventuum partem, viceſies inquam millia coronatorum aureorum annuatim, Sabaudo elargitus eſt: & ſanctè pollicetur, nullis unquam temporibus ſe, aut Poſteros Reges, ſivè in Niciam, ſivè in alias Sabaudas Regiones, aliquid molituturum, poſtulaturumve: idque Anno 1499. geminatis tabulis, obſirmatisque ſexto, & viceſimo nono Julii.*

## *Tabularum Superliminarium Emblemata.*

IN primâ, *Theleſilla Argiva*, Galeâ & Haſtâ donatur, honoris æterni gratiâ; quòd Civibus in acie ad unum cæſis, Argos ipſa cum pueris, & mulierculis, à Spartanorum direptione defenderit.

In ſecundâ, ſuſpenſum *Antæum*, tenaci brachiorum circumplexu, *Alcides* colluctando ſuffocat.

Ultimâ, *Diágoras* Rhodius, dum trium Filiorum, uno tempore victrices coronas ſinu excipit; & Populus gratulabundus flores undique in eum jacit; præ nimiâ lætitiâ expirat.

# REGIUM CUBICULUM
## Ad Meridiem.

VIctoriæ finis in optimo Principe Pax eſt. Poſt Victorias igitur, Sedem hanc PACI & Quieti dicavit Author. Præſertìm cùm in hoc penè aureo Cubículo, Regium Cubile ad pompam atque ſplendorem ſit collocatum: indeque Conclave hoc, vulgari dictione, *Camera di parata*, vocitatur. Magnificentisſimo igitur, prorſusque ſplendido in lacunári, unica & ingens Tabula candidae *Pacis* Imaginem continet, oleâ redimitam, Oleæque ramum dexterâ protendentem; quaſi e Cœlo dilabatur. Ad ejus pedes *Bellicus Furor*, rabido vultu, ſuper armorum acervo catenatus ægrè ſesſitat: qualis à *Virgilio* deſcribitur Orbe pacato, juxtìmque *Alcides* floreo in gramine in cubitum reclivis, ſvaviter ſomnum carpit: cujus Oleágina Clava terræ defixa, ut Poëtæ fabulantur, vivacibus nodis arboreſcit. Cæterùm, cum Thalami figura, non angulari, ſed ovata ſpecie, unico pariete ſcalpturis auro illitis circunquaque fulgentisſimo, concludatur: ideò cæterus ejus ornatus, non Muſarum, ſed materiariorum ingenio fuit lucubrandus.

In ſuperliminaribus tamen Tabulis, ad *pacatæ Quietis* ſignificationem, emblemata depicta ſunt tria.

I. *Mars feriatus*, poſitis armis, indormit Clypeo: feſtivique Cupidines, telis, galeâ, gladio, exuviiſque reliquis, ludicrè abutuntur.

II. Ad *Orphei* Lyram, concordiæ paciſque conciliatricem, Animantium Ferarumque varia ingenia commeant, inter ſeſe innoxia, & ſecura.

III. Hila-

Digitized by Google

III. Hilaris *Paſtorum*, *Nympharumque* agreſtium cætus, ruſtico admodulante Chorauìâ choreas plaudunt.

# INTIMUM CONCLAVE
## Ad Meridiem.

Regium hoc Penetrale (vernaculo idiomate, *Gabinetto*) pompale Cubiculum ſubſequens, & intimius Cubiculum antecedens; cùm Regalibus Nuptiis, quæ Pacis fructus extitere, ſplendidus velut Amphithalamus deſervierit: cùmque materialium contignationum, ſcalpturarumque ornamenta, picturæ ſpatia contraxerint: nihil ſuperfuit, quod Muſarum figmentis ornaretur, præter ſuperliminares Tabulas, exiguumque limbum circa parietes. Hoc igitur in limbo anguſta in ſpatia diſpertito; arguta Symbola *Conjugalium Amorum*; & arguta Ænigmata Regiorum Nominum, Sabaudis Vinculis implicata, alternatim exhibuit.

Inter Symbola viſuntur, *Gemini in Cælo Soles*, quam Parhéliam vocant Phyſiologi: cum dicto, Alter Et Idem. *Gemina Unionum Concha* inter fluctus: Non Dirimit Fortuna Fidem: ſunt enim, ubique individuæ, quæ Sociæ. *Gemina Alcyones* tranquillo in litore nidulantes: Mira Quies Pelagi. ſumma enim eo tempore ventorum, mariſque tranquillitas eſt. *Gemina Anchora*: Non Rabies Minæque Ponti: adagio alludens; *Tutum eſt duabus Anchoris niti. Grus biceps*: additis *Tibulli* verbis, Felix Et Sacer Annus: ajunt enim Ægyptiorum experimento, felicem utcumque annum eſſe, quo biceps illa volucris appareat. *Caſtoris*, & *Pollúcis* gemina Flamma in Antenna, Sociata Salutem. *Heliotropium*, Soli Soli. Gordius Nodus Jugo implicitus, Sola Mors Solvere Possit. *Gemina Cithara* ad ſe converſæ, Concordi Concors. *Palmae duae ſympathicae*, Arcano Foedere. *Gemelli Turtures* ramum inſidentes, De Millibus Unam. *Amphisbæna*, Serpens duorum Capitum, Duo Non Duo. Reliqua, ne actum agamus; extenſiora leges ſuperiore Titulo *Publicarum Receptionum*; tertia Mole, quam *Junone Prónuba Templum* vocavit Author: ubi in iiſdem Nuptiis, eadem Symbola, & Ænigmata, æterno hoc de autographo, temporarium in apographum exſcripſit. Quilibet enim, ut ajunt, ſuarum rerum eſt moderator, & arbiter.

In ſuperliminaribus verò Tabulis, Emblema unum *Herculis* & *Hebes* Nuptias continet, authore Jove.

Alterum, *Berenices* affectum erga Ptolomæum Evergetem Sponſum ſuum, oſtendit; qui cum paucis à Nuptiis diebus expeditionem in Aſiam ſuſcepiſſet; ſollicita Berenice crinem ſe detonſuram vovit, ſi ille ſalvus reverteretur: itaque voti compos, abſciſſam comam ad Aram Veneris conſecrat: quæ poſtmodum in cæleſte Sidus converſa fingitur.



Digitized by Google

# INTIMIUS CUBICULUM
## Ad Meridiem.

TAnta hujus etiam loci ſunt ornamenta, tot ſcalpturæ, tanta Regii Cubilis magnificentia; ut uni tantum Tabulæ ſuperiore in ábſide, duobusque ſuperliminaribus Emblematis locus fuerit. Supernà igitur in area, ne in Cubiculo quieti ſacro, ab Somno & quiete abluderet Pictura; *Annibalis Somnium* pinxit: quo illi apud Ibérum dormienti, ſuus *Genius* apparuit, ſeque ut ſequeretur, Annibalem monuit. Rem narrat Livius *dec. 3. lib. 1. Ibi fama eſt in quiete viſum ab Annibale Juvenem divinâ ſpecie, qui ſe ab Jove diceret Ducem in Italiam Annibali miſſum: proinde ſequeretur: neque usquam à ſe deflecteret oculos &c.* Picturæ igitur adagiale dictum adſcripſit. GENIUS QUO DUCIT, EUNDUM. Cùm enim eo tempore, innubus adhuc Princeps; ſuoptè Genio ad Heroinæ cujusdam Nuptias animum addiceret: alii contra, ad alios eum Thalamos divertere ſtuderent; propoſuit hic Author eam Imaginem ſui Principis oculis, quam conſulèret: quod cogitatum cum Principi arriſiſſet, ibi depictum fuit.

In Tabula ſuperliminari, à Somni allegoria ne diſcederet; heroicum *Themiſtoclis Somnium* expresſit, cui dormienti ſuus Genius Miltiadis Trophæa, qui ſexcenta Perſarum millia in campis Marathóniis profligàrat; oculis ingerebat. Dignum Principe Somnium. Huic appoſuit Themiſtoclis verba, TROPHÆA ME EXCITANT. Itaque ducente Genio, Miltiadis gloriam ad Marathóna, æquavit Themiſtocles ad Salamínem.

Altera Tabula ſuperliminaris, *Divi Cæſaris* ſive Somnium, ſive Inſomniam offert; cùm ad Rubiconem cunctanti affuit Genius eximia ſpecie; & ab uno æneatorum rapta tuba claſſicum inflans, vadum prætentavit. Picturam animat Dictum, JACTA EST ALEA: ex ipſiusmet Cæſaris verbis apud Sueton. lib. 1. cap. 32. *Eatur, quò Deorum oſtenta, & inimicorum iniquitas vocat: Jacta alea eſt.*

HActenus de Regii Palatii ad Meridianam plagam, ſtructura; memorabilibus Heroum Sabaudorum geſtis ornata. Debuit igitur altera pars Heroinarum virtutes quæ maximæ fuerunt, ad poſterarum exemplum, propagare. Præſertìm cùm ſub iisdem laribus, alter Conclavium tractus ad Principis domicilium, alter ad Auguſtae gynæcéum pertineat.

# ANTERIUS CONCLAVE
## Ad Aqvilonem.

HOcce in Conclavi, *Exterarum Mulierum*, quae cum Sabaudis Principibus thalamo ſociatæ fuerunt, præcipuae laudes continentur: omnibus enim non erat locus.

Aurea igitur in contabulatione, *Reginae Junonis*, illuſtrium Nuptiarum Auſpicis, triumphus cernitur aureo in Curru, quem ſiderei rapiunt Pavónes: ipſaque

que

que jugale vinculum Sabaudis nodis complicatum altera manu prætendit: altera clariſſimum fatale Aſtrum. Junonem comitantur *Nobilitas*, & *Heróica Virtus* invicem complexæ: illa ſplendidè paludata, Coronas atque Sceptra: hæc leonino præcincta exuvio, gladium tenet. *Hymenæus* & *Cupído* antevolant: ille Flammeum Nodosque geſtans; hic pharetratus, & jaculanti ſimilis. Circumvolitat *Amorum turba*, faces, corollas, cælibárem haſtam, cæterumque Nuptiale choragium deferens. Adſcripta ſunt *Claudiani* verba de Serenæ Conjugio; TANTI CONCORDIA FATI.

Quatuor ejusdem contabulationis rotunda ſpatia, Regiorum quatuor Fluviorum Imagines oſtendunt, his Titulis inſignes: SEQVANA LÆTA. DIVES IBERUS. RHENUS FEROX. MAXIMUS ISTER; ad ſignificanda quatuor præcipua Regna; unde illuſtres Heroinae, Sabaudis Principibus innupſere: *Galliam, Hiſpaniam, Germaniam, & Eoum Imperium. Séquana* eleganti vultu, ornata liliis, ſupina Capedine argenteas devolvit undas. *Ibérus*, divite ornatu auro fluit. *Rhenus* galeatus, Martiali adſpectu, ferrugineos fundit latices. *Iſter*, Græco apice, cum Lymphis gemmas prodigit.

CIrcûm párietes, duodecim *Exterarum Heróidum* Virtutes ita ſubjiciuntur oculis, non ut planè hiſtorica & aperta, ſed ſymbólica & figurata Perſonarum geſtorumque imitatio ſit: & poëtica ex arte, aliter intelligatur quàm ſpectetur.

## *Prima Tabula.*

A*Deláida* Italiae Marchioniſſa, Humberti Primi Uxor, quæ ſe ADELAIDAM VINDICEM vocabat; vultu, galea, lorica, Meduſæo clypeo, Palladi ſimilis, ferocem ſuprà Titanas impellit Equum; quos partim gladio conficit, partim Ægide in ſaxa vertit. Inſcriptionis vice rem indicat Diſtichon.

*Hanc, quæ ſaxificis Hoſtem terroribus urget,*
*Pállada ne credas: Adelis eſt Itala.*

Hæc enim armipotens, effera bella non tàm imperabat quàm gerebat, ductu & auſpiciis ſemper victrix.

## *II.*

G*Uigóniae*, Albonenſis Comitis Filiae; Amedeo II. nuptae; feſtiviſſimus Infantulus, qui jam in cunis expiraturus videbatur, reptans allúdit: cùm Sancto Sulpitio pia Genitrix vota nuncupaſſet.

*Semianimem votis animat Guigonia Natum,*
*Ergo bis hic natus, bis fuit illa Parens.*

Atque hæc celeberrimi Cœnobii origo fuit.

## *III.*

COntinet hæc Tabula inſignem *Beatricis* Gebennenſis in amore Conſtantiam erga

erga Thomam Sabaudiae Comitem : cui cùm illa ſe nupturam arcana fide ſpopondiſſet: eandemque poſtmodum ad Philippum Auguſtum Francorum Regem inconſcius Pater nuptum duceret : maluit Comiti nubere per fidem, quam Regi contra fidem.

*Me Genitor Regi, ſed Amor me ſpondet Amanti.*
*Dùm trahor ad Regem, fortiùs hic retrahit.*

Eſt qui hanc (1) Hiſtoriam fabellae proximam putet. Authori noſtro viſum eſt ea (2) monumenta ſequi, unde Sabaudæ Hiſtoriæ prima authoritas: præſertim cum Beatricis Conſtantia, Regem ipſum habuerit comprobatorem ; ut ii omnes affirmant.

## IV.

DEa Concordia paciferam Mercurii virgam tenens, octogemini Gigantis dexteras cum Belligeri Viri dextra fœderat, haſtasque cogit abjicere. Hæc *Anna Delphinia* eſt, Amedei Tertii Uxor, quæ cum octo Viri ſui Fratres domi repeiſſet, incredibili prudentia effecit, ut Leviri omnes ſecum, & cum Viro, & inter ſe unanimes vixerint. Raro miraculo, cum gemini tantùm Fratris rara Concordia ſit.

*Octo domi Leviros inveni Nupta; ſed egi,*
*Ut cor in tantis Fratribus eſſet idem.*

## V.

HIc Druentius & Iſara, gemina flumina, humana ſpecie aſſidentia, dexteras jungunt: lævaque facem ſuis in undis extinguunt. Inter utrumque Regia Matrona liliis redimita, Metam figit.

*Per me pacatis Iſara, atque Druentius Undis,*
*Bellorum æternas enecuere faces.*

Hæc *Bonna Borbonia* eſt, cujus Conjugio, inveterata odia & ſimultates Sabaudiam inter ac Delphinatum, tandem quieverunt.

## VI.

ARam vides cælitùs irradiatam atque flammantem. Ante Aram hilari vultu Regina ſtat : excellenti pulcritudine, mæſtas inter Famulas; quarum alia inanem ex argento calathum porrigit : alia in calatho Flammeum, atram Tunicam, lumbare cilicinum , cæteramque Sacrarum Veſtalium pœnalem ſuppellectilem tenet ; quibus Regina ut ſe induat, coronam, & armillas, & reliqua Regalia decora alterum in Calathum deponit. Tertia verò Famula, forfices ad relecandam Cæſariem parat, atque ſpineum ſertum. Non procul chlamydatus aſtat Heros, & Cœlum intuens lacrymatur.

*Cara Viro, atque Deo: Rivali à Numine rapta;*
*Vivit, adhuc vivo Conjuge, cara Deo.*

Hæc eſt illa *Joanna* Flandriae Comitiſſa; Balduini Græcorum Imperatoris Filia

(1.) *Boterus*. (2.) *Chronic. Sab. Paradin. Camper. Vanderburch.*

Digitized by Google

Filia; Junioris Thomae Sabaudi conjux, quae trium Xenochiorum, totidemque Cœnobiorum Mater, & conditrix, aſſentiente ac dolente Comite, Deo ſe dicavit.

*VII.*

DUo cernis coronata Cunabula, duaſque Nutrices. Hæc Infantulum, illa Infantulam ſinu fovent, qui aureis faſciolis & corona inſignes, mutuo jucundoque complexu tenellas dexteras jungunt. Supernè Hymenæus Cœlo delapſus, infantiles palmas Sabaudo vinculo aſtringit: atque utrunque transfigit Amor.

*Infantes nos jungit Hymen: cùm Vincla reſolvet,*
*Ipſa fruar Cœlo; Vir Pater Orbis erit.*

Hoc Symbolo *Maria Burgunda* Philippi Audacis Filia, & *Amedeus Septimus* Sabaudiae Dux ſignificantur; qui vel inter increpundia, Patrum votis deſponſi antequam ſuis, ſimulque educati; conjugialem cum lacte Amorem ſuxerunt.

*VIII.*

HOc Naufragae Cymbae Symbolo, *Tolanda à Franciâ* incredibilis Prudentia ſignificatur: quae Beati Amedei Sabaudiae Ducis Vidua, & Pupillorum Tutrix; inter Franci & Burgundi reciproca bella; addita domeſticorum Principum diſcordia; cùm trigemino veluti ventorum reflatu, Reipublicæ, Pupillorum, Matriſque libertas fluctuaret; tanta dexteritate gubernaculum ad lævam dextramque flexit; ut Cymbam diu jactatam, ſine jactura tranquillum in Portum duxerit.

*Turbine trigemino Regnum turbante, Tolanda,*
*Regnum, Me, Pueros, naufragio eripui.*

*IX.*

ALia in Cymba, alia ingentis animi Amazon, chlamydata, impexo ac defluente ſub galeam capillamento; tria ſceptra, totidemque Coronas in Chlamydis ſinum collectas, ſecum aſportat. Ad Cymbae gubernaculum Virtus ſedet. Fortuna torvo averſoque vultu per undas fugit.

*Si Patrium adverſa Regnum me Sorte reliquit;*
*Regnum extrà Patriam fortiter ipſa fero.*

Hæc eſt *Catolotta*, Cypri, Hieruſalem, & Armeniae magnanima, ſed infelix Regina, Ludovici junioris Uxor, de qua diximus.

*X.*

AUreo in Solio Regina ſedens, lævâ bilancem librat, dextrâ gladium diſtringit: omnia Juſtitiae ſimilis, niſi quòd pulcherrimos oculos velamen nullum obnubit. Hæc infantem gremio regit paludamento conſpicuum, atque coronâ; cujus pupillares manulas proni Proceres oſculantur.

*Deſine Juſtitiam cæco depingere vultu;*
*Juſtius hac nihil eſt; pulcrius eſtque nihil.*

R 3 Hæc

Hæc eſt illa *Blanca* Monſerratenſis, Caroli Primi Sabaudiæ Ducis Vidua, Pupulli Tutrix,

*XI.*

PRocul, everſa vel fumantia ſpectantur oppida. Propiùs, Regia Virago Fortunam ſceptro diverberat, calce proculcat: quæ abjecto velo, utrâque ſibi palmâ faciem obducit.

*Cur Fortuna manu prætendis perfida vultum?*
*Heu quòd me Mulier vicerit iſta, pudet.*

Hæc eſt *Beatrix*, Emmanuelis Luſitani Filia, Caroli Boni Conjux, cujus tanta æquanimitas fuiſſe dicitur; ut amiſsâ Regiâ, totoque ferè Principatu, non modò mæſtitiæ leve indicium nullum ediderit; ſed Viro author fuerit, ne Pacis conditiones audiret.

*XII.*

SUpra trophæorum faſces Jovem quieſcentem vides, triſulco Fulgure manu conſtricto: è capite Minerva naſcitur libros complexa.

*Ab Jove fulmineo natam mihi pinge Minervam,*
*Sic Docta à Forti Margaris exoritur.*

Hæc eſt *Margarita* Emmanuelis Philiberti Uxor; quæ de Franciſco Primo, Regum fortisſimo ſata, omnia ævi ſui ſuperavit ingenia: omnibusque imbuta ipſa Doctrinis, Doctisſimos undecunque Viros, ut almae Academiae Muſas omnes educarent, ingentibus honorariis comparavit. Nunquam igitur clarioribus legum Oraculis Senatorum exedrae perſonuerunt.

## *Superliminarium Tabularum Emblemata.*

QUatuor hiſce Tabulis præcipua connubialis amoris ac fidei exempla continentur.

I.

*Hypſicratéa* Ponti Regina, ut Mithrídatem Maritum à Pompeio victum, per ſylvoſa loca ferasque gentes fugientem, ſequatur; virili habitu ut animo, equum inſeſſura, crinem ſibi ab Armigerâ tonderi jubet.

II.

*Semíramis* Asſiriorum Regina, Nino viduata Conjuge, quòd intelligeret, Aſſyrios pupillare fœmineumve Imperium minimè paſſuros; Mariti obitu disſimulato, perſonam ejus, veſtes, atque nomen ementita, imperavit, donec Pupillus adoleſceret. Hic igitur, Filium jam Regno idoneum attonitis Proceribus reſignat: ſeque Semi ꝰ midem præmortuo Nino fidelisſimam, reſignaſſe docet.

III.

*Laodamía* Acaſti Regis Filia, Proteſilaum Virum ſuum tantopere dilexit, ut eo de-

Digitized by Google

eo defunćto, in ſolatium mœroris optarit ejus Umbram videre. Hic igitur, in Umbræ complexu expirat.

IV.

*Eurydice* ab Orpheo adamari adeo meruit; ut illi etiam à Diis Mânibus reſtitui meruerit; hac tamen lege, ne illam Orpheus prius quàm ad ſuperos rediiſſet, intueretur. At ille impatienti affećtu, Uxorem intueri dùm properat, rurſus amittit.

## INTERIUS CONCLAVE
### Ad Aquilonem.

HAćtenus exterarum Viraginum, quæ Sabaudis nupſére; nunc Sabaudarum, quae nupſerunt exteris, inſigniores memorat laudes. Supremae igitur Tabulae Symbolum eſt *Céleus Eleuſinae Rex;* qui quòd errabundam Cererem hoſpitio recepiſſet; ſationis & inſitionis opificium ab ea fuit eruditus. Hunc igitur fingit Author, triumphali ex Arbore Olivâ, quae Sabaudae Domus heroicum Symbolum eſt, felicisſimos ſurculos, Amoris manu deciſos, Arboribus diverſis inſerere. Titulus eſt, RAMIS FELICIBUS. Ex *Virgiliano* carmine de Arborum inſitione.

*Exiit ad Cœlum RAMIS FELICIBUS Arbos:*
*Miraturque novos fontes, & non ſua Poma.*

Quatuor brevioribus ſpatiis in eàdem aureâ contignatione, Regiarum Conjugum *Virtutes* quatuor, ſymbolicè figurantur: *Intemerata Fides*, *Vera Pietas*, *Mutua Concordia*, *Felix Fœcunditas:* quarum iconologicæ Imagines ſuum quæque Symbolum tenent. *Fidei*, Symbolum eſt Sceptrum, cujus in ſummitate, Dextra Dextram complećtitur. *Pietatis*, Inextinćta Veſtalium flamma ſuper Aram. *Concordiae*, Anulus Anulo cohærens Sympâtico Magnétis attaćtu. *Fœcunditatis*, Vitis Oleae jugata: Nam *truncis Olea melius propagine Vites*, *Reſpondent. Virg. 2. Georg.*

DUodecim Tabulis circa Parietes, totidem Heroinae Sabaudae ad vivum expićtae ſunt, quarum laudes ex Elogiolo ac depićtâ Hiſtoriâ noſcuntur.

I.

*Adelaida*, Humberti Secundi Filia, Ludovici VI. Francorum Regis Vidua.

IN MONTE MARTYRUM
UT DEO SE CONDAT, COENOBIUM CONDIT.

Pupillum Regem manu ducit, Fabriſque inſtat.

II.

*Beatrix*, Amedei Tertii Filia, Mamfredi Tertii Salutiorum Marchionis Uxor.

SALU-

SALUTIANUM IMPERIUM UT REPARET,
SABAUDÆ FOEMINÆ VIR COMMITTIT.

Ipſe nimirum impar oneri, Dominatu ſeſe abdicans, inſtaurandæ Ditionis ſolicitudinem poſt aſperrima bella, Uxori ſtrenuisſimae demandat.

III.

*Margarita*, Amedei Tertii Filia, Bonifacii Monſerratenſis Uxor.

PATRIS VIRIQVE CONCORDIAM
PARIT DUM NUBIT.

Hoc nempè Conjugio ſtipulantur, ut alter alteri ſuccedat, ſi ſine liberis decedat: isque bellorum extitit finis.

IV.

*Beatrix*, Thomae Primi Filia; Berengarii Provinciae Comitis Uxor.

BEATRIX, SEPTEM REGINARUM MATER;
TOTIDEM REGNORUM VERE BEATRIX.

Nam quatuor peperit ipſa Filias; Margaritam, Francorum; Leonóram Anglorum; Beatricem Siciliarum, Reginas; Sanciam Imperatricem. Margarita verò Filia Iſabellam peperit Reginam Navariae: Leonóra, Margaritam Scotorum Reginam: Beatrix, Beatricem Græcorum Imperatricem. Quinque verò Reginarum conſpectu, uno tempore ac loco, gaviſam, narrant Hiſtoriographi, Tabula oſtendit.

V.

*Beatrix*, Petri Filia, Guidi Delphinéi Vidua.

GENERI ARMA AMEDEI MAGNI ARMIS INFRINGENS,
HOSTEM VINDICAT, VINDICEM REDHOSTIT.

Oppida, quibus à Genero ſpoliata fuerat, Amedei Quarti Petruelis ſui armis vindicavit; iisdemque Amedeum remunerat.

VI.

*Margarita*, Ludovici Achaici Filia, Theodori Palеólogi Vidua.

VIVA MORTUÆ, MORTUA VIVÆ SIMILIS,
SEXUM VIRTUTE, VOTIS CÆLUM VICIT.

Hæc eſt, cujus adhuc Corpus in Albæ Pompejæ Cœnobio integrum, venerationi eſt: cujusque votiva prece horribilem tempeſtatem difflatam ſcribunt.

VII.

*Anna*, Amedei Viridis Filia; Andronici Græcorum Imperatoris Uxor.

RUDEM

Digitized by Google

RUDEM GRÆCORUM BARBARIEM,
PATERNÆ AULÆ ARTIBUS CICURAVIT.

Equeſtribus nimirum exercitamentis, & popularium ludorum apparatu. De Patrio exemplo. Nam ab ingenuis ruſticitatem depellunt hæc ludicra.

VIII.

*Maria*, Amedei Pacifici Filia, Philippi Mariæ Vicecomitis, Inſubrum Ducis Uxor.

IN CONJUGIO VIRGO,
POST CONJUGIUM, VIRGINUM MATER.

Nam Cœnobium Veſtalium Sanctæ Claræ Auguſtæ Taurinorum fundavit, ubi ſibi atque Deo vixit.

IX.

*Bonna* Ludovici Sab. Ducis Filia, Joannis Galeatii Sfortiæ Mediolanenſium Ducis Mater, ac Tutrix.

GENENSI (1) PRINCIPATU FILIUM AUGET,
TUTRICE FELICIOREM, QVAM TUTORE.

Nam poſtmodum Ludovicus Patruus, Tutrici Regimen, Pupillo vitam ademit.

X.

*Ludovica* Primi Caroli Filia, Philiberti Secundi Uxor.

SEDANDIS COGNATORUM DISSIDIIS
AGNATO JUNGITUR.

Fuit nimirum Viro ſuo ex Patruele Neptis.

XI.

*Ludovica* Beati Amedei Filia, Ugonis Aureliarum Principis Vidua.

SPRETIS PROCERUM LACRYMIS,
ET PROCORUM VOTIS, DEO SE VOVET.

Hæc dicere ſolebat, Choréas, Ludos, Spectacula, Boletorum eſſe ſimilia, quorum optimus, peſſimus eſt.

XII.

*Ludovica* Philippi Secundi Filia, Franciſci Primi Francorum Regis Mater.

GALLICI REGNI REGIMEN,
TURBATUM ACCEPIT, PACATUM RESTITUIT.

Huic enim Franciſcus Filius Italicae in procinctu expeditionis, regendum com-

S

(1) *Vide Spond. Annal. ſub An. 1479. num. 1.*

Digitized by Google

commiſit Regnum: quo deinde ad Ticinum capto, Populisque conſternatis; incredibili prudentiâ Regno Filium, Filio Regnum florentisſimum, pacatumque reſtituit.

## *Tabularum Superliminarium Emblemata.*

### *Ad Fœminarum affectum erga Maritos exprimendum.*

I.

*Penelope*, telam noctu retexens, quam interdiu texuerat; Procorum ſpem moratur, ut ſe Conjugi ſervet.

II.

*Creuſa*, profugum Æneam ſequitur; Sacra, Puerumque Aſcanium ſecum ferens.

III.

*Hyppolite*, Amazonum Regina Prælio victa, Victori Theſeo nubit; etiam infido fida.

# REGIUM CUBICULUM
## Ad Aquilonem.

HÆ Internæ Virtutes ſunt Sabaudarum Viraginum: jam ſuæ quoque Externis Dotibus debentur laudes, quæ omnes uno GRATIÆ nomine continentur. Antiqua & innata Gentis gloria: nam Saxonicae Stirpis gentile Numen fuiſſe Gratias teſtatur *Krantzius lib. 2. c. 12.* Quæ quoniam Cæleſtis Veneris caſtisſimae dicuntur Filiae; non immeritò Author, Regium hunc Thalamum GRATIIS nuncupavit.

Summo igitur Cubiculi, omnium abſolutè ſplendidisſimi Cœlo, amplisſimâ, & Ovatâ in Tabulâ, *Gratiarum Triumphum* depictum vides. Aureo in Curru, quem penniger̃i Amores trahunt, ſedet *Cæleſtis Venus*, ſivè Eunomía Gratiarum Mater; ſtantque *tres* ipſæ *Charites*, quas mutuo complexu, ſtatuque, ad antiquam & Myſterio plenam Châritum Imaginem, conformari volebat Author, niſi aliqua in re, Pictoris ingenium ab Authoris inſtructione deſciviſſet. Author enim ridente, atque hilari vultu, tenuique Carbaſo velatas Charites pingendas edixerat: ſic enim pictas fuiſſe aſſerebat à Bupalo, Apelle, Pythagorâ, Pario: ſic à *Socrate* in Athenienſis Arcis veſtibulo collocatas: ſic denique à *Seneca de Benef. l. 1. c. 1.* deſcripta his verbis: *Quare tres Gratiae, & quare ridentes, & quare Virgines, ſolutâ & pellucidâ veſte.* Contra verò in hac Tabulâ Nudas exhibuit Pictor, atque triſtes: niſi fortè ipſæ triſtentur, quod ſe à Pictore nudatas doleant. Circa Currum Nympharum atque Amorum Chori feſtivè ludunt, florumque nimbos è calathis effundunt.

Quatuor

Digitized by Google

Quatuor Parietum latera, quatuor Gratiarum Dotes continent, in quibus Muliebris Gratia omnis ſita eſt: *Formoſitatem*, *Modeſtiam*, *Hilaritatem*, *Suaviloquentiam*: quibus Gratiarum, earumque Matris conſonant Numina. Nam ex (1) Alciato, *Agláia* pulchrum nitorem; *Euphroſyne* lætitiam; *Thalia*, ſive *Pitho*, fandi lepórem ſignificat. (2) *Eunomia* vero earum Mater, Rectam legi conformationem, ſive Modeſtiam. Atque hae Dotes, quatuor hemiſtichiis antiqui Poëtae collectae ſunt; quæ ſingulis Tabulis Titulum atque Symbolum præbent.

*Pulcerrima Forma;*
*Caſtus bonos; Riſusque bilares, & Gratia fandi.*

I.

*Pulcritudo*, ſive Formoſitas, eſt corporis totius ſingularumque partium perfecta proportio atque harmonia: cujus ſymbolum primâ in Tabulâ *Helena* repræſentat Fœminarum formoſisſima, quam Venus parato jam curru Paridi rapiendam præbet. Huic igitur inſcriptus eſt primus Titulus, PULCHERRIMA FORMA.

II.

CASTUS HONOS, honeſtus nempè *Pudor*, & *Modeſtia*, Gratiæ muliebris condimentum; in *Claudiâ* Veſtali ſignificatum; cujus unius manu, ob eàm laudem, Navis in quâ Magnae Deæ ſimulacrum hærebat inter fluctus, moveri potuit.

III.

RISUSQVE HILARES. *Hilaritatis* Symbolum in *Iſidis* Pompâ exprimitur, quam vultu, geſtuque hilaro, feſtivae celebrant Matronae: unde ipſa feſta *Hilária* dicebantur.

IV.

ET GRATIA FANDI. Hujus Symbolum poſtremâ in Tabulâ exhibet *Pitho*, ſive *Suada*, Sirenis ſpecie; cujus ex ore aureæ catellæ, adſtantium auribus alligatae, vel invitos rapiunt. Atque hae Dotes quatuor, ita ſe complectuntur, ut ſi una deſit, muliebris Gratia evaneſcat.

## *Superliminarium Tabularum Emblemata.*

I.

*Jupiter & Eunomía*, ſive Eurynome Nympha, pomiferâ ſub Arbore ſedent; tresque Gratiæ infantes, pomis donatae, circa Parentes luſitant: cum *Seneca* dicto; EX JOVE ET EYRINOME. Quo Emblemate innuitur, Gratias cæleſte quoddam eſſe atque Divinum, fœmineis corporibus índitum.

II.

*Tres Gratiæ* in Acidalio fonte apud Orchómenum lavant: gemmatis monilibus, atque ſpeculis, pigmentorumque pyxidibus contemptìm effractis, cum O-



(1) *Embl. 153.* (2) *Eunomiam Gratiarum Matrem vocat Orpheus: Eurynomem Heſiodus.*

*vidiano* dicto 2, *faſt.* Nulla Factus Ab Arte Decor. Siquidem vera Gratia, fuco non eget.

III.

*Mercurio* fidibus ludenti aſſident *Gratiæ*, cum adagiali dicto, Non Sine Mercurio. Mercurium enim Gratiarum Coryphæum atque Ducem vocat (1) *Seneca*: nam Gratia ſine acumine ingenii, fatua eſt.

IV.

*Gratiæ tres*, humi proſtratum *Tempus* ludibriis afficiunt; alia illum tomicibus illigat, alia deplúmat, alia Cleypſydram lugenti frangit, & falcem. Verba *Ovidii* ſunt: Nec Edax Abolere Vetustas: nam veram Gratiam ſenecta non minuit; quin matronalem auget decorem.

# INTERIUS CUBICULUM
## Ad Aquilonem.

QUoniam in altero interiore Cubiculo ſequendum eſſe in Conjugio Genium, pictura docuit: quorſum tandem Principem noſtrum duxerit Genius, hic demonſtratur. Omnis igitur Cubiculi ornatus ad Regiam Sponſam alludit, *Franciſcam à Franciâ*, quam de multis unam, ut de Floribus *Lilium* elegit; in quam Gratiæ omnes gratiam omnem contulere. Itaque Regalibus hic omnia Liliis florent: omnia ad *Liliatum Franciæ Stemma*, novae Nuptae Symbolum referuntur.

MAjor igitur Tabula ſupremo in cardine, *Numæ Romanorum Regis* præbet Hiſtoriam, à *Plutarcho* in Numae vita, & *Ovidio lib. 3. Faſtorum* propè depictam: cùm laborante Româ, *Scutum Ancile* pio Principi Bonus Genius detuliſſe dicitur è Cœlo: quo in Scuto inſculpti erant (2) Liliorum flores; ſimulque audita vox, Feliciſſimam futuram Romam, quandiu Cœleſte illud Inſigne perduraret; Ancile proinde dictum ab *Acos*, quod eſt *Malorum Remedium*. Quid autem ſimilius ad ſignificandum Gallorum Clypeum, Liliis decoratum, quem Clodovéo Regi Cœleſtis detulit Genius, longe veriorem felicitatis Fidejuſſorem? Quid expreſſius, ad augurandam Patriae noſtrae, fatalibus ah nimium calamitatibus ſemper obnoxiae, felicitatem, ex Regali Gallicae Heroinae Conjugio, ſacriſque Liliorum Inſignibus? Aptavit igitur florentiſſimo huic Clypeo *Horatiana* Verba Præsidium Et Decus.

MInoribus octo ſpatiis circa principem Tabulam, varias *Liliorum* laudes Regiae Sponſae laudibus accommodavit.

I.

*Alatus Genius*, variis floribus affluentem calathiſcum altera manu geſtat; altera

(1) *Eod. cap. 3. lib. 1. de Benef.* (2) *Apud Pierium lib. 42.*

Digitized by Google

alterâ oſtentat Lilium: adſcriptis *Plinii* de Lilio verbis, NULLI FLORUM EXCELSITAS MAJOR.

II.

*Duo Genii:* quorum alter Roſeam Corollam tenet; alter Lilia Roſis interpolat. Nam Lilia Francorum, Roſa Sabaudorum Principum Torques ornat. Verba ejusdem ſunt *Plinii* de Lilio. MAXIME ROSAS DECET.

III.

Genius, alterâ manu Gallicum Sceptrum Liliato faſtigio ſtringit, alterâ Lilium illud nobiliſsimum, quod ex colore *Auream Plantam* hortenſis cultura vocat: hoc Titulo inſcriptam, FLORUM REX, REGUM FLOS.

IV.

*Genius unus* Speculum tenet: alter aureum Lilii Florem objicit: Floris imaginem reddente Speculo. *Horatiana* ſunt verba, INTAMINATIS FULGET HONORIBUS.

V.

Nubilo in æthere Iridis Arcus émicat. *Genius* Lilii genus illud comparat, quod colorum varietate Cæleſtem Arcum imitante, Iridem vocant. Verba ſunt *Silii*, FACIES APERITUR OLYMPI.

VI.

*Genius* candido in Lilio cròcea carpit filamenta. EX NIVE FLAMMAM.

VII.

*Genius* florentia oſtendit Lilia. SPES PROXIMA FRUGUM. Siquidem ex *Plinio*, ultimo Vere flos ille apparet, inſtante frugum maturitate. Atqui eâdem tempeſtate Regia nobis apparuit Sponſa.

VIII.

*Genius* unus, dena complectitur Liliorum Germina: totidem Sabaudorum Principum Uxores ex Regio illo Sanguine, referentia. SEMPER LILIA FLORENT: contra *Ovidianam* parœmiam: *Non ſemper Violæ, non ſemper Lilia Florent.*

## *Tabulæ duodecim circum Parietes.*

VAriae in iis, ad Liliorum continuandam allegoriam, Hiſtoriae continentur.

I.

Quieſcentis Junonis uberibus infantulus *Alcides* à Pallade furtim admovetur: ejusque Deæ lacte in terram depluente, naſcuntur (1) Lilia: cum hac Inſcriptione, COELESTI AB ORIGINE.

II.

*Heſperides* Nymphae ſuis in Hortis aurea Poma, aurea item cuſtodiunt Lilia: (2) AUREA IN HESPERIIS RADIARUNT LILIA CAMPIS.

 III. A-

(1) *Natal. Com. lib. 2. c. 5.* (2) *Ex Bapt. Egnatio ſuperiùs citato.*

Digitized by Google

III.

*Aſtræa Virgo*, Juſtitiæ Dea, Bilancem librat; cujus momentum Aureum eſt Lilium. AUREA SECLA.

IV

Excelſa *Lilii Planta*: cujus odora vi Vultures enecti jacent, virulenti Angues effugiunt: hæc Floris proprietas. Verba *Virgilii*: NON IMPUNE.

V.

*Aurora* Tithonum complexa, puro in Æthere Lilia ſpargit, SERENÆ SEMINA LUCIS.

VI.

*Proſerpinæ* (1) Fabella: cùm Venus illam, comitesque Nymphas Ætnæâ in Convalle deliciis fluente, flores legere pro cujusque voluptate juſſiſſet; cumque alios aliæ carpere gauderent: Proſerpina omnium pulcherrima, flammantem Crocum candido jungit Lilio, ex *Ovidio*, *Ipſa Crocos tenues, Liliaque alba legit.* Additur (2) *Claudiani* hemiſtichium in eandem tabulam: AUGURIUM FATALE TORI.

VII.

*Ver* Veneri aſſidens, Roſam & Lilium Divæ porrigit: Amor Veneri blandiens, flores ambit. VERIS UTRUNQVE DECUS. *Claudianus.* Illud Francum, hoc Sabaudum inſigne.

VIII.

*Flora* cum Zephyro, nivibus canum torvumque Boream, ne lilieto noceat, abigunt. TIMENT HUNC LÆDERE NYMBI. Ex *Claudiani* Carmine: *Hunc Venti pulſare timent; hunc lædere Nymbi.*

IX.

*Muſæ*, lympha ex Heliconio Fonte capedinibus hauſta, florentem aureorum Liliorum areolam rigant. PERMESSIUS EDUCAT UNDA: ex *Claudiano. Fons Aganippeâ Permeſſius educat undâ.*

X.

*Ara* erecta amœno in clivo, hoc inſcripta Titulo. NYMPHIS SACRA. Super aram aligeri Amores candida Lilia certatim congerunt. Nymphis enim Lilia pro Victimis adolebantur. Hinc *Propertius*: *Sæpe tulit blandis argentea Lilia Nymphis.*

XI.

Apiarium in areâ Liliis conſitâ, frequentesque Apiculæ circa Flores. *Claudiani* adjuncto hemiſtichio, SECLIS HELICONIA MELLA FUTURIS.

XII.

Quieſcente Marte, Genii aligeri, galeam atque arma feſtivè Liliis exornant: ALTERNÂ REQVIE. Ex *Ovidiano* verſu; *Quod caret alternâ requie durabile, non eſt.*

Super-

(1) *Ovid. l. 4. Faſt.* (2) *lib. 2. de Rapt. Proſerp.*

Digitized by Google

## *Superliminarium Tabularum Emblemata.*

I.

Prima in Tabula placuit Authori *Numæ Hiſtoriam* continuare; qui, ne liliatum *Ancile* (quo Romana ſecuritas portendebatur) agnitum pateret rapinae, undéna cœleſti conſimilia cudi juſſit. Hanc igitur operam exhibet Tabula: cum Titulo, CÆLI MUNUS ÆTERNAT NUMA.

II.

*Regi Clodovéo*, ſimile Ancíli Scutum, cælitùs demittitur Liliatum, aſtansque ſanctimonia venerandus Vates, Regni felicitatem vaticinatur: CÆLESTIS ARRHA.

III.

*Ludovicus* Dux Borbonius, Gallici Regni decus, atque hoſtium terror, divini hujus muneris auſpicia ſequutus, Equeſtrem Ordinem, liliato inſtituit Torqui, cum hoc Titulo (1) ESPERANCE.

# INTIMUM CONCLAVE
## Ad Exortum.
## *Vernaculè, Gabinetto.*

EGregium inventum Appii Claudii mirè commendat (2) *Plinius*, Strenuorum Virorum Scuta, inſculpto eorum Stemmate, atque honorum Titulo, privatis in laribus, aut publicè ſuſpendere, ad exterorum admirationem proliſque documentum. Hujusmodi conſilium ſequutus Authot; in hoc nobiliſſimo Ædium Regiarum penetrali exornando, Sabaudorum Herôum, Heroinarumque Symbola atque Titulos, quibus illi in Clypeis utebantur, ſummo ſtudio undique collegit, palàmque propoſuit.

I.

Prima, & præcipua dignatio debetur *Amedei Quarti* Clypeo, omnium antiquiſſimo; in quo *Armorum Trophæum* Leonino ſpolio velatum pro heroico Symbolo ſibi aſcivit, cum hac Inſcriptione, pro ſeculi ruditate argutiſſimâ; PARTUM, VIRTUTE TUEMUR, ex *Ovidio*. Cum Palciníacum, aliaque vicinis inviſa loca, acquiſiviſſet.

II.

*Edoardus* ejus Filius, *Simiolum* aſſumpſit, qui echinatam Caſtaneam tenens, ne nucleum deguſtet, ſpinoſi corticis aſperitate deterretur. PRO MUNERE VULNUS: quod unde præmium ſperabat, noxam accepiſſet. Amatorium an politicum, ambigitur.

III. *Ay-*

(1) *Spes.* (2) *Lib. 35. c. 3. Decóra res, utique ſi liberorum Turba, parvulis imaginibus, ceu Nidum aliquem Sobolis pariter oſtendat. Quales Clypeos nemo non gaudens, favensque aſpicit.*

Digitized by Google

III.

*Aymonis* ejus Fratris Inſigne fuit, *Cervus* Cervum ſaltu prævertens; de ferarum illarum more, quarum alia ſuper aliam in curſu ſaltum explicat: *FIRMAT VICTORIA PACEM*. Pacem innuens cum Delphino poſt Victoriam.

IV.

*Amedei Viridis: Exiguus Amnis* rivulorum confluvio augeſcens. *VIRES ACQUIRIT EUNDO.* Ex *Virgil.* Sic enim Ciſalpinæ maximam partem acquiſivit.

V.

*Amedei Rubri* ejus Filii. *Gruum agmen* quieſcentium: quarum Dux inſomnis uno ſtans pede, altero complexa lapidem, excubias ducit. *VIGILANTIA ET CONSILIO.* His enim artibus uſus eſt, in Anglos, & Sedunenſes aciem ducens.

VI.

*Amedei Pacifici: Peregrinorum Baculus* ſolo depactus, cujus ex unco Triregnum pendet, *DUCTORE DEO.* Nam etiam Pontificatu depoſito, (1) Triregno, aliisque Inſignibus quibusdam uti permiſſus, notam ad Eremum remeavit.

VII.

*Ludovici Ducis* ejus Filii, Franciſco Sfortiæ minitantis: *Mons arduus*, unde innumera erumpunt jacula. *INNATA VIRTUTE.*

VIII.

*Bonna* Ludovici Filiæ, Joannis Galeatii Sfortiæ Matris, atque Tutricis; *Phœnix Avis*: *SOLA FACTA SOLUM DEUM SEQUOR.* Magnorum enim Principum nuptias, ne Pupillum deſereret, conſtantisſime refutavit. Spondan. *Sub. ann. 1579. 2.* Heróica, ſed infelix conſtantia!

IX.

*Ludovici Cypri Regis*, poſt acceptam cladem, adhuc minantis: *Inverſa Pharetra*, cujus decidua tela ſolo infracta reſiliunt: *FRACTA MAGIS FERIUNT.* Sed minas eluſit præpropera Mors.

X.

*Caroli Primi*: Nebulis infuſcatus Sol. *NON TAMEN INDE MINUS.* Nam adverſariorum diſcuſsâ tandem caligine, clarior erupit.

XI.

*Caroli Joannis Amedei*, ſeptennis; jam tamen in calcitrantem Salutianum aliquid molientis; *Bombarda* ſolo Semiſepulta, & exploſuræ ſimilis: *HÆRENT SUB CORDE SAGITTÆ.* Hoc Pupilli Symbolum *Tipotius, Ferrus*, aliique memorant: ſed *Guicenonus* cui cum Sagittis Bombarda convenire non videbatur; pro Bombarda Pharetram finxit: minimè gnarus, Sagittas ad acceptas offenſiones; Bombardam ad vindicis arma ingeniosè referri. Quaſi dicat: *Tu me telis infantem pupugiſti*: ego tuas Arces *Bombardis funditus evertam.* Nec animus defuerat, ni uita defuiſſet.

XII. *Phi-*

(1) *Ex Martini Bulla*, & *Lauſanenſi Synod.*

Digitized by Google

XII.

*Philippi Ducis*: Serpens depoſito exuvio: PARATIOR. Hoc enim Argumento uſum (1) autumant, cùm modò unius, mox alterius Principis fortunam ſequeretur.

XIII.

*Philiberti* ejus Filii, cum Carolum VII. Gallorum Regem ad Neapolitanam expeditionem primævus ſequeretur; *Aquilinus Pullus*: in Solem intentus: PRÆSTANTIOR ANIMUS.

XIV.

*Margaritæ Auſtriæ*, Conjugis: *Excelſa Rupes* Ventorum ſcena: PERFLANT ALTISSIMA VENTI: ex *Ovidio*.

XV.

*Ludovicæ* Philiberti Sororis, Franciſci Regis Matris; cùm abſente Filio Regnum regeret: *Salamandra* inter flammas, NUTRIO, ET EXTINGUO. Nimirum, *Bonos fovebo*, *malos opprimam*, ut quidam explicant; niſi verior ſonaret Inſcriptio Italica, MI NUTRISCO ET ESTINGUO. *Nutrior, & extinguo*: quam Franciſcus etiam Filius in Clypeo (2) geſtavit.

XVI.

*Caroli Boni*, tota fermè ditione nudati: *Gladius armatâ dexterâ diſtrictus*: SPOLIATIS ARMA SUPERSUNT.

XVII.

*Beatricis Luſitanæ* ejus Conjugis, non infirmioris animi Fœminæ: *Leo* triplicem nnguibus prenſans *Facem*, Hiſpano dicto, (3) CON ESTAS.

XVIII.

*Emmanuelis Philiberti* ad Sanquintinum: *Elephas*: INFESTUS INFESTIS.

XIX.

*Magni Caroli Emmanuelis*: Natale Sagittarii Sidus, jaculanti ſimile: OPPORTUNE. Nihil enim accidit Patriae opportunius ejus natali.

XX.

*Catharinæ Auſtriæ* ejus Conjugis, *Speculum Speculo è regione objectum*, Soliſque fulgorem augens repercuſſu; FERTQUE, REFERTQUE: reciproci amoris Symbolum.

XXI.

*Victoris Amedei*: *Manucordiáta*; CÆLESTIS ÆMULA MOTUS. Bello nimirum, aut Pace infatigabilis.

XXII.

*Chriſtinæ à Francia* Uxoris: *Adamas* gallicè inſcriptus: (4) PLUS DE FERMETE QUE D'ESCLAT. Fusè de hoc Symbolo diſſeruit Author in Panegyrico.

T *Laquea-*

(1) *Guicenon. in ejus vita.* (2) *Pichinelli Mondo Simbolico.* (3) *Cum his.* (4) *Plus ſoliditatis quàm fulgoris.*

Digitized by Google

## *Laquearium Pictura.*

TOt heroica Sabaudorum Principum Symbola, adoleſcentis etiam *Caroli*, qui ſceptra gerit, Symbolum aliquod depoſcebant, quod Author ipſe pro tempore confinxit, donec ingenioſius atque opportunius aliud reponatur: naſcuntur enim Heroica Argumenta ex ipſa gerendarum rerum occaſione. *Machinam* igitur pinxit *Horariam*, ex earum genere, quæ auro gemmiſque nobiles; non tàm rotarum, quàm figurarum motu animatae, ſupra Regiorum Conclavium ſcrinia menſaſque collocantur. Summo igitur in Machinae faſtigio *Herculem* ſtantem vides, Leonino exuvio præcinctum, totoque niſi elata Clava imminentem, intentumque; ut cùm deſtinatum venerit momentum, feriat; cum Italico Inſcripto (1) A SUO TEMPO. Ad fatale vaticinium alludens, quo Saloninum Parcæ animarunt apud *Virgil. Ecl. 4.*

*Aggredere ò magnos, ADERIT JAM TEMPUS, honores,*
*Chara Deum Soboles, magnum Jovis incrementum.*

Conſonat enim celeberrimae Sapientiſſimi Græcorum Theſſerae, NOSCE TEMPUS, quod eſt prudentiæ ſummum. Suberat tamen aliquid arcanius. Nam quoniam tunc clementiſſimâ Regiæ Parentis adminiſtratione, veſana quorundam improbitas pernicioſè abutebatur: ſignificabat, *Jam affuturum tempus*, *cùm Ferarum Domitor Alcides*, *Clavae rigore uteretur.*

Circa majorem hanc Tabulam, minores quatuor ad noſcendam Temporis opportunitatem referuntur. Prima, Symbolicam *Æternitatis* Imaginem continet: ſecunda *Anni:* tertia *Diei*, quarta *Noctis: Horam* enim Horarium ipſum deſignat.

## *Superliminarium Tabularum Emblemata:*

### I.

*Dea occaſio*, quam Phidias ſcalpello, Alciatus carmine (2) expreſſit; pennigero pede, gladiolo diſtricto. Aſſidet lugens *Metanœa*, Pœnitentiæ Dea: cum *Auſonii* dicto, PAUCIS OCCASIO NOTA.

### II.

*Alexander Macedo*, parata jam navi, Aſtrólogum in litore conſulit, philoſophali amictum pallio: non enim navigabat, pugnabatve illo (3) inconſulto, ut agendi opportunitatem ediſceret: Inſcriptio, DUM FAVET ASTRUM.

## PRETIOSORUM CELLA.

CUm *Gemmarum* ſcriniolis cuſtodiendis præcipuè deſtinatum fuerit penitiſſimum hoc Gynæcéi penetrale: cumque omnes ejus partes diligenti penicillo exor-

(1) *Aderit jam tempus.* (2) *Emblem. 121.* (3) *Plutar. in ejus vita.*

Digitized by Google

exornatæ collucerent, præter inania quædam Scuta: placuit argutis ea Symbolis implere, quibus diverſae Gemmarum qualitates, diverſis Nympharum Curialium qualitatibus feſtivè accommodantur: & ſingula Symbola non latinè, ſed Italicè, Gallicè, Hiſpanicè, ad eorum genium inſcribuntur, quibus cum Latio non convenit.

I.

SUmma in ábſide, Gemmarum Princeps pictus eſt *Adamas acuminatus*: cum Gallica Inſcriptione; IE BLESSE TOUS, ET NUL ME BLESSE: *Gemmas omnes ferio, nulla me ferit.* Puellæ Symbolum, quam omnes amant; ipſa neminem.

II.

PYropus, ſivè *Carbúnculus*, vulgò *Robino*: cujus dos in arcanæ quodam flammulæ fulgóre poſita eſt; unde *Ovidius.* *Flammasque imitante Pirôpo*: cum Italico dicto, SEMBRA DI GHIACCIO, E IL FUOCO IN SENO ASCONDE. *Glacies videtur, & flammas in ſinu fovet.* Atqui Pyrópus nihil eſt, niſi in glaciem concretus humor rútilus. Puellæ Symbolum, quae adverſus amantes apathíam ac torvitatem quandam affectat, arcanis tamen ignículis uritur.

III.

SMaragdus, quâ (ut *Plinius* ait) nihil viridius eſt. Cum Hiſpanicâ epígraphe, LA EDAD NO MENGUA EL VERDE. *Ætas viriditatem non minuit*: quo enim vetuſtior, viridor eſt hic Lapillus, eoque pretioſior. Puellæ Symbolum, cui maturior ætátula vigorem, pulcritudinemque non carpit.

IV.

ELectrum, ſive Succinum, vulgó *Ambra.* Pallens Gemma nec admodum conſpicua; quæ feſtucas rapit, ut Magnes ferrum. Italicè, NON HA MOLTA BELLEZA, E PURE ATTRAHE. *Formoſa non eſt, attrahit tamen.* Puellæ Symbolum, quæ gratiâ potius, quam formoſitate ad ſui amorem conciliat.

V.

UNio, ſive Margarita, vulgò *La Perla*: cum Hiſpano dicto, SIN ARTIFICIO HERMOSA. *Sine artificio pulcra.* Unica enim Gemmarum, lævorem nitoremque artis miniſterio non acquirit. Puellæ Symbolum, quæ ſtybio, fucoque non indiget: præſertim ſi nomine quoque ſit *Margarita.*

VI.

SApphirus, nobiliſſima gemma, blandam ſereni Cœli ſpeciem præſéferens: Gallicano Titulo: TOUSIOURS SERAIN. *Semper ſerenum.* Puellæ Symbolum hilari, placidoque ſemper vultu.

VII.

TUrcóis, vulgò *Turcheſa*: pulcherrima Gemma, *& virtutis eximiae*: ignota priſcis; ab Maris Caſpii, Caucaſique Montis accolis, quos Turcos vocabant, inventa primùm, & invecta: cum Italico Inſcripto: *NON HA DI FIERO ALTRO CHE IL NOME.* *Ferum nil habet, præter nomen.* Puellæ Symbolum, cui ſumma pulcritudo & affabilitas, Nomen abſurdum; cujusmodi multa ſunt cognomen



Digitized by Google

gnomenta ferum aliquid ſonantia; ut Turcorum, Urſiorum, Sylveſtrium: qualem Romanæ Muſæ celebrarunt Bârbaram Turcam, Nobilium Piorum Matrem.

# VIRIDIS PROPUGNACULI ÆDICULA.

IN ipſis Regii hujus Palatii Hortis, exigua pendet ſed concinna hæc Moles: in apice Propugnaculi, columellatâ Porticu, ac Podio, argutisque Cellulis, eleganter extructa, & mœnibus affixa; velut in Urbe Suburbinum. Amœniſſimum quondam Catharinæ Auſtriæ Magni Caroli Uxoris, Curifúgium. Nam ante ſe hortenſem planiciem, myrtheis mæandris, pellucidisque fontibus lætam, videt: infra ſe, labentem placidè Doridem Amnem deſpicit, quam Latinum vulgus Dúriam appellavit: transque Amnem, denſiſsimam Sylvam juxtà proſpicit, Ferarum Vivarium, procéris roboribus, perpetuisque ambulationibus; ad Domini, Populique delicias, conſitum. Itaque & à conterminis tot amœnitatibus; & à Viridi parietum colore, qui color Catharinæ maximè arridebat; Ædicula ipſa VIRIDE NOMEN accepit, totique Propugnaculo communicavit.

Acceſsit autem recentior nobiliorque, ſed funeſtior Nominis occaſio. Nam quoniam eodem *Viridi colore* Franciſca à Franciâ, Principis hujus prima Sponſa, præcipuè delectabatur: eâdem præproperè ad Superos revocatâ, viduus Princeps, ut inſolabilem dolorem ſolitudine conſolaretur, Ædiculam hanc mirificè coluit, & exornavit; ſed ornamenta omnia, picturas, ſupellectilem omnem, virére voluit; ut dilectus ille color, amiſſæ recordatione oculos paſceret, doloremque augendo recrearet. Hinc noſter Author, Principis Genio ut obſequeretur, depicta Symbola, & Epicherémata, ab eodem Viridi Colore, ad Principis affectum erga extinctam, derivavit.

SUmmâ igitur in teſtudine, quâ patula Porticus Dóridem fluvium proſpectat, *Doris* Nympha, Oceani Filia, viridi amictu, comisque viridi algâ muſcoque fluentibus & viridi undà (qualis marina cernitur) ſcatentem Urnam premens; *Filiarum Nereïdum*, eodem colore inſignium, agmen ducit, virides ramuſculos ferentium: comitante Amorum choro, viridi velo, arcu, pharetrâ, & ſagittis; quorum unus viridi in infula Titulum ventilat; DORIS VIRIDIUM MATER NYMPHARUM. Nereides enim, Doridis & Nérei Filiæ, *Virides Nymphae* vocabantur: unde Statius; *Ipſae Puniceis Virides Nereïdes antris.*

PRoxima Cella, flexili frutice, vitibusque perreptantibus, opaco *Topiario* ſimillima, viridi amœnitate oculos implet: at ſupernè aperta, alto in æthere *Chloridis Florum Deæ* Imaginem oſtendit; quæ à viriditate nomen traxit. Hæc concolori præcincta velo, non Florum, ſed Spinoſæ Myrti corollam capite, ramuſcu-

muſculum manu, geſtat: eamque comitantur penniger1 Amores, conſimili Myrthearum frondium geſtamine; quo nullum expresſius Symbolum, ad ſignificandam doloris ex amatæ Conjugis amiſione perennitatem. Hæc enim Arbuſcula, quam (1) *Pungentem Amorem* vocant Itali; folio in cuſpidis ſpeciem mucronato, omnium viridisſima & pungentisſima, Veneri ſacra eſt, ſed brevis ævi: at quanquam mortua, viriditatem atque ſpinas acutisſimas perpetuum ſervat.

Circa Topiarium Spiracula conficta ſunt, ubi *alites Amores*, arguta Symbola ſedentes tenent, ad amatum colorem illum alludentia; non latine, ſed vario idiomate vernaculo Italico, Gallico, Hiſpano, ad popularem captum, ut prædiximus, inſcripta.

I.

AMor unus, depoſita Face atque Arcu. *Florem illum viridanti fronte conſpicuum* tenet, quem *Primulam Veris* Latini vocant; Itali *Primavera*; Galli (quod idem eſt) *Printemps*, Primum tempus: illumque Florem lugens contemplatur. Quo Flore (quæ Veris primitiæ ſunt) nullus fugacior. Huic ergo Gallicum appoſuit dictum: PRINTEMPS, PEU DE TEMPS. *Primum tempus, parvo tempore*: hoc eſt, Ver parum durat: expreſſum florentisſimae, ſed cito amiſſae Nuptae, ſimulacrum.

II.

AMor unus, *Vitrea ſpecilla* viridi colore imbuta, ſuis ſibi oculis manu admovet: cum Gallico etiam dicto; TOUT M'EST VERD. *Omnia mihi Viridia ſunt*. Quaſi afflictae menti, quicquid videt, Amiſſæ Colorem ingerat, atque dolorem.

III.

AMor unus, Herbam perpetuo virore nobilem oſtentat, quam Græci *Erithalem*, id eſt, Amorem ſemper florentem; *Sempervivum* Latini, *Sempreviva* Itali, vocant: præſentisſimum ad refrigerandas aduſtiones remedium. Italica eſt Inſcriptio: NON MITIGA IL MIO ARDOR LA SEMPREVIVA. *Ardorem meum illa non minuit, quae mihi ſemper vivit.*

IV.

AMor unus *Coralium* tenet: fruticem marinum, in aqua tantum viventem, ac virentem; cum Italica inſcriptione: NEL PIANTO SOL SON VIVO. *In lachrymis tantum vivo.*

V.

AMor unus *candidum Cereum* tenet, jam ferè ad calcem, qui viridi colore tingi ſolet, ſerpente flamma. Italicis quoque verbis: GIUGNE AL VERDE ALLA FINE OGNI BELLUME. *Præclara quæque Fax, ad viride tandem devenit.* Nobis enim adagialiter idem ſonat. *Giugnere al Verde*, ac *Nullam ſpem eſſe reliquam.*

T 3 VI. *Amor*

(1) *Ruſcum* Latini; *Sentoſam Myrthum* Græci; Cato *Sylveſtrem Myrthum*.

VI.

AMor unus, inſignem *Smaragdum* miratur, Hiſpánicè inſcriptam: EN LO INVIERNO, EL VERANO. *Ver in Hyeme.* Quid enim eſt aliud hic Lapillus, quàm glaciali in algore herbácea & verna Viríditas?

VII.

AMor unus, viminea caveâ incluſam nutrit *Acrédulam*, ſive *Acánthidem*: vulgò *Ravarínum*: canoram lætamque Aviculam, cujus pennis nihil viridius. Supra caveam, *Alsinen* viridisſimam herbulam Amor congerit, quâ Avis illa nutriri ſolet. Gallicum eſt inſcriptum: CONTRAINT, ET CONTENT. *Captivus, at contentus.* Sic animus amore captus, gratisſimo colore illo recreatur, & dolet.

VIII.

AMor, *contento Arcu* viridem ad Scopum collíneat: Hiſpanis verbis; MI BLANCO ES VERDE. *Meum Album eſt Viride.* Nam Hiſpanis, atque Italis *Album* ſignificat Scopum: quaſi dicat, Omnes cogitatus meos Viridis hic color ad ſe trahit.

IX.

AMor, *Chloriſauram* blanda tractat manu: Viridem nempè Lacertum, quem unum latinè voluit inſcribere: VIROR SINE VIRU. *Viriditas ſine veneno.* Serpens enim hic eſt, qui non modò veneno caret, ſed venenoſos ſerpentes arcet. Ita Viridis ille color, non ſolum moleſtus non eſt, ſed moleſtias depellit.

# REGIARUM VENATIONUM CAMPESTRES ÆDES, EARUMQVE ORNAMENTA.

## DIANÆ REGIA.

REGIA Palatii hujus magnificentia, ſylvoſa loci amœnitas, atque omnimoda venaturæ opportunitas, haud alium honoris Titulum promerebatur. Hæc enim totius Regii venatus ſedes eſt, atque caput. Hìc ampla Venaticorum Canum; & celerípedum Equorum, Veredorumque, patent Præſépia. Hoc venabulorum, plagarum, cæterique venatorii apparatus armamentarium. Hìc, indictâ venatione, dum ſagax Ferarum cubilia explorat Canis, à Venatoribus habentur Comitia. Hic Regias inter epulas, Indagatorum delationes audiuntur. Hùc demum, captâ prædâ, clamoſus jucundusque veluti ad Capitolium triumphus agitur; atque horrenda hoſtium ſpolia poſtibus ac parieti-

parietibus affiguntur, ſuis etiam Titulis inſignita. Adde Cervorum in iisdem ſeptis pabulantium greges: Cuniculorum atque Léporum latibula: aviumque peregrinarum vivaria: quæ quaſi ſupremum Dianæ Imperium agnoſcant, liberâ in captivitate feritatem dediſcunt. Ergo eam quoque ſuburbanam Spartam exornare juſſus noſter Author, Sylveſtrem DIANÆ REGIAM ſuo ita ingenio illuſtravit; ut ſingula Parietum, Tabularumque parerga, Italicis explicata Inſcriptionibus; ſub venatricis hujus Divæ Allegoriâ, fabuloſa ejus geſta; ad humanæ civilisque vitæ referant documenta.

# AULÆ REGIÆ ORNATUS.

SUmmo in Fornice ingens Tabula (1) nobile Callimachi figmentum, nobili pictûrâ repræſentat; cùm DIANA, novennis adhuc Infantula, jam Amoris odio, armorumque amore capta, ſvavibus blanditiis ab Jove Genitore *Venationum omnium Præfecturam* impetravit, quam non in ſylvarum Pelagique Feras tantùm, ſed in Aërias Alites, atque Tartarea Monſtra exerceret. Unde à *Virgilio Tergemina Diana*: ab *Ovidio Triplex Hecate* appellatur: *Æthéria* videlicet, *Terrena*, & *Inferna*. Videas igitur ſupremo in Solio Jovem, pharetratæ Puellæ dulci alloquio geſtientem: & in] Aſtitibus Superis miſtam admirationi voluptatem. Inferiùs, Sodales Nymphas, (2) nudas humeros, ſuccinctas amiculum, variisque inſtructas venabulis. Quarum aliae Cervos aureum trahentes Currum frænant: aliæ Moloſſos, Vértagos, Odoratoresque Canes loris cohibent: aliae argenteos amites, & aurea deferunt retia. Dubites, elegantiùsne *Callimachus* ſtylo, an Pictor penicillo ſit uſus. Inſcriptio Italo carmine, Verba ipſa Jovis annuentis, continet: DELLE CACCIE TI DONO IL SOMNO IMPERIO. Quod apud Callimachum, *Venationum maximum Imperium cape.*

QUatuor minoribus ſpatiis circa principem Tabulam, quatuor indicantur Venationum differentiae, ſuo ſingulae Emblemate.

I.

Pro *Aucupio.* Dianae Nympha *Accipitrem* pugno ſuſtinet cucullatum: qui, circumvolante licet Avicularum agmine, quandiu hærente oculis operimento caligat, ad prædam non involat: CIO CHE L'OCCHIO NON VEDE, IL COR NON BRAMA. *Quod Oculus haud obſervat, haud Cor appetit.*

II.

Pro *Piſcatu.* Dianæ Nympha una, in ſcopulo ſedens, *arundinem* dextrâ ſuſpendit: & hamatili ſetâ in aquam demiſsâ, digiti ad os oppoſiti nutu, Sociam ſilere jubet. Laconica Inſcriptio Italis idem & Latinis ſonat, SPERARE ET TACERE. Conſilio, non tam Piſciculis, quàm favoribus expiſcandis, opportuno.

III. Pro

(1) *Græci Poetæ, Elegiacorum Principis, in Hymno Dianae.*

(2) *Ex Claud. 2. de Stilic.*

III.

Pro *Ferarum Majorum* venatu. Fugax *Cervus* à Dianæ Nymphis indagine impeditus, omni ſpe fugæ præcluſâ, ad Canum exitium cornibus ferocit. DISPERATO TIMOR, DIVIEN FURORE. *Formido deſperata fit tandem Furor.*

IV.

Pro *Minoribus Feris*. *Vulpécula* ſuum ad ſcrobem perfugiens, Muſtelæ oppoſitu perterrita, in laqueum ſeſe induit. Nympha una Muſtelam funiculo diſtinet: altera ad laqueum ſedet; utraque umbraculis abdita. Inſcriptio: DI MALE IN PEGGIO. *Minora vitans, maxima incurrit mala.* Ex *Luciani* adagio, *Fumum fugiens, in ignem incidit.* Quod improvidis plerumque accidit.

## *Tabulæ Decem in laquearibus.*

HIſce Tabulis, decem præcipua Dianae geſta ad conſuetudinem aulicam accommodantur.

I.

C*aliſto*, quae Cælibi ſe Dianæ dedicarat, dum unà lavatur, inceſtum prodente uteri tumore, in Urſam verſa, Virgineo è cætu in Sylvas abigitur. O NON PROMETTI, O NON MANCAR DI FEDE. *Spondere noli, fallere aut noli fidem.*

II.

D*ianam* in fonte nudam contuens *Actæon;* ejusdem fontis aſpergine in Cervum mutatus, ſuorum fit Canum præda. CHI VVOL TROPPO VEDER, VEDE IL SUO MALE. *Aliena ſpectans, proprium ſpectat malum.*

III.

O*Riónis* Venatoris inanem jactantiam plectit Diana; puſillo in illius calcaenum immiſſo Scorpio, cujus caudae aculeolo miſerè necatur, & animi tumorem arrogantem, virulento corporis tumore compenſat. BASTA UN PICCOL NEMICO A GRAN VENDETTA. *Vindictae ingenti minimus quoque ſufficit Hoſtis.*

IV.

B*Ritomartis*, fidiſſima Dianæ Comes, venatoriis Caſſibus fortè irretíta, jamjamque futura jejuni Leonis præda, Deam invocat: quaé Feram jaculo exanimat, & laqueis Nympham expedit. A CHI AL NUME E' FEDEL, FEDELE E IL NUME. *Fidum reperiret, qui Deo eſt fidus, Deum.*

V.

AUreas Dianae Templo Pateras ſuffurata *Phœniſſa*, vindicibus Divae confoſſa jaculis, in mare projicitur. FOLLE, RUBA LE TAZZE, E BEVE IL MARE. *Inſana, Pateras rapuit, ut Pelagum bibat.*

VI. *Dia-*

Digitized by Google

VI.

D*iana* pro Trojâ, *Juno* contra Trojam, ſingulari inter ſe conflictu, ſpectante Jove, digladiantur· CHI VVOLE, CHI NON VVOL; CHI STA A VEDERE. *Hic vult, hic nevult, alius diſcrimina ſpectat.* Aulico de more.

VII.

C*Enchrin* Pyrenes Nymphæ Infantulum, pro Ferâ transfodit Diana; quam Dea, Nymphæque omnes deflent: at miſera illacrymans Genitrix, in Fontem ſolvitur: E PUR ERRA TALOR, CHI ERRAR NON VVOLE. *Errare nolens, errat aliquando tamen.*

VIII.

A*Mpelus* conviciis Dianam inſectatus, inſtratum auro, gemmisque phaleratum, vanâ dexteritatis oſtentatione, conſcendit Taurum: qui ab Divâ in furias actus, per ſentoſa & prærupta præcipitem agit. CIO CHE MI FA SUPERBO, E IL MIO CASTIGO. *Quod me ſuperbum fecit, hoc mulcta eſt mihi.*

IX.

PAmpineâ ſub umbra dormientem *Bacchum* laniaturus invadit Leo; quem Diana, tametſi Baccho inimica, venabulo exanimat. SOCCORRE ANCO AL NEMICO UN COR GENTILE. *Ingenua mens, vel hoſtem in adverſis juvat.*

X.

ARmenio in ſaltu, Diana, comesque Opis, ſubdolo in reti rapidam involvunt *Tigrim.* PIU CHE LA FORZA UN BELL' INGANNO E IN PREGIO. *Quàm vis aperta, melior eſt pulcer dolus.*

## *Reliquus Aulæ ornatus.*

INfrà Corónidem, aulæorum & periſtrómatum vice, ingentes pendent Tabulae; in quibus *Fœminae Principes, aut Primates*, noſtri ævi pulcerrimae, ad vivum pictae, phaleratis in eqvis, venatorio habitu & inſtructu, venantem Dianam, ejusque Nymphas imitantur.

Inferiora parietum, atque oculo propiora ſpatia, ſingulos *Venationis actus*, & miniſteria, minutiore picturâ exhibens; Figuris itidem ad vivorum exemplar curioſisſimè expresſis.

Inter Tabulas *Trophaa* pendent, ex venatoriis armamentis atque animantibus, proplaſtice gypſato opere, ad miraculum fictis.



Digitized by Google

# PRIMUM CONCLAVE.

## *In dexterâ Ædium parte ad Aquilonem.*

QUatuor parietum latera, quadruplicem Fabulam, ad Dianae geſta pertinentem, emblematicè complectuntur; *Niobes, Lyciorum, Apri Calydonii*, & *Endymiónis*: ſingulisque lateribus ternae reſpondent Tabulae.

### *Niebes Fabula.*

I.

Thebanis Dianam ſolemni religione percolentibus indignata Regina *Niobe*: Divae ſimulacrum ſolo illídit, Aram evertit, Myſtás expulſat. VIL' E OGNI NUME A CHI SE STESSO ADORA. *Qui ſeſe adorat, omne Numen deſpicit.*

II.

Septem *Niobes Filios*, dum equeſtria Feſta ad Populi ſpectaculum, plaudente matre peragunt; jaculatrix Diana, in Genitricis conſpectu, fruſtrà fugitantes è Cœlo icit. CHE VAL FUGGIR, SE VIEN DI CIELO IL COLPO? *Quò tela fugient, tela ſi Cœlum jacit?*

III.

Eodem Arcu totidem *Puellae* in complexu Matris mactantur: Materque lapideſcens, lacrymis perpetuò manat. MUORO A ME STESSA, E SOPRAVIVO AL PIANTO. *Miſerum eſt, mihi perire, lacrymis vivere.*

### *Lyciorum Fabula.*

I.

Zelotypa Juno, *Latónam* cum infantibus Apolline ac Dianâ, totâ Inſulâ Delo arcet. CEDE OGNI FORZA A CHI DI FORZA ECCEDE. *Excedit ubi Vis, omne Jus cedit locum.*

II.

*Latónam* cum *Dianâ* peregrè Siti enectas, agreſtes Lycii ſudibus armati, à paluſtris aquae refrigerio depellunt. ESSER NON PUO CORTESE UN CUOR VILLANO. *Humanus animus eſſe in Agreſti nequit.*

III.

Rogante Jovem Dianâ, ne ab limosâ illa palude *Ruſtica gens* abire poſſit, coaxantes in Ranas repentè transformantur. CHI POC' ACQUA NEGO', NELL ACQVA ANNEGHI. *Pereat in undis, quisquis undas dénegat.*

### *Apri Calydonii Fabula.*

I.

Quòd Divos omnes, præter Dianam, muneribus Calydonii decoraſſent, indi-

indignata Dea; portentoſum illis *Aprum*, & incantamentis invulnerabilem immittit, qui ſata omnia, & vineta populatur. VINDICE MAI NON MANCA A UN NUME IRATO. *Deeſſe Vindex Numini irato nequit.*

II.

Fatalem contra *Feram*, Heroes totius Græciae, deplorabili multorum ſtrage, conſpirant. Sed *Atalanta*, viribus & formâ præſtantisſima Venatrix, ferino haſtam jugulo validisſimè intorquens, haſtam non jugulum frangit. CONTRO ALL'IRA DEL CIEL, VALOR NON VALE. *Vis nulla contra Numen iratum valet.*

III.

*Meleáger*, Atalantæ amore incenſus, immortalem belluam interficit: ejusque rictibus horrendis haſtae præfixis, triumphi gloriam Atalantae decedit. ALL' INCANTO D' AMOR CEDE OGNI INCANTO. *Faſcinus Amoris vincit omnem faſcinum.*

## *Endymionis Fabula.*

I.

*Endymion* Aſtrologus, mathematicâ Dioptrâ nocturnum obſervans Cœlum: Lunae præſertim (quae Diana ipſa eſt) admiratione primùm, deinde amore captus, ab illius contemplatione dimoveri non poteſt. DOVE L'OCCHIO SI VOLGE, IL CUOR LO- SEGUE. *Quo tendit oculus, cor ſtatim tendit ſequax.*

II.

Diana, licet Amoris inimica, *Endymiónis* amore viciſsìm capta, argénteo illum curru Latmium in Montem ſecum avehit: FORZA E' ALFIN. CHE SIA AMATO UN VERO AMANTE. *Ametur eſt neceſſe, qui verè eſt Amans.*

III.

Depoſito arcu & phàretra, caſta Dea, dormientem *Endymiónem* oſculatur. CHE SARA' UN VANO AMOR, SE IL VERO E' UN SOGNO? *Si verus Amor eſt ſomnium: vanus quid eſt?*

# REGIUM CUBICULUM.

## *Vulgo, Camera di parata.*

HOc in Cubiculo, ubi Regius ſplendeſcit Torus, *Dianae Natalium*, & *Puerilitatis* Fabula, diſcretis circa murum tabulis ſeriatìm & hiſtoricè, ex hymno *Callimachi* præmemorato, continuatur.



Digitized by Google

I.

Primâ in Tabulâ, *Latóna* gemello graveſcens fœtu, tota Græciâ, per contumeliam à Græcis deturbatur. DALLA GRECIA CRUDEL FUGGE LATONA. *Latóna iniquum Graeciae vertit ſolum.*

II.

Delum peregrè appellente *Latónâ*, aureo imbri tota Inſula compluitur: auro frondeſcunt Sylvæ. DELO L'ACCOGLIE, ET ORO PIOVE IN DELO. *Delus receptat, Deliis auro pluit.*

III.

*Latónae* Dianam ſub Palmâ parturienti, mālefică Juno uterum alligat: Cœlo demiſſa Iris feliciter ſolvit. OSTA GIUNO AL SUO PARTO, IRI L'ACCOGLIE. *Infeſta Juno partui eſt: Iris favet.*

IV.

*Dianae* natalitia, geniali tripudio, Nympharumque cantu, & choreïs cebrantur. NASCE DIANA, ET OGNI NINFA APPLAUDE. *Oritur Diana: gaudia oriuntur ſimul.*

V.

Ex Apollinis puerperio laboranti *Latónae*, prænàta *Diana* Obſtetricis miniſterium præbet: atque indè parturientibus invocanda Lucina. NATA A PENA, E OSTETRICE AL SUO FRATELLO. *Vix orta, Fratri accurrit orienti Soror.*

VI.

Perpetuae Virginitatis prærogativam ab Jove Genitore *Infantula* deprecatur. CONSENTE IL PADRE AL VIRGINAL SUO VOTO. *Cælibe Puellae comprobat Votum Pater.*

VII.

*Virginum* Sociarum, undecunque pulcherrimarum ſtrenuarumque, delectum habet, ſibique omnes Sacramento adſtringit. DI CACCIATRICI UN CASTO CORDO ADUNA. *Socium laboris agmen, & Voti legit.*

VIII.

Ab Sylvanorum Principe atque Protopaſtore *Pane*, egregios venāticorum *Canum* Greges impetrat. DAL FIERO PAN, I FIERI CANI OTTIENE. *Ferus feros Pan tradit Infanti Canes.*

IX.

Infantula *Diana* Lemniam ingreſſa officinam, ut *Arma* poſcat, *Brontem Cyclopem*, qui audacter blandus, in ſinu ſublatam oſculari avebat, fuliginoſam cæſariem barbamque vellens, deturpat. SCHIFA DI BRONTE IL TEMERARIO BACIO. *Dum tela poſcit, oſculum Bronti negat.*

X.

*Venabula*, *ſagittas*, *gladios* Puellae allaborant Cyclopes, urgente Vulcano.

SUDA

Digitized by Google

SUDA INTORNO A' SUOI DARDI OGNI CICLOPE. *Sæva arma tenerae Lemnii ſudant Fabri.*

XI.

Auteum gemmatumque *Currum* Vulcanus Puellae affabrè concinnat. L'AUREO CARRO LE APPRESTA IL FABRO ETNEO. *Auro nitentem Múlciber Currum ſtruit.*

XII.

Sublimem curru *Dianam*, ſubacti jugo Cervi, ad ſylvoſam Cynthi Regiam, Nymphis comitantibus, evehunt. CON LE SUE NINFE AL REGNO SUO S'INVIA. *Nemoróſa Cynthi Regna cum Nymphis petit.*

# PRIMUM CONCLAVE.

## *In ſiniſtrâ Ædium parte ad Meridiem.*

Hìc, toto parietum ambitu, totam *Iphigeniæ* Fabulam conſequenter, & emblematicè deſcriptam vides.

I.

Primâ in Tabulâ, Dianae Cervam Sacro in ſaltu pabulantem, *Agamemnon* Græcae Claſsis Imperator, Religionis ignarus, venando transfigit. ALTO ESORDIO DI AFFANNI E' UN PICCIOL FALLO. *Gravium malorum exordium eſt error levis.*

II.

Ab ultrice Dianâ rogatus *Ventorum Arbiter*, ne Græcorum Claſsis ex Aúlidis Portu Trojanam ad expeditionem ſolvat, immiſsâ pertinaci tempeſtate omninò prohibet. IL DELITTO DI UN SOLO A TUTTI NUOCE. *Plerumque cunctis error unus nocet.*

III.

Conſulenti Agamemoni, *Délphici Apollinis* (nempe Dianae Fratris) Oraculum reſpondet, niſi Agamemnonio ſanguine ſedati Ventos non poſſe. CHI GLI ORACOLI CERCA, IL SUO MAL TROVA. *Oracla ſcrutans, invenit quod non placet.*

IV.

Oraculi Interpres Calchas denunciat, ſacrificandam eſſe Dianae *Agamemnonis Filiam Iphigeniam*; quam verſurus Ulyſſes, Achillei connub ii ſimulatione, à Matre abducit. PRONUBO DELLA MORTE E' L'HIMENEO. *Mortis cruenta Prónubus ſæpè eſt Hymen.*

V.

Ante flammantem Dianae Aram mactanda ſiſtitur *Puella*, Patris dolor: jamque Calchas nudato gladio, ſolémnia concipit verba. DEL SOL FUOCO D'AMOR VITTIMA DEGNA. *Heu ſolo Amoris igne digna Victima!*



Digitized by Google

VI.

Dum virgineo jugulo cultrum immergit Calchas, pro Virgine (quam Diana mire ſummoverat) Cervam mactat: unde adagium, *Pro Virgine Cerva.* ESSER CRUDA NON PUO' DIVA CH'E' BELLA. *Crudelis eſſe pulchra non poteſt Dea.* Pulcra facies, pulcri index animi.

VII.

Servatam *Puellam* Diana, in Boſphori Thracii Peninſulam Tauridem transfert, ubi Græci omnes advenae à Thoante Rege Ferinae Dianae ſacrificantur. CANGIA SUOLO, E NON SORTE UN' INFELICE. *Sedem Miſer mutare, non ſortem poteſt.*

VIII.

*Iphigeniam*, Græcorum advenarum ſacrificiis Antiſtitam præficit Thoas. DA' PROPRI CASI AD ESSER FIER S'IMPARA. *Quæ quisque patitur dira, feritatem docent.*

IX.

*Oreſtes* Iphigeniae Frater, in Tauridem vento pulſus, Cervam Dianae Sacram (quod Patri acciderat) inſcius Venator ſauciat. PASSA IL FATO DE' PADRI ANCO ALLA PROLE. *Etiam in Nepotes Fata Majorum migrant.*

X.

Dum manctandi *Oreſtes* humerum nudat Soror, noto è veſtigio ignotum Fratrem agnoſcit; & abjecto cultro; ſtupore, gaudio, dolore confusim perculſa, in illius complexum ruit. CONTRA L'AGNATO SANGUE IL FERRO E' IMBELLE. *Imbellis eſt in ſanguinem agnatum manus.*

XI.

*Iphigenia & Oreſtes*, impium Thoantem interficiunt, legem abolent, theſauros deripiunt. NELL' AUTOR SI RITORCE UN' EMPIA LEGGE. *Injuſta récidunt Jura in authoris caput.*

XII.

*Iphigenia* cum *Fratre* in Italiam profuga, humanioris Cœli ſvavitate, ad mitiorem Dianae cultum curas omnes intendit. INFLUISCE PIETADE UN DOLCE CLIMA. *Pios ſuavis Regio mores influit.*

# REGIUM CUBICULUM
## Ad Meridiem.

COntinet hoc Cubiculum celebriora Dianae *Templa*, moratis ſententiolis emblematice inſcripta.

I.

Prima Tabula, *Ephéſiae Dianae Templum* omnium celeberrimum, quale habuerit exordium docet. Cùm nimirùm Amazonum *Regina Sármona* Dianæ Sacerdos,

cerdos, Lunae inſigne in Peltâ geſtans, Scythico è Cœlo in Aſiam minorem cum peltato Viraginum Exercitu velificata; Jóniæ Regem propè Epheſum aperto Marte próvocat, & proſternit. Inſcriptio, DONNA DI CUOR VIRILE, E UN NOBIL MOSTRO. *Fœmina virili corde, Monſtrum eſt nobile.*

II.

Eadem *Regina*, in ipſo Victoriæ loco, auſpicis Dianæ ſimulacrum ſuper Aram, monumentum æternum, collocat. ANCO IN SCITTICO PETTO ENTRA PIETADE. *Pietas cor etiam barbari ingreditur Scythæ.* Magna enim Religionis eſt vis.

III.

Aſiæ totius Reges atque Populi, circa illam Dianæ Aram *Templum Epheſinum*, Orbis miraculum, ducennali opere, collatis opibus moliuntur. SEGUE A' PICCIOLI ESORDI UN FINE AUGUSTO. *Sequitur initium, finis auguſtus, leve.*

IV.

*Lygdamus* Thracum Tyrannus, Epheſinum Dianæ Templum igni ac ferto demoliri aggreditur: omneſque Barbari arma, & faſces deproperant. NON PURE I DII SON DALL'INVIDIA IMMUNI. *Nedum ſupremos excipit livor Deos.* Eximiæ virtutis viros ſubaudi.

V.

*Diana vindex*, Virgineo állaborante Choro, gladiis teliſque horribilem Thracum ſtragem edens, ſuas Ædes ſervat. NULLA E' PIU FIER, CHE L'INNOCENZA OFFESA. *Nil provocatâ pejus innocentiâ.*

VI.

*Heróſtratus Ephéſius* immortale idem Templum, ut obſcuritati ſui nominis lucem aliquam venetur, inflammat. NELLE INFAMIÆ IL FELLON CERCA LA FAMA. *Infamis, etiam e turpibus, famam petit.* Et ſanè majus miraculum fuit, Templum illud una manu deſtrui, quàm tantis conſtrui.

VII.

Epheſiorum, Aſiæque totius donis, *Templum*, à ſe (1) minimè degener, reviviſcit. Quodque admirabilius, *Matronae* omnes ac nobiles Puellæ, ſexui faventiores; armillas, inaures, atque ſpecula, Dianæ contribuunt. UN GRAN DONO E DONAR CIO CHE SI ADORA. *Quod quis colit donare, donum eſt maximum.* Nam Gemmæ, Fœminarum Idóla ſunt.

VIII.

*Agamemnon Rex*, ob ſervatam, uti diximus, Filiolam, ſedatamque tempeſtatem, voti adſtrictus; *Diana Aúlidi*, ubi Filiam ſacraverat, *Templum* ſacrat. QUANTO CARO TALOR SI COMPRA IL VENTO! *Mercede ventus emitur quantâ levis!*

IX. *Dia-*

(1) *Strabone teſte, redivivum hoc Templum primævi magnificentiam æquabat.*

Digitized by Google

IX.

*Dianae Partheniae*, hoc eſt Virgineæ, *Fanum* viſitur in aprico ejus nominis Clivo, quo confugientes Cervi, occultâ virtute Canes cohibente, ſecuritatem obtinent, atque audaciam; usque adeò, ut Canibus ſint terrori. RENDE I TIMIDI ARDITI UN FIDO ASILO. *Securitas audaciam ignavis facit.* Potentium patrocinium intellige.

X.

*Britomartis Virgo*, ut dictum eſt, retibus expedita; auguſtum Dianæ *Templum* vovet, inſigni Simulacro aurea Retia utrâque manu oſtentante. CONSERVATO CANDOR MERITA ALTARI. *Servatus Aras candor auguſtas meret.* Angelica enim Virtus Virginitas eſt.

XI.

*Dianae Perſicae Templum*, ubi Sacræ Virgines, ardentibus illæſo pede prunis inſiliunt. NON PUO SENTIRE ARDOR CHI HA IL CUOR DI GHIACCIO. *Calere flammis algidum pectus nequit.* Dianæ hujus Simulacrum Taurinâ facie, facem ventilans, colebatur.

XII.

In ampla Elidis planicie, ante Elcæ Dianæ Fanum, diverſis ſolemnium *Ludorum ſpectaculis* Competitores exercentur, equitatu, curriculo, pugilatu, luctâ. Ac ferè talia ſunt mortalium negotia. GRAN SUDOR, GRAN FATICA, E TUTTO E' GIOCO. *Curſus, labor, ſudorque: ludus omnia.* Templi hujus Aram inſiſtebat Dianæ Statua; Leonem dextrâ, Pardum ſiniſtrâ valido retinens loro.

# QUATUOR CONCAMERATA CONCLAVIA.

## *In Ædium angulis ſita.*

HÆc ad quadruplicem Venatricis Dianæ poteſtatem, *Æthériam*, *Aquátilem*, *Terrénam*, & *Infernam*, emblematicè alludunt.

## PRIMUM CONCLAVE ANGULARE Ad Aquilonem.

## *De Æthériâ VENATIONE.*

MEdiâ in Teſtudine, *Diana* iisdem jaculis, quibus uſa eſt contrà Feras, contrà *Gigantaa Monſtra* Cœlum temerè aggreſſa, promiſcua eorum clade Poteſtatem experitur. MAI DIANA NON FE' CACCIA SI DEGNA. *Nullâ eſt Dianâ dignior Venatio.* Nam Impios perdere, ſumma Principis virtus.

*Quatuor*

Digitized by Google

## *Quatuor Amoris Symbola in minoribus Teſtudinis ſpatiis.*

I.

*Venator Cupido* ad altivolam Gruem, Venatorium *Sclopum* nitrato fartum pulvere diſploſurus, collimat. Inſcriptio ad *Ferreum Sclopi Canem* Symbolice alludit. PIU FIER DI UN CAN CHE LATRA, E' UN CAN CHE TACE. *Latrante tacitus eſt Canis pejor Cane.* Ad tacitos Amatores alluditur.

II.

In arbore deſidentem *Accipitrem Auceps Cupido*, rotato agnini Cordis ſimulacrro ad pedicas revocat. UN FINTO COR LA LIBERTA MI TOGLIE. *Captivitatem Cor mihi fictum parit.*

III.

Occultus *Auceps Cupido*, viſcatis calamis alto amiti infixis, noto ſibilo ſupervolitantes allicit *Turdos:* quorum aliquis incautior, tenaci glutino implicitus, fruſtrà ſeſe agitat. QUANTO PIU MI DIBATTO, PIU M'INTRICO, *Quo me magis pervolvo, me magis implico.*

IV.

*Cupido* contento Arcu, *Manucodiatam*, quam Cæli Avem vocant, alto ſemper æthere pervagantem, figit. CHE VAL FUGGIR, SE ANCORA IN CIEL MI COGLIE? *Si ad Aſtra penetrant tela, quid prodeſt fuga?*

## *Quatuor Emblematicæ Hiſtoriæ In Parietum lateribus.*

I.

*Stymphálidas Volucres*, fœmineâ ſpecie ſingulares, quæ ferreas alarum pinnas jaculabantur, ſuis *Alcides* jaculis venatur, ſpectante ac plaudente Dianâ. CONTRA UN DIVINO STRAL VOLO NON VALE. *Divina citius tela quam pennae volant.* Nam ſceleſtis à Divinâ ultione nullibi ſecuritas eſt.

II.

*Caſtor*, & *Pollux* fraterni Amoris exempla, ſuis venabulis *aligerorum Ventorum* turbâ toto æthere depulsâ, Cælum ſerenant. RENDERE IL CIEL TRANQVILLO OPRA E DEL CIELO. *Placare Cœlum, Cælitum tantum eſt opus.* Alluditur ad Publicæ pacis Authores.

III.

*Bellérophon* volitantem Equnm à Dianâ dono acceptum inſidens, Tergeminum *Chymaræ* Monſtrum alis ſuſpenſum in aeëre occidit. SOL PER MORIR PIU VOLTE, HA MOLTE VITE. *Tergemina geſtat Capita, ne pereat ſemel.* Verſipelles ſæpè periculum effugiunt, non ſemper.

X IV. *Ca-*

Digitized by Google

IV.

*Cálais & Zethes* , volucres Boreæ Filii, *volucres Harpyias*, quæ Phinéi Regnum peſtiferè infeſtabant, usque ad Inſulas Strophadas venábulis conſectantur. UN BRAVO CACCIATOR' E' CHI LE COGLIE. *Venator has qui capiat, eſt navus, Feras.* In Peculatores.

## ALTERUM CONCLAVE ANGULARE
### Ad Aquilonem.

### *De Aquatili Venatione.*

MEdiâ in Teſtudine, *Diana Dictynna*, id eſt, Piſcatrix, ſuis cum Nymphis, *Aureum Rete monſtroſorum Piſcium* capturâ diſtentum, ducit. CORRE LIETA OGNI PREDA A SI BEI LACCI. *Occurrit ultrò talibus Præda laqueis.* Exteros allicit Beneficentia.

### *Quatuor Amoris Symbola in minoribus Teſtudinis ſpatiis.*

I.

*Cupido Naſsâ* piſcatur, vimineo nimírum clauſtro, coeuntibus in anguſtum virgis; ut facilis piſcibus ſit ingreſſus, regreſſus nullus. CHI VVOLE USCIR, NON ENTRI. *Egredi vis? ne ingréditor.*

II.

*Piſcator Cupído* hamum eſcâ indutum in lacum demittit, quam licet ingluvioſus *Piſcis*, capeſſere formidat. AMO L'ESCA, NON L'AMO. *Eſcam amo, non Hamum*: ſed Italicè argutiùs ſonat alliteratio, quàm latinè.

III.

*Piſcator Cupído*, piſcinam conto perturbans *Anguillas* capit: NEL TORBIDO. *In Turbido.*

IV.

*Piſcator Cupído* medicatam frugem Piſcibus ſpargit. TROPPO AMARO SARA, CIO CH' E' SI DOLCE. *Heu nimis acerbum, quod nimis dulce eſt, erit.* Nam extrema gaudii occupat luctus, & carò emitur pœnitere.

### *Quatuor Emblematicæ Hiſtoriæ in Parietum lateribus.*

I.

*Polycrates* Samiorum *Rex*, dexteriorem expertus Fortunam, deteriorem metuens;

Digitized by Google

tuens; ut adverſi aliquid experiatur, *Gemmam cariſſimam* Mari obtrúdit, quam etiam, quaſi à Fortunâ rejectam, in ventre Piſcis incogitatò recuperat. DESTRA E FORTUNA A CHI LA VOOL SINISTRA. *Fortuna dextra eſt, ſi ſiniſtram mavelis.*

II.

Rixantibus *Cois* & *Mileſiis* de aureo Tripode, piſcariâ in ſagenâ reperto: inter utroſque convénit, ut Græcorum Sapientiſſimus eo potiretur: itaque Sollóni óbvenit. DELLE LITI DE' SCIOCCHI IL SAGGIO HA IL FRUTTO. *Quod mente capti litigant, Sapiens capit.*

III.

*Mamercus Piſcator*, reperto in retibus *Theſauro* arti laborioſæ renunciavit. ADIO PESCI, ADIO RETI; HO ASSAI PESCATO. *Retia valete: hæc ſufficit Piſcatio.* Ubi quis in Principis ſervitio lucrum fecit, ſervitium didignatur.

IV.

Quos *Glaucus Piſcator* Marinâ ex undâ ſemíneces duxerat *Piſces*: herbæ cujuſdam litóreæ contactu, ſaliunt redivivi. NELLA PATRIA ALCUN DORME, E FUOR SI DESTA. *Plerique deſides domi, evigilant foris.* Nihil utilius ignavis, quàm domeſtico è foculo diſcedere: nam neceſſitas ingenium acuit.

# CONCLAVE ANGULARE
## Ad Auſtrum.
## *De Terrenâ Venatione.*

MEdiâ in Teſtudine, príma *Dianae Infantulae* Venatio, primuſque labor expictus eſt, ex Hymno *Callimachi*: cùm quinque auricornes, & æripedes, pedeſtri curſu (1) *Cervas* venata eſt: quarum quatuor ipſa interfecit; quintam Junoni ad fatigandum Herculem, ſervavit incolumen. ALTO PRINCIPIO A GRAN PROGRESSI E D'UOPO. *Principia magnus magna progreſſus petit.* A teneris veſtigia ſtrenuitatis appárent.

## *Quatuor Amoris Symbola in minoribus Teſtudinis ſpatiis.*

I.

*Cupido Venator*, dumoſas inter anguſtias, occultas inſtruit *plagas.* DENTRO S'INVOLGERA CHI MEN SEL CREDE. *Seſe implicabit,*



(1) *Cervas, Graci, & Latini, tam Mares, quàm Fœminas vocant; uti lépores. Ac noſtri etiam Itali, ut Petrarc. Vidi una Cerva conduc corna d'ore.*

Digitized by Google

*cabit, qui ſibi minus timet.* Intuta eſt contra Cupidinem propriæ virtutis confidentia.

II.

*Cupido Canem odoratorem* ad luſtranda Feræ cubilia præmittit: *Vertagum* autem celerem, quoad illa exeat, loris cohibet. ALTRI LEVA LA FIERA, ALTRI LA GODE. *Alter Feram delatebrat; aſt alter capit.* Sic ſæpè accidit.

III.

*Cupido*, morticinæ carnis fruſtulo curvatæ arbori adalligato, ad opertum frondibus ſcrobem avidos invitat *Lupos.* PERCHE PERA CHI ASPIRA. *Ut ſpiret qui aſpirat.* Fœminea verſutia cavenda.

IV.

*Cupido* aureo jaculo *Cervas* venatur. DA SIMIL DARDO OGNI GRAN FIERA E PRESA. *Sternuntur iſto maximae telo Ferae.*

## *Quatuor Emblematicæ Hiſtoriæ in Parietum lateribus.*

I.

*Hercules*, Euryſteo imperante quo perire poſſet, *Æripidem Cervam*, quam Junoni (ut ante dictum) Diana ſepoſuerat, aſſequitur. FA L'OSSEQUIO PIU ILLUSTRE UN FIER COMANDO. *Obſequia durum illuſtria Imperium facit.*

II.

*Diana* geminos *Canes*, qui intactâ Prædâ nunquam redibant; *aureumque Telum*, quo quicquid peteret conſequebatur, Prócridi Venatrici dono tradit. COSTERA CARO A PROCRI UN SI BEL DONO. *Tam cara carò dona conſtabunt Procri.* Nam Jaculo eodem ab amantiſsimo Conjuge perempta eſt. *Ovid.*

III.

*Alexander*, animo verè Magnus, Leonum venatu unicè usque ad eorum necem gaudens; cum *Leone* ſolus colluctatur, illumque conficit. Attonitus aſtat (1) Spartanorum Legatus. SDEGNA LE FIERE IMBELLI UN CORE INVITTO. *Animus puſillas non capit Magnus Feras.* Quam laudem Aſcanio, ignavas Feras dedignanti *Virgilius* tribuit. *Optat Aprum, aut fulvum deſcendere Monte Leonem.* Cum vili hoſte non rixatur Magnanimus.

IV.

*Lycurgus* Lacedæmonium Prorex, Venatorio habitu, *Ferarum venatione*, ad bellorum laborem Juvenes exercet. *Xénophon in Rep.* LA FINTA PUGNA ALLE NON FINTE AVVEZZA. *Hæc ficta pugnas pugna non fictas docet.*

ALTE-

(1) *Qui Alexandro victori plaudens; De Orbis (inquit) Imperio dimicaſti.* Plutarc.

Digitized by Google

# ALTERUM CUBICULUM ANGULARE Ad Auſtrum.

## *De Infernâ Venatione.*

MEdia in Teſtudine, *Diana Inferna*, quam Fœmineo, Equino, Canino capite Triformem vocant Hecatem, nigro curru ab nigris vecta Cervis, *Tartarea* venatur *Monſtra*. Ater habitus venatorius argento nitet: argento bâltheus, atque cornu. Venabulum rotat nigrum, flammeâ cúſpide. Sequuntur Nymphæ ſpecioſisſimâ facie, anguíneis crinibus; ferrugineo amictu, Furiarum more, colubris præcincto: atque alia Cerberum vinctum catenis tenet: aliæ furva Retia geſtant, atque faces, quarum ſplendore nocturna loci facies illuminatur. UN GRAN VALOR ANCO TRA L'OMBRE E CHIARO. *Vel inter Umbras nobilis Virtus micat.* Conſcótinam Hermodori & Epicuri virtutem illuſtrem fecit látebra.

## *Quatuor Amoris Symbola in minoribus ſpatiis.*

### I.

Primâ in Tabulâ cæcígenus *Cupido*, nocte illuminâ, paluſtri ſedens in margine, dextrâ reticulum, lævâ geminas faces tenet, quarum coruſcatione accitos è latebris *Cancros* captat. TRAMMI CON DUO BEI LUMI UN CIECO A MORTE. *Me, Luce geminâ Cæcus ad lethum trahit.*

### II.

*Cupido Veſpertiliones* noctu aucupatur, accensâ face; ad quam Volucres hi, nimio lucis amore involantes, alas flammis impendunt. Pro Inſcriptione celebre illud eſt carmen. E PURCHE GODAN GLI OCCHI, ARDAN LE PIUME. *Dùm perfruatur oculus, alæ exardeant.* Multos pauperat, quod oculis placet.

### III.

*Cupido Vulpem* venatur; cujus ima fovea cùm gemino ſemper oſtio hiare ſoleat; Venator, alteri oſtiolo *laqueum* obducit, alteri *fumiferam Facem* immergit; ut verſuta beſtiola verſutiis victa, malum incurrat, dum malum vitat. PER FUGGIR DALLE FIAMME, ENTRO NE' LACCI. *Fugiens Fa.is pericla, me illaqueo miſer.* Ad ſolemne illud reſpicit. *Melius eſt nubere quàm uri.*

### IV.

*Urſum Cupido* ſubterraneo in cubili dormientem ligat: ſomno enim mergitur profundisſimo. TUTTO DEVE TEMER CHI NULLA TEME. *Timere debet cuncta, qui nihil timet.* Senec.



Digitized by Google

## *Quatuor Emblematicæ Hiſtoriæ In Parietum lateribus.*

*Proſérpina* Erebi Regina, ātrem & auro inſignem ſuccincta Chlamydem, in Avernali Nemore Monſtroſam Umbram Leoniformem igneo inſectatur venabulo: ſic enim Phocenſes *Proſérpinam Venatricem* colebant. *Natal.Com.* CORRO, E FATICO, E CH'IO PRENDO E UN' OMBRA. *Laboro, anhelo, & Umbra, quod capio, eſt levis.* Opes intellige, ac dignitates; vana laborantium Idola.

II.

*Tiſiphone* Furiarum crudeliſſima, *Orióni* Venatorum iniquiſſimo, nigerrimam donat *Caniculam*, oculis & faucibus flammas jaculantem; quæ qualemcunque Tartaream capiebat Feram: & in Cœlum translata, caniculares æſtus afflare dicitur. TAL CACCIATOR, TAL CANE. *Qualis Venator, talis Moloſſus.* Mali Principes, malos Miniſtros.

III.

*Equeſtris Achillis Umbra*, Infernis etiam in ſaltibus Umbras venatur; ut *Homerus Odiſſ. 11.* ANCO ALL' OMBRE FA GUERRA UN FIERO SDEGNO. *Perſequitur Umbras maximus etiam furor.* Ut qui in mortuorum famam ſæviunt.

IV.

*Hercules* Tártarum ingreſſus, inſatiabilem Vulturium, qui redivivum Tityi jecur crudeliſſimè lancinabat, venatorio transfigit jaculo. CHI NON SENTE PIETA, PIETA NON MERTA. *Cui nulla pietas eſt, pium eſſe, eſt impium.*

## ANTERIUS CUBICULUM.

### *Regiæ Matris, Chriſtianæ à Franciâ.*

AD ſolicitos Heroinæ hujus, publicam ob felicitatem, labores ſignficandos; unica Tabula jucundiſſimum *Dianae Triumphum* poſt venationes exhibet, ex Hymno *Callimachi.* Cùm nimirum venatricibus ſtipata Nymphis, ingentem prædam ad Divorum voluptatem cæleſtibus infert Atriis, offertque Jovi. ELLA FATICA, E TUTTO IL CIEL NE GODE. *Divûm eſt voluptas omnium, Unius labor.*

## INTERIUS EJUSDEM CUBICULUM.

Hic etiam, ubi Regius Torus privatæ ejus quieti dicatus eſt, unica Tabula *Dianam* amœniſſimâ in ripâ ad placidi decurſum fontis quieſcentem, conſequenti al-

ti allegoriâ repræſentat. Nymphæ laborum ſociæ, molli in gramine recubantes, calamis fidibusque Somnum Divæ conciliant; & emeriti conquieſcunt Canes. SOL PER NON RIPOSAR, PRENDO RIPOSO. *Mihi, ne quieſcam, dulcis eſt tantùm quies.*

# CONCLAVE OVATUM
## Ad Aquilonem.

Cum nobiliora Venatoriæ pugnæ arma ſint *Canes*: placuit Authori pro corollario, *Memorabilium Canum* hiſtorica Emblemata hoc in Penetrali venuſtiſſimo collocare.

Supremâ igitur in Tabulâ, venatum abitura *Diana*, Canes omnes gregatim à cuſtodibus Nymphis adduci jubet; iiſque per Claſſes, velut in diribitorio, luſtratis, aptiores ſecernit. NON OGNI CANE AD OGN' IMPRESA E NATO. *Non omnis operi natus eſt omni* Canis. Præcipua Principis cura, Miniſtrorum delectus.

## *In octangulis parietum lateribus Octo Canes memorabiles.*

Singuli verò, ut cognoſci posſint, Nomen aut Titulum ſuum in Collari vinculo deſcriptum ferunt.

I.

Prima in Tabula, *Cephali canis* eſt pictus, léporem mordicus deferens: nam, uti ex Ovidio prædiximus, ſine præda nunquam revertens, quotidianum Domino pendebat tributum. MAI SENZA PREDA AL MIO SIGNOR RITORNO. *Nunquam ad Patronum redeo ſine prædâ meum.* Vectigales hoſce amare Canes Domini ſolent.

II.

*Canis Ulyſſis:* qui, cùm Dominum ab Ilio reverſum, Senio & ſqvalore à ſe disſimilem, domeſtici non agnoſcerent, acerbiùsque repellerent; unus agnoſcit, & feſtivè blanditur. *Ex Homer. Odyſs.* MEGLIO D'OGN'ALTRO IL MIO SIGNOR CONOBBI. *Novi reverſum blandus ante omnes Herum.* Viliores fideliores.

III.

*Canis Pyrrhi:* qui extincto, & Pyræ impoſito Domino, Pyram conſcendit, illique commoritur: commorientium (1) Amicorum miraculum minuens. FEDE LA FIAMMA FE DELLA MIA FEDE. *Fera Flamma Fidei præſtitit fidem mea.*

IV. Ca-

(1) *Commorientium ſecta, qui cum Amico vivi tumulabantur.*

Digitized by Google

IV.

*Canis Corinnae* Poëtriæ, Ovidii Amaſiæ ; qui Fures ab Amantibus dignoſcebat ; illis ferus, his tacitus. LATRAI A I LA DRI, ET AGLI AMANTI TACQUI. *Latratu fures, excepi mutus amantes.* Sic Domino ſimul, & Dominæ placui. *Ex latinâ antholog.*

V.

*Canis Vulcani*, quem Ætnea in officina ignipotens ille Faber ære fudit inanimem, mox animavit. HEBBI LA MORTE PRIMA, E POI LA VITA. *Mori priusquam viverem, mihi contigit.* Multa ingenia, initiò obſtupida, adoleſcendo ſapiunt, ut Fabius Ovicula, & Junius Brutus.

VI.

*Lelapa Cœleſtis Canis*, quem Aſtrologi Procyónem vocant Stellis oculatum. SCORRE IL MONDO OGNI DI, NE MAI SI STANCA. *Haud laſſus unquam ſemper Orbem circuit.* Cuſtodia vigil.

VII.

*Plutonis Canis;* triceps Tænarii liminis Cuſtos, inſomnis Umbrarum terror. PERCHE ALTRI NON RIPOSI, NON RIPOSO. *Ne alii quieſcant, neſcio quieſcere.* In Zoilos, & obtrectatores.

VIII.

*Anúbis Canis*, ab Ægyptiis adoratus, quòd Iſidem & Oſiridem, eorum Regem ſumma vigilantia & fidelitate cuſtodiſſet. *Pier. lib. 5.* ANCOR FRA' NUMI UN CAN FEDEL SI ADORA. *Etiam Canem fidelitas fecit Deum.* Fidi Arcium Cuſtodes, ſummè honorandi.

## ALTERUM
## CONCLAVE OVATUM
### Ad Meridiem.

COntinet hoc Conclave itidem pro corollario *Memorabilium Cervorum* hiſtorica Emblemata : quorum etiam nomina in Collari leguntur.

Sublimiore in Tabula, ut Regiæ Chriſtinæ à Francia Majoribus plauderet noſter Author, nobilem *Cervum Caroli Septimi* Francorum Regis, pingi voluit : qui à Canibus in Sylvanectenſi ſaltu agitatus, cùm in Regias Venantis manus vivus incidiſſet ; inventus eſt hoc titulo circa collum inſignitus. (1) HOC CÆSAR ME DONAVIT. *Ricc. hiſt. Franc. lib. 3.* HA DI CESARE IL NOME, E NON IL CORE. *Gerit iſte Nomen Cæſaris, Cor non gerit.* In degeneres.

*Octan*

(1) *Creditum eſt, Cervum hunc à Julio Cæſare fuiſſe manumiſſum, & quatuordecim ſecula ſuperaſſe : ſi fas eſt credere.*

Digitized by Google

## *Octangulorum Parietum Emblematicæ Hiſtoriæ.*

### I.

*Cerva Dianae*, albícolor, floribus redimita, & conſperſa; quæ in Aulide, pro Virgine Iphigeniâ, ut prædiximus, (1) immolata fuit. NASCOSA TRA BEI FIOR VEGGIO LA MORTE. *Heu! Mors corollas inter & flores latet.* Inſidioſa hoſtium munera.

### II.

*Cerva Telephi* Myſorum Regis, Herculis Filii; qui ab Avo ſylveſtribus beluis expoſitus, Altrícis illius uberibus (2) educatur. MORTE DAL PADRE, ET DALLE FIERE HO VITA. *Necem Parens mihi attulit, vitam Fera.* Plerisque humanius eſt exóticum, quàm Patrium ſolum: ut Themiſtocli.

### III.

*Cervus Cypariſſi*, quem cùm Puer adeò dilexiſſet, ut cornua illi, collumque non modò floribus, ſed infulis, ac monilibus ornaret; mox à ſe inter dumos incautiùs peremptum cernens, inſolabili dolore (3) confectus eſt. CHI MI FERI, FU DAL DOLOR FERITO. *Qui me peremit, hunc ſuus përimit dolor.* Nihil felicius, quam nihil nimis amare.

### IV.

*Cerva Camillae*, Volſcorum Reginæ; quæ infantula cum Patre, patrio Regno ejecta, & Dianæ dicata; eandem cum Télepho Feræ charitatem experta; Cervæ pernicitatem, & Dianæ ſtrenuitatem conſequuta eſt. *Virg. 11. Æn.* HAURA' IL COR DI LEON, DI CERVO IL CORSO. *Leonis illi cor erit, Cervae pedes.* Cælica vis Naturam ſuperat.

### V.

*Cerva Sylviae*, Latinorum Regis Filiæ, quam venanti Aſcanii Canes dilacerarunt. FUI CAGION DELLA GVERRA, E DELLA PACE. *Origo Belli Belua, & Pacis fui.* Nam ex Cervæ cæde, Bellum Latinorum cum Æneâ: ex Bello, Conjugium Æneæ cum Sylviâ; perpetuumque Fœdus eſt ortum. Sic ſæpiſsimè adverſa juvant; & in melius Fata vertuntur.

### VI.

*Alexandri Cervus*, quem magnanimus ille Regnorum venator, captum ſervavit, & ſuo nomine collari inſcripto, reſtituit Sylvæ; A UN MAGNANIMO COR, BASTA HAVER VINTO. *Hoſtem Duci viciſſe Magnanimo eſt ſatis.*

### VII.

*Sertorii Cerva*, quam ille à Luſitano quodam acceptam, ſive ſimulatè, ſive

Y præſti-

(1) *Hinc Candida ſemper Cerva Dianæ ſacrificiis adhibita.*

(2) *Hinc illi tanta velocitas, ut Nutricem Alumnus in curſu æquaret.*

(3) *Sed ab amico Apolline in funeſtam ſui nominis arborem, mutatus. Ovid. Met.*

Digitized by Google

præſtigiosè, conſulebat; ſecumque ad expeditiones omnes comitem, atque auſpicem ducens, Dianæ Oraculum eſſe affirmabat. *Ex Plutar. & Agell. l. 22. c. 5.* MEGLIO INSEGNA TALOR CHI HA MANCO INGEGNO. *Plerùmque, melior Conſul eſt indoctior.*

VIII.

*Cæſaris Cervus*, quem Domi familiarem, & militiæ contubernalem alebat: ejusque collo auream laminam cum famigerato illo Titulo, quaſi præſidium, & decus, circumdedit: CÆSAR SUM, NOLI ME TANGERE. Quo inſigni ſecurus ac liber vagabatur. DEL MIO SIGNORE IL NOME SOL MI E' SCUDO. *Herile tutus nomen eſt Clypeus mihi.* Magnorum Principum patrocinia.

# REGIÆ SORORIS CUBICULUM.

## Ad Aquilonem.

IN hoc clementiſſimæ ſimul Heroinæ, ſtrenuiſſimæque Venatricis *Aloyſiae*, amœno receſſu; voluit Author ferocia Monſtra humano ingenio perdomita emblematicè, poſtremo pro corollario, adumbrare.

I.

In Syriæ ſylvâ, *Mentorem Syracuſium* obvius Leo terruit primùm: ſed cùm fugienti opponeret ſeſe, ſupplici queſtu, pedis plantam oſtendit infixâ tumidam cruentamque ſpinâ: quam cum ille ſecurâ jam ac diligenti manu aveliſſet; cruciatu liberata Fera, gratias, ut Fera poteſt, blandíendo, pedesque lambendo retulit liberatori. *Ex Plin. lib. 8.* E LA SPINA MI TOGLIE, E LA FIEREZZA. *Pia feritatem vellit ac ſpinam manus.* Hoſtilis potentia officiis mulcenda.

II.

*Elpis Samius* in Africam procellâ delatus, cùm Leonem hiante ore ad ſe properantem pavéret, ſummamque in arborem repere niteretur, ſupplici gemitu Belua eodem oris hiatu, quo illum terruerat, cum dolorem in faucibus aliquem ſignificaſſet, deſcendit; atque eâdem charitate, acutum oſſis fruſtulum, quòd avidiùs mandentis dentibus inhæſerat, manu extrahit. BEN SOVENTE SI AFFOGA IL TROPPO INGORDO. *Perſapè Mortem devorat nimium vorax.* Noxia Rapacitas.

III.

*Philinus Philoſophus* effœtam Panthéram mœrenti ſimilem, & aliquid precantem, depoſitâ formidine ſequutus ad foveam, ubi Catuli ceciderant, illos edúcit, ac geſtienti matri reſtituit. Quæ deindè beneficii memor, quotidianos ex venatione commeatus bunemerito afferebat. *Ex Demetrio Phyſico.* GIOVA L'ESSER PIETOSO ANCO A' SPIETATI. *Etiam Feris prodeſſe, prodeſt plurimum.* Juviſſe juvat.

IV. *Ba-*

IV.

*Bajanus Puer* Lucrino in litore Delphinum Piſcem aſsiduitate cibi usque adeò ſibi demeruit, ut cum Baiis Putéolos ad literariam Paleſtram itaret reditetque; per æſtuoſos illum fluctus impavidus inequitaret. *Ex Mecænatis, & Flavii Alfidii literis.* Hac igitur in Tabulâ Puer eſt pictus, altum per æquor repando inſidens lubricae Ferae dorſo, elatâ dexterâ librum tenens: cum hac inſcriptione. ALLA VIRTU QUALUNQUE VIA E' SICURA. *Eſt invia Viro nulla Sapienti via.* (1)

V.

*Hircánus Venator*, charisſimos Tigridi Catulos furatus, perſequentis rabiem matris curſumque ſiſtit objecto ſpeculo, in quo propriam imaginem dum illa intuetur, hic effugit. *Ex Claudian. l. 3. de raptu Proſerp.* CHI SE STESSO RIMIRA, ALTRI NON CACCIA. *Ceſſat alios urgere, qui ſe reſpicit.* In Cenſores.

VI.

*Indus*, indomitum Elephantem rábidâ inediâ ita mitigat, ut ordeo deinde propoſito, ad infima pronus obſequia, turribus onerari ſe patiatur; & armatos homines in hoſtem ferat. *Ex Plin. lib. 8. c. 9.* CON LA FAME OGNI ORGOGLIO ALFIN SI DOMA. *Extrema pertináciam fames domat.* Tutior obſidio, quàm vis. Refractarios paupertas mulcet.

VII.

*Monóceros*, ſive Unicornis, ingens Fera, imò Monſtrum agnatis quinque Feris coagmentatum, Equino corpore, Cervino capite, Elephantino pede, Aprinâ caudâ, Taurino mugitu; & uno cornu nigro media fronte cubitorum duûm haſtatum, quo ad truncum arboris rotato, nihil eſt obvium, quod non perfodiat atque perrumpat. Tanto demum robore atque aſtu, ut vivus neque capi, neque decipi poſſit. Atqui hæc eadem beluarum formidabiliſsima, in Virgunculæ tantum ſinu, ubi Fera pabulatur, ſedentis, crudelitatem exuit, ſeque Feram eſſe obliviſcitur. *Ex Pierio lib. 2. cap. 22.* NUOCER NON SA UNA FIERA A UN INNOCENTE: *Nocere neſcit Bélua innocentibus.* Arx tutisſima, nihil ſibi conſcire.

VIII.

*Sylveſtris Taurus*, Ficulnea corolla collo alligata cicuratur. *Ex Plinio lib. 17. c. 7.* Tanta vis imbecillima in Planta, ſed dulcitudinis artifice. CON LA DOLCEZZA OGNI FUROR SI PLACA. *Suavitate vincitur crudelitas.* Munera pro capiſtro.

IX.

*Thoas Arcadicus*, cúm Serpentem à ſe diu educatum, Sylvae reddidiſſet, ſivè ſerpentinum ingenium, ſivè magnitudinem metuens: ac multò poſt in eadem ſylva circumventus à graſſatoribus, exclamaſſet; Serpens, agnita voce ſuis è late-

Y 2 bris

(1) *Morbo extincto Puero, Delphinum ſubinde ad conſuetum litus ventitantem deſiderio ac mœrore ferunt expiraſſe.*

bris erupit, Dominumque ab eorum manibus defendit. *Ex Democrito.* L'HAVER NUTRITO UN DRAGO, E' MIA SALUTE. *Paviſſe Monſtrum ſola mihi ſalus fuit.*

X.

*Armenios quosdam Piſcatores* adductis retibus lætos, repentè aggreſſa Tigris; oblatis contenta piſcibus, abiit innocua: & ad eundem quotidie reverſa locum accepta piſcatus portione, ſecuris tandem convixit. *Ex eodem.* AMOR INTERESSATO, E' AMOR DI BELUA. *Ferinus eſt, ex utili naſcens, Amor.*

# REGIÆ RIPULARUM AULÆ ORNAMENTA.

QUanquam *Ripulana hæc pererga*, ſuo ipſe Argutiarum (1) Volumini noſter Author inſeruerit: quoniam tamen initiò me ſpopondi omnes ejus Inſcriptiones exhibiturum, quae ad me pervenerunt: hæ mihi quoque ſunt hic inſerendae. Idque bona fide, ac ſine plagio. Primùm enim, Authori non ſurripitur, quod publici Juris fecere Typi: deinde, Voluminis hujus accrementum, alterius non eſt decrementum: ibi enim hæc leges ut exemplar, hîc ut exemplum.

In aprico igitur Oppídulo, quod Magni Caroli Emmanuelis Cunabula magnis Urbibus invidendum fecere: auguſta in Aula, quam inſignium Pictorum æmula virtus miraculis implevit: cùm Magnanimus ille Princeps, admirabilem *Amedei Magni* ſtrenuitatem, in Rhodiana obſidione diſſolvenda, ingentibus Tabulis, Regiæ Poſteritati proponere voluiſſet: voluit etiam præmortuas Herôum Imagines, Authoris hujus ingenio, reſpirare; inſcripto ſingulis Tabulis argumento, ne penna cederet penicillis. Quanquàm, Picturis ampliſſimus patebat Campus; Inſcriptionibus arctus, & uniformis.

Prima igitur in Tabula Rhodiorum Equitum Præfectus, Auxiliatore Amedéo, vela pandit.

*Solvit auſpicatò Nobilis Heroum Claſſis,*
*Pro Sydere Crucem, Vota pro Ventis ſequens.*
*Spera Othomanis clauſa Navigiis Rhodos,*
*Hoc victa Sole, Thracia hebeſcet Luna.*

II. Oc-

(1) *Cap. 13. de Argutis inſcriptionibus. Typ. Romæ pag. 716.*

Digitized by Google

II.

## Occiſo Rhodianæ Claſſis Præfecto, Amedeus præficitur.

*Dextris læva principiis, Rhodium Ducem ſagitta necat.*
*Supplicat Amedeo crucifera Enecti Chlamys.*
*Non ille viduæ Crucis moratus preces,*
*Periculoſi Stemmata Imperii lubens induit.*

III.

## Amedeus Turcicæ Claſſis Præfectum cædit

*Dum fervet maritimo Morte Pelagus;*
*Impia Ducem, Pia Dux Claſſis mactat Amedeus.*
*Palpitat orbata Capite impietas,*
*Et Rhodum nutantem virtus unius (1.) tenet.*

IV.

## Captos Rhodon ducit Amedeus.

*Fama volatum vela anticipans Victor,*
*Suis ligatam rudentibus Aſiam remulco trahit,*
*Suis natat Barbaries incluſa Ergaſtulis.*
*Et Rhodios Portus, quos malè optaverat, timet.*

V.

## Rhodii Equites Amedeo gratias plauſusque referunt.

*Metu liber, ſtupore captus Equitum Ordo,*
*Gratiis atque oſculis vindicem cumulat dextram.*
*Huic ſervatricis præmium aſſeritur Frondis.*
*Et qui tot Palmas dederat, Laurum accipit.*

VI.

## Amedeo Triumphus decernitur.

*Agitur Triumphus: pars pompa eſt Hoſtium ſqualor,*
*Vultusque truces. Quod quisque timuit, ridet.*



(1) *Alludit ad Equeſtris Ordinis Titulum.* Fortitudo Ejus Rhodon Tenuit.

*Radiat ſuperbo magnus in Curru victor.*
*Novumque (1.) Solem geſtiens miratur Rhodos.*

VII.

## Amedei contra Saracenos Terreſtris pugna.

*Fœcunda laurus lauros; Victoria Victorias gignit:*
*Et ſemel madidus neſcit abſtergi Mucro.*
*Reductâ Pelago Pradâ, Terris Pradones venatur:*
*Et Crucis Hoſtes, hoſtiliter cruciat.*

VIII.

## Suâ manus Saracenorum Regem interficit.

*Per nubes telorum fulgurat Amedei Ferrum.*
*Et ritu Fulminis alta robuſtiùs quasſans,*
*De tot Barbaris Principem Saracenorum petit.*
*Exinde Rhodiis reddita eſt (2.) Serenitas.*

IX.

## Gentilia Stemmata Rhodienſibus permutare, injuſſu Cæſaris recuſat.

*Ni Cæſar annuat, abnuit pramii ergo,*
*Defenſa Crucis Stemmate avitam mutare Aquilam,*
*Quam gloria Auſpicem Beroldo aſſeruerat Cæſar.*
*Tanta eſt magno in pectore modeſtia.*

X.

## Annuente Cæſare Inſignia mutat.

*Probante Auguſto, grande argumentum capit;*
*Servatum Crucis candorem cruento inſerens Clypeo.*
*Heros Gladio (3.) MAGNUS nec Clypeo minor:*
*Nam quid effecerit Gladius, Clypeus docet.*

UR-

(1) *Alludit ad Rhodium Solis ſimulacrum.*
(2) *Alludit ad illius Inſulæ ſerenitatem: unde ab Horatio Clara Rhodos vocatur. Et Solino teſte;* nunquam dies ità nubilus eſt, ut Solem non conſpiciat.
(3) *Exindè hic Amedeus* Magni *cognomentum obtinuit.*

Digitized by Google

# URBANI PRÆTORII AUGUSTÆ TAURINORUM ORNATUS.

MAgnificos inter Apparatus, quibus Auguſtae Urbis Moderatores, Regiæ Sponſae, quæcunque tandem eligeretur, optatisſimo adventui plaudere (1) ſtatuerant: magnificentisſima fuit, & manſura, Urbani Prætorii feſtinata in anteceſſum Inſtauratio; marmoreo proſpectu, ornatuque undequaquè ſplendido, & Auguſti Nominis digno. Huic igitur Magnificentiæ ſuam quoque Operam noſter Author in Inſcriptionum, & Emblematum varietate lætus contribuit: neque enim facilè crediderim, aut Patritium erga Patriam magis officioſum: aut Patriam erga Patritium magis benevolam reperiri.

*Primi Lapidis Inſcriptio*
*In fundaminum angulo collocati.*

ALMA DIE (2) SEVTA JUNII,
MEMORABILI DIVINI CORPORIS MIRACULO
SACRA,
AUGUSTA TAURINORUM,
URBANUM PALATIUM,
JUCUNDISSIMA REGALIS CONJUGII SPE
SPECIOSIUS REDIVIVUM,
ÆTERNO HOC LAPIDE
ÆTERNÆ FIDELITLTIS AC PIETATIS TESTE,
INAUGURABAT.

## MAJORIS AULÆ ORNATUS.

HIc vetera Urbis decóra, nobilium Hiſtoricorum monumentis, Urbisve Tabulariis eruta; coloribus iconicè, Inſcriptionibus hiſtoricè, ità exponuntur, ut nec Inſcriptionibus ſui deſint colores: & geſtorum vetuſtas nova voluptate ſpectetur.

*Conti-*

(1) *Vide ſuperiùs, de Publicis Principum Receptionibus, pag.* 137.
(2) *Maximè religioſa eſt Urbi hæc dies, ob Auguſtisſima Euchariſtiae prodigium, de quo ſuperius, pag.* 77.

Digitized by Google

## *Contignationis Pictura.*

Media & capaciore in Tabula, Eridanus Ægypti Rex, quem Apim alii vocant, occupato Ligurum Regno Urbem molitur. Inſcriptio ſic habet.

ÆGYPTIO AB REGE, PROPE FLUMINUM REGEM,
REGIA CIVITAS,
ÆGYPTII TAURI OMINE, AC NOMINE,
AUSPICIUM DUCIT.
(1) ANNO ANTE ROMAM DCCCXIX.

## *In minoribus contignationis ſpatiis.*

*I.*

AUGURUM PRINCEPS, HETRURIÆ REX
(2) PIPINUS,
TAURINOS ÆGYPTIIS ERIPIT
ANNO ANTE ROMAM CCCC.

*II.*

PROFLIGATIS HETRUSCIS
BELLOVÆSUS TAURINIS IMPERAT.
ET CISALPINÆ GALLIÆ NOMEN FACIT. (3)
ANNO POST ROMAM CLXVII.

*III.*

AB GALLIS AD ROMANOS
TAURINUM TRANSFERT IMPERIUM
APPIUS CLAUDIUS
ANNO POST ROMAM CCCCLXXVII.

*IV.*

COTTIUM ROMANI ALPINO MUNERANT REGNO.
TAURINAMQUE URBEM ALPIUM PEDEM,
REGNI CAPUT CONSTITUUNT.
ANNO POST ROMAM DCCXL.

# TABULÆ DECEM

## *Superiore in parietum faſciâ.*

Prima in Tabula, ſanguinolentum, Annibalis cum Taurinis prælium depictum vides, cum hoc Inſcripto.

I. TAU-

(1) *Ex Philib. Pingon.* (2) *Ex eodem.* (3) *Ex Liv.*

Digitized by Google

*I.*

TAURINENSEM PLANICIEM, ALPIUM JUGIS ASPERIOREM, ANNIBAL EXPERITUR. NAM IBI OCULUM AMISIT UNUM, (1) HIC QUANTOS? ANNO CCXIX. ANTE SALVATOREM.

(1) Trigintaſex millia Hominum, ingentemque numerum Equorum atque Elephantûm ſe in Taurinis amiſiſſe, Annibal ſuo ore fatetur apud *Livium, lib. 1. dec. 3.*

*II.*

TAURINÆ URBIS FIDELITAS AB DIVO JULIO (1) JULIÆ COLONIÆ JURA: ET COMATA GALLIA, (2) TOGATÆ GALLIÆ NOMEN, PROMERETUR. ANNO XLII. ANTE SALVATOREM.

(1) Pictura Cæſarem Julium oſtendit, Coloniæ ſuæ Inſignia Taurinatibus tradentem: quos Cives Romanos facit. *Calius ſecund. Munſter. Plin.* Nomiſmata Taurini cuſa eo ſeculo, cum Julii Cæſaris effigie, & altrinſecus Tauro inſcripto, COLONIA JULIA. Quod & Vexillorum erat inſigne.

(2) Cives Taurinenſes Romano more, aſſumptâ Togâ, & reſectâ Cæſarie, cum habitu nomen mutavere.

*III.*

ALPIUM TRIUMPHATOR AUGUSTUS, (1) AUGUSTI NOMINIS SUI ADDITAMENTO, JULIAM COLONIAM CÆTERIS ALTIOREM FACIT. ANNO XI. ANTE SALVATOREM.

(1) Participem præliorum Urbem, Auguſti Nominis participem eſſe voluit: & à Romanis acceptum Titulum, Urbi ſuæ commune fecit. Hinc Auguſta Taurinorum dicta. *Dion. lib. 31. & 54. Plin. l. 3. c. 17.* Extantque Nomiſmata, impreſſo Tauro, cum inſcriptione, COLONIA AUGUSTA.

*IV.*

AUGUSTOTAURINATES AB APOSTOLO (1.) BARNABA, CHRISTINA FIDE, POSTINDE NUNQVAM (2.) DENIGRANDA, CANDIDANTUR, ANNO LI. POST NATUM SALVATOREM.

(1) Circa Chriſti Annum illum, Bárnabas Chriſti Apoſtolus, totâ Ciſalpinâ Chriſti verbum diſſeminavit; atque Mediolanenſem Metrópolim conſtituit. *Ex Baronio ſub illo anno; & aliis paſsim.*



Digitized by Google

(2) A ſuſceptâ ſemel Chriſti Fide, Taurinenſes deſciviſſe, nusquàm legitur; imò contrà Novatores propugnaculum fuiſſe, tum priſcæ, tum recentes Hiſtoriæ teſtantur. Væ Italiae! ſi deſciviſſet.

V.

## SANCTA HEROIS JULIANA, SANCTOS HEROAS (1) SOLUTOREM, ADVENTOREM, ET OCTAVIUM, CIVIUM (2) SALUTI SERVATURA, (3) SEPULCRO CONDIT. ANNO CCCVI.

(1) Cruciferae Legionis Thebæorum Martyres; ſub Maximiano palmam adeptos. *Ex Hiſt. Maximiani, Notarii ejus avi.* Et *Guillelm. Baldeſſ. Hiſt. Theb.*

(2) Anno 1537. imminente ab nocturnâ aggreſſione Civibus excidio; Tergemini illi Heróes, quos pridem Tutelares Civitas colebat; mœnibus jam inſidentes aggreſſores, micantibus ſimulacris repulerunt. *Ex Philib. Pingon. ſub illo anno.*

(3) Conquiſita illorum ſacra Corpora, tumulo & ædiculâ religiosè in Urbis pomœrio tunc decoravit: quam poſtmodum ſanctus Victor Taurinenſis Antiſtes, ædibus cenſibusque annuis auxit; eodemque Sacrario pia Conditrix condita fuit: nunc Auguſtisſimo in Templo Societatis Jeſu, junctìm, dignisſimeque aſſervantur.

VI.

## TAURINENSI IN (1) CONCILIO, PESTIFERA PRISCILLIANORUM HÆRESIS IMPRIMITUR: ET ORBI UNIVERSO URBS UNA MEDETUR. ANNO CCCXCVII.

(1) Celebratum eſt hoc Concilium auſpiciis Siricii Pontificis: quem Pictura Poëſeos Soror, oculis oſtendit, licet abſentem: cujus tamen leguntur in Concilio Literae à Pontificis Archinotario: ſimulque literæ Divi Ambroſii prædefuncti; quibus illa Secta Diris devovetur. *Ex Concilii Taurinen. actis c. 5.*

VII.

## A (1) STILICONE IMPERII PRODITORE SEPULTAM AUGUSTAM, (2) BARBARI REGIS HUMANITAS, MINORE FORMA, FORTUNA (3) MAJORE, SUSCITAVIT. ANNO CCCCXX.

(1) Hic Honorii Imperatoris Socer; poſt plurima præclarisſimè geſta, tandem ut Genero pulſo, Eucherium Filium ad Imperium efferret: Gothis, quos devicerat, ità favit, ut per Auguſtae noſtræ ruinas, furentibus aditum in Italiam aperuerit.

(2) Alaricus Gothorum Rex, à Stilicone iniquisſimè ſervatus, Regnoque Ciſal-

Ciſalpino potitus; Taurinorum Auguſtam, Alpium propugnaculum, quadrato ſed minore ambitu reſtituit.

(3) Nam de ſuo ſinu Italiae Reges dedit, ut dicetur.

*VIII.*

MAXIMUS TAURINENSIS,
(1) DOCRINA VERE MAXIMUS,
CONTRA FALLACEM (2) EUTYCHETIS DOCTRINAM
VOCE TONAT, CALAMO FULGURAT.
ANNO CCCCLI.

(1) Celeberrimus hic Taurinenſis Epiſcopus fuit, clàrisſimusque tàm ſcriptis quàm eloquio Eccleſiae ſplendor: cujus Elógia canit *Baronius ſub eo anno.*

(2) Stupere illius doctrinam tria Concilia, Arauſicanum, Romanum, & Mediolanenſe ſub Leone Pontifice: ubi præſertìm contra corrupta Eutychétis dogmata (ut ait *Author*, ac pictura exprimit) voce tonuit, calamo fulguravit.

*IX.*

LONGOBARDORUM REGINA (1) THEUDELINDA,
SOLIO DATURA, QVEM THALAMO DIGNETUR,
AGILULPHUM TAURINORUM DUCEM
PRÆFERT OMNIBUS.
ANNO DLXXXXI.

(1) Piisſima Fœmina, Garibaldi Bavariæ Regis Filia; Antharis Longobardorum Regis Vidua; Prócerum decreto ità Regno ſuccesſit, ut quem eligeret Maritum, Rex eſſet. Illa, neminem ſe, Regnoque digniorem æſtimans, Agilulphum accerſit ſimulatâ causâ; cui, Regiam manum ut oſculetur, accedenti, os porrigit; illaque teſſerâ Conjugem ac Regem facit. *Paul. Diaconus, ipſeque Author in libro de Ital. Regib.* Hinc loci amœnitate capta, ſtatis temporibus Auguſtam Regni Sedem, noſtram in Auguſtam tranſtulit. *Apud eundem.*

*X.*

FLAVIUS AGILULPHUS ET THEUDELINDA,
TAURINUM TRANSLATA REGIA; (1)
JOANNI PRÆCURSORI REGNI PATRONO,
PIO CIVIUM PLAUSU,
SIMPLICI QUOQUE (2) AGRESTIUM LUSU,
METROPOLITANUM TEMPLUM VOVENT,
ANNO DCII.

Mira hujus Tabulæ varietas. Templi fundaminibus Anguralis immittitur lapis: aſtantium Regnum oculis icónicum Templi ſpecimen exhibet Princeps fabrûm: Cives religiosè operi favent: Villicorum aliï, Corybantium ritu racemi-

 feros

feros agitant thyrſos: alii picturato inſultantes plauſtro, lemniſcatos extimulant boves: omnia lætitiae plena.

(1) Prima omnium religioſisſima hæc Regina, D. Joannem Baptiſtam Tutelarem ſuum, Longobardici totius Regni Tutelarem invocavit, ac loci Præſidem. Atque, ut Moguntiam Inſúbricam, quâ delectabatur, celeberrimo ejusdem Patroni Templo illuſtravit, ubi ferream Coronam velut in ſacrario, ad initiandos Longobardorum Reges, repoſuit: ſic eâdem pietate Auguſtam noſtram Italiae Caput, ejusdem Sancti Patrocinio, ſolemni Baſilicae dedicatione, commiſit. *Sigon. Pingon. idemque Author, lib. de Ital. Reg.*

(2) Perennavit eâdem die Præcurſori ſacrâ in Templi encæniâ popularis & feſtiva, ſed religioſa hæc hilaris, pauculis ab hinc annis intermiſſa.

## *Inferioris Majoris Aulæ Ornamenta.*

INfrà parietum faſciam, apertam circumquaque Porticum imitante picturâ, ſtatariae cernuntur octo Cæſarum Imagines, qui poſt Auguſtum adusque Sigismundum, memorabile quodpiam beneficium Urbi noſtræ contulére. Singulis verò, ſingularis memoria redditur, ex Urbano aut Eccleſiaſtico Archivo deprompta, & Imaginibus hiſtoricè ſubſcripta.

*I.*

### TIBERIUS IMPERATOR.

*Ad declarandam propenſionem ſuam,*
*Cæſarea Nomiſmata Taurinæ Coloniæ Symbolo*
*Inſignis.*

*II.*

### NERO IMPERATOR.

*Extincto Rege Cottio*
*Extincti Regni ſemiſſem Taurinenſi Auguſtæ ſubjecit:*
*Et bonis Civibus, etiam mali Principes profuere.*

*III.*

### CONSTANTINUS IMPERATOR.

*Favente edicto, profana Iſidis, & Dianæ Fana,*
*Solutori ac Sylveſtro, Cæleſtibus Patronis,*
*Conſecrare, Civibus concesſit.*

*IV.* OTHO

Digitized by Google

IV.

## OTHO IMPERATOR.

*Auguſtotaurinenſem Rempublicam,*
*Privati, Publici, Credentiarii Concilii,*
*Opportunâ inſtitutione ordinavit.*

V.

## OTHO III. IMPERATOR.

*Taurinenſem Mitram,*
*Adjectâ Cottiarum Vallium nobili laciniâ,*
*Decoravit.*

VI.

## HENRICUS V. IMPERATOR.

*Prolatis Auguſtæ Taurinorum Terminis,*
*Eandem CÆSAREÆ FIDEI PRÆSIDIUM*
*Nuncupavit.*

VII.

## FRIDERICUS IMPERATOR.

*Italiæ incendiarius;*
*Milone Epiſcopo deprecante, Taurinum ſervat:*
*Et inter beneficia numeratur, noluiſſe nocere.*

VIII.

## SIGISMUNDUS IMPERATOR.

*Studiorum omnium Athenæum Auguſtæ Taurinorum,*
*Ne maximis Urbibus invideret,*
*Aperuit.*

# AULÆ MINORIS,

## *Conſiliis deſtinatæ, Ornamenta.*

Cum ſingula Senáculi hujus ornamenta, ad formandos eorum Animos, qui de publicis rebus conſulunt, Author diſpoſuerit, in ſublimi Tabulâ *Cæleſte illud Concilium* quod in Apocalypſi *cap. 4.* deſcribit Apoſtolus, expingi voluit, ubi



Digitized by Google

SAPIENTIÆ Deus, in Seniorum conſeſſu altè fulget; cum hac Inſcriptione.EGO SAPIENTIA HABITO IN CONSILIO. *Proverb. cap. 8.*

## *Minora Contignationis ſpatia.*

In iis, *Virtutes quatuor*, in commune conſulentibus perneceſſariæ, ſymbolicis ſimulacris proponuntur; addito itidem ex Divinis libris documento.

I.

PRUDENTIA. Regiâ ſpecie: librum, ſceptrumque tenens. *Conſilium cuſtodiet te; & Prudentia ſervabit te. Proverb. 8.*

II.

VERITAS, & RECTITUDO. Nudo pectore: perſpicuo Corde: Solem oſtendens. *Non abſcondi Veritatem à Concilio multo. Pſal. 39.*

III.

SECRETUM. Digito labra comprimens, juxta Harpocratis ſimulacrum. *Secretum extraneo ne revéles. Proverb. 25.*

IV.

CONCORDIA, & PAX. Cum Lyrâ, & Caducéo Mercuriali. *Qui pacis ineunt Conſilia, ſequitur eós gaudium. Proverb. 12.*

## *Octo Emblemata, in parietum ambitu.*

In iis, præmemoratæ *Conſiliariorum conditiones*, celeberrimis ex Sacrâ Scripturâ commendantur Exemplis: atque ad Exempla ſingula, congrui Scripturæ loci accommodantur.

*I.*

### *De Concilii neceſſitate generatim.*

Locus.) IBI SALUS, UBI MULTA CONSILIA. *Prov. 2.*

Exemplum.) *Conſiliorum Tribunal, Reipub. firmamentum exornat Salomo.*

Pictura.) Salomo Conſiliorum loco imprímis ſplendidisſimè conſtructo, atque ornato; ſublimi in ſede Prócerum cogit Concilium, quanquam ipſe Sapientisſimus. *3. Reg. 7.*

*II.*

Locus.) QUI SAPIENS EST, AUDIT CONSILIA. *Proverb. 12.*

Exemplum.) *Naamano valetudinem deſperanti, fidele ſuorum Conſilium ſaluti fuit.*

Pictura.) Naaman militum Syriæ Princeps, pernicioſa lue ferè depaſtus, cum Síloe Lymphis corpus elúere, ut monebat Eliſéus, recuſaſſet; ſuorum deinde conſilium ſequutus, lavit, ſtatimque convaluit. Hic itaque Naamam lavat, Serui aſtant. *4. Reg. c. 5.*

*III.*

### *De Veritate ac Rectitudine Conſilii.*

Locus.) PROPTER PECCATA LABIORUM, RUINA. *Proverb. 12.*

Exem-

Digitized by Google

Exemplum.) *Iniquum Caipha Conſilium, flet Hieroſolyma.*
Pictura.) Hieroſolymae incendium, & ruina ex eo Conſilio. *Joan. 11.*

*IV.*

Locus.) SIMULATOR ORE DECIPIT. *Prov. 11.*
Exemplum.) *Adulantium Conſiliis deceptus Achab, Martem laceſſit, & Mortem.*
Pictura.) Achab, adulantibus Pſeudoprophetis, victoriam contra Regem Aſſyriæ mendaci ſpiritu ſpondentibus, confidere malens, quàm Micheæ Prophetæ, qui vera præſagibat; in procinctu perimitur. *3. Reg. c. 22.*

*V.*

Locus.) NEQVISSIMUM CONSILIUM SUPER IPSUM DEVOLVETUR. *Eccleſ. 27.*
Exemplum.) *Noxii Conſilii author, noxam experitur Achitophel.*
Pictura.) Achitophel, utilisſimi, ſed turpisſimi Conſilii author; præpoſteri eventus ægrimoniâ, laqueo jugulum ſponte induit. *2. Reg. 17.*

*VI.*

## *De ſecreto.*

Locus.) QUI AMBULAT FRAUDULENTER, REVELAT ARCANA. *Prov. 11.*
Exemplum.) *Suorum pernicie, commiſſum ſibi ſecretum pandit Sampſonis Uxor.*
Pictura.) Quòd arcanum blanditiis extortum revelaſſet Philiſtina Uxor, Philiſtinorum ſtrage Aſcolónem implet Sampſon. *Judic. 14.*

*VII.*

## *De Prudentiâ in Conſiliis.*

Locus.) CORONA DIGNITATIS SENECTUS. *Prov. 16.*
Exemplum.) *Rejecto Senum prudenti Conſilio, Rempublicam Róboam, ſeſeque perdit.*
Pictura.) Ahias Propheta, in fruſtra duodecim dilacerato Palliolo, duas tantum particulas Roboamo attribuit, reliquas Jerobeamo: ut ſignificet, de toto Hebræorum Imperio, quod Roboamo ex aſſe debebatur, duas tantum Tribus in ejus ditione permanſuras; quòd in emulgendis Populis, maluerit vanorum Juvenum, quàm canorum capitum audire conſilia. *3. Reg. 12.*

*VIII.*

## *De Concordiâ in Conſiliis.*

Locus.) FACTA EST MANUS DOMINI UT DARET EIS COR UNUM. *2. Paralip. 30.*
Exemplum.) *Concordi Conſilio, labentem reſtituit Rempublicam Ezechias.*
Pictura.) Numinis itâ, & Aſſyriorum armis deſolatum Regnum nactus Ezechías, convocato Prócerum & Levitarum Concilio, primum omnium ſatagit, ut unicordes ſint. *2. Paralip. 29.*

IN-

Digitized by Google

# INSCRIPTIO DEDICATORIA.

*In externo Palatii faſtigio collocata,*
*Primori Reſpondens Lapidi.*

CAROLO EMANUELI,

ET FRANCISCÆ A FRANCIA,

AUGUSTISSIMIS REGIBUS, AUGUSTA TAURINORUM,
QVAS OPTATI CONJUGII SPE FUNDARAT ÆDES,
FAUSTISSIME CELEBRATI GRATULATIONE,
DEDICAVIT.

*ANNO MDCLXIII.*

THE-

# THESIUM PUBLICARUM PARERGA.

## PARERGA PUBLICARUM THESIUM

*QVAS*

CAROLUS FRANCISCUS NICOLIS,

VENENANTIS, ET RUBILANTIS COMES,

VICTORI AMEDEO SAB. DUCI

Dicavit,

ET AUGUSTÆ TAURINORUM SUSTINUIT.

*ANNO M. DC. XXXIV.*

THESAURI fatale nomen Authori noſtro dignè cónti-git: nam ſi quid opis ab eo flagitent Ingenia, ſemper ſui pro-mus, nunquam condus, dénegat nihil: aliis natus, non ſibi. Ita-que *Vernantis Comes* (cujus nunc ſenilem prudentiam in Virili ætate non miramur; qui virilem in viridi Pueritiâ anticipavit) cùm olìm vix pubeſcens, jam emeritus Philoſophiæ Alumnus, ſtrenuisſimum Propugnatorem ſeſe palàm protuliſſet: cùmque ad ornandas *Theſes* ſuas, quas Regio Duci Victori Amedeo dedicabat; ingenioſa, ut nunc fit, ali-qua *Parerga* ab Authore noſtro quæſiviſſet: hic, celeberrimum illud *Stemma* con-cinnavit; quod non modò aliis Theſibus imitamentum; ſed fúnebri ejusdem Ducis Pompæ argumentum ſuppeditavit. Inventum ſanè Argumento eruditum, Simulacris grave, Emblematis varium, Inſcriptionibus argutum: quas hoc in vo-lumine omittere non poſſum, quo me promiſi omnes illius Inſcriptiones, quæ mihi in manus incidiſſent, ſtudioſorum oculis conſignaturum.



Digitized by Google

# STEMMATIS

## Totius Diſpoſitio.

TOtam tripedalis paginæ áream, à ſummo ad imum, & quaquaverſùm circa *Theſes*, architectonicus quidam contextus eleganter diſcurrit, & in ſe redit: inquo, tanquam in Templi alicujus figurato proſpectu, integra Sabaudorum Principum à Beroldo ad Victorem, *Simulacra*, geniali ordine collocata ſunt; bina binis ſeriatìm ſuppoſita. Tùm geminos inter Próavos, *Victoris Amédei Geſta* bello pacique clariora, penſilibus tabellis adumbrata numerantur: ſuis ſingula *Elógiolis* illuſtrata. Idque mirâ quâdam arte atque ordine. Primò enim, Victoris ipſa Geſta, Bellica ad dextram, Pacata ad lævam Stemmatis, diviſìm poſita, diviſo *Claudiani* carmine uno, pro utrorumque *Titulo* hinc & inde inſcripſit Author: ROBUR IN ARMIS. PACE PROBATA FIDES. Eandemque diſtinctionem communi uno *Herculea Clava* Symbolo ſignificavit, quæ ad dexteram horrida, & nodoſa cernitur: ad lævam frondífera, & in Oleam, ut Hiſtoriæ produnt, arbóreſcens: partito ejuſdem *Claudiani* carmine altero utrinque inſcripta, OLIM DOMITURA GIGANTES. ET PACEM LATURA POLO. Tùm unaquæque *Tabella* duum Principum *Simulacris* intercepta, Victoris Amedei Geſtum aliquod oſtendit: quod ipſum in duobus Proavis, qui ad latera locantur, Hiſtoriae celebrarunt. Ut ſi eadem Virtus ab iis Majoribus in Nepotem, cum ſanguine dimanarit. Ipſe verò *Victor Amedéus*, celſiore atque ampliore in Tabulâ velut in Templi faſtigio, ad vivam effigiem expreſſus, planèque ſibi ſimilis, ingenioſi laboris Finis, & Principium, ornamenta ornat omnia; totiusque Stemmatis, ut jamjam dico, non modo augmentum eſt, ſed Argumentum.

## ARGUMENTUM OPERIS, ET OCCASIO.

QUoniam per idem tempus, prudentisſimus ille Princeps, *Cyprii Regni Titulum*, hereditario Jure à Majoribus indeptum, à quibusdam poſtmodo neglectum; gravisſimis de cauſis, quæ ingenitæ illius modeſtiae vim intulerant, reſumere coactus fuit; proinde noſter Author, tùm ut Adoleſcentuli Theſium Propugnatoris nomine, Principi ſuo novum ex priſco decus gratularetur: tùm etiam, ut aliquid in hoc Stemmate proferret non vulgare, non tritum, non recoctum: novam quandam ex renovato illo Titulo, & maximè propriam commentationem meditatus eſt, ex antiquâ *Teucri Salaminii*, qui Cyprium Regnum vindicavit, Hiſtoriâ; quæ Stemmatis inventioni, & Théſium dedicationi materiam dedit. Atqui hanc, in ipſâ præliminari Epiſtolâ, expreſſam leges.



Digitized by Google

# D. VICTORI AMEDEO
## CYPRI REGI SEMPER INVICTO,
### *COMES CAROLUS FRANCISCUS NICOLIS, VICTORIAM.*

*TEucer ad Cyprii Regni vindicias, Authore Oraculo, velificaturus; Militum ſuorum virtutem, qui frementis pelagi ſpectaculo conſternabantur, egregiâ illa voce incitavit, NIL DESPERANDUM TEUCRO DUCE, ET AUSPICE TEUCRO pertentandum. Quid enim trepidarem ſub intrepido DUCE, Ingeniorum AUSPICE, qui vel ſolo nominis Oraculo, Victoriam ſpondet? Atqui hanc ſpem, ſi bona mihi Fata complevißent, tanti ego facti memorem* Tabellam hanc *pro votivo anathemate, inter divina tua Geſta, & Majorum tuorum Simulacra, Immortalitatis Templo deſtinavi. Exactum eſt mihi tandem totum hoc itineris, atque laboris: Syrtes, Scopulos, Fluctusque vici. Itaque, vela contraho, gratias refero,* Tabellam *appendo, Votum ſolvo.*

Hiſtoriam Teucri minimè fabuloſam leges apud Trogum Pompejum *lib. 44.* Vellejum Paterculum *lib. 1.* Euripidem in Helena *act. 1.* & Horarium *lib. 1. Ode. 7.* qui Teucri Concionem ad pavidos Commilitiones recitat his verbis maximè propriis.

*Tempora populeâ fertur vinxiſſe coronâ,*
*Sic triſtes affatus amicos:*
*Quò me cumque feret melior Fortuna Parente,*
*Ibimus ò Socii, Comitesque.*
*Nil deſperandum Teucro Duce, & Auſpice Teucro.*
*Certus enim promiſit Apollo,*
*Ambiguam Tellure novâ Salamina futuram.*

## MAJORIS TABULÆ DESCRIPTIO.

HIc, *Teucer* Dux inviċtiſſimus ad *Victoris* Ducis noſtri vivam effigiem ſculptus, populeâ Coronâ, Regiâque nitens trabeâ, ante *Phœbi* Aram ſtat: cui fatidica Sacerdos *Theonöe* (ut in Euripide) *Phœbæum Oraculum* de ſcripto reddit.

*Ignotum ornatis, Teucer, quate Navibus æquor:*
*Regnaque ventorum levibus pete Cypria pennis,*
*Quam tibi Divinus ſedem parat Author Apollo.*

*Teucrum* circumſtant attoniti *Milites*: ipſe verò Theſium *Propugnator Adoleſcentulus*, Teucri velut Armiger, alacri vultu *Clypeum* geſtat Paterno ſuo ſtemmate inſignitum: cujus etiam *Epigraphe* gentilitia; ad præſentem ſententiam ex

 amuſ-

Digitized by Google

amuſſi quadrat: PUGNA, ET TUTELA: neque diſſonat *Cognomen*, nam, *nichi* Victoriam ſonat. Teucri autem *Clypeum*, Sabaudis Cypriiſque Inſignibus pictum; *Regiamque Cypri Coronam*, altè ſupervolitans *Victoria* defert. Propè litus, armatæ *Naves*. Procùl verò, *Cyprus Inſula* fluctivago circumfuſa Mari: quam Commilitonibus Teucer indigitat.

## MINORES TABELLÆ NOVEM,

### *Victoris Amedei Geſta iconicè continentes.*

VEllem in hac paginâ Imagines ipſas, ut cupro impreſſae ſunt, poſſe transferre. Nihil enim minutius, neque abſolutius in Perſonarum, locorumque deſcriptione cerni poteſt. Prima igitur Tabella, dextrorſum affixa, arduam *Crepacorii Arcem* oſtendit, à Victore adoleſcentulo ante Hiſpanorum oculos expugnatam: cæſumque Hoſtilium ſuppetiarum Præfectum. Hujusque Tabulæ Titulus eſt.

### STRENUITAS.

SIta eſt hæc Tabella inter duum Proavorum ſimulacra; *Beroldi Saxonis*, qui caput eſt Sabaudae Gentis; & *Humberti ejus Filii*; in quibus eàdem Virtus ante annos Viguit. Horum autem ſtatariae, & cataphractæ Imagines, ex Regii Lararii autographo (ut reliquae omnes) ex ordine, diligenterque deſumptae ſunt.

### *Inſcriptio, hiſtoricæ Tabellæ ſuffixa.*

*SPectas hinc illinc generoſi Generis Authores BEROLDUM, & HUMBERTUM: quorum STRENUITAS, in ipſo Juventæ flore præcoces Palmarū fructus collegit. At illi te viciſſim minimè degenerem ſpectant, Victor Amedée; qui triumphali ad Rhodanum Victoriâ invitatus Tyro; repente hauſtis Alpibus, Cropacorii Arcem repugantem expugnas: hoc uno tactus infortunio, quod nimia Fortuna, hoſtilium ſuppetiarum Ductore cæſo, materiam Clementiæ ſummovit.*

Non vacat Inſcriptiones appoſitis clarare notis, quas tot impreſſa recentium Hiſtoriarum volumina ſatis evolvunt.

### II.

### *MODUS IN VICTORIA.*

Hiſtoria. *Montiſcalui Arcem* diu reluctatam, & oppidanorum deditionem, continet. Tabellam intercipiunt Amedeus Primus, Humberti Primi; & Humbertus Secundus, Amedei Primi Filius.

### *Inſcriptio.*

*RArum eſt MODESTIÆ cum Strenuitate contubernium: non rarum tamen*

*tamen in eorum pectore, unde tibi Genus, & Genius. Mirata eſt AMEDEUM PRIMUM Burgundia, HUMBERTUM ALTERUM Brigantes: quorum Victoria ſe ipsâ contenta, nihil ex devictis Urbibus ſuſtulit, præter ſervitium. His Avorum exemplis Moderationem tuam minimè miratur Monſcaluus, qui Victoriam tuam demiſſione ità compeſcuit; ut optandæ voluptatis fuerit, te habuiſſe Victorem.*

III.

## *CELERITAS.*

Hiſtoria. *Plebanam Acrópolim*, occiduumque *Liguriae* tractum, veloci Victoriae ſubactum curſu; captosque Tribunos, & bellica Inſignia, ſub oculis ponit.

### *Inſcriptio.*

*CELERITAS VERO, militaris Fortunæ Parens, in HUMBERTO III. & AMEDEO II. ſeſe jactat, quorum Tela ab Tranſalpinis laceſſita, tam citò in Authores involarunt; ut omnium pugnantium frontes, fugientium terga confoderint. Senſit redivivam in te Patrum Virtutem Liguria, cujus Oram Occiduam tantâ feſtinatione ſubegiſti; ut aliud nihil fuerit Arces videre, quàm vincere.*

IV.

## *FORTITUDO.*

*Verrucam obſeſſam* exhibet hæc Tabulâ, & ſublicium *Padi Pontem* eluvione laceratum, quem Victor Amedeus, tormentaria inter fulmina, hoſtili glande in facie ictus, intrepidè inſiſtit, ac reficit.

### *Inſcriptio.*

*HAbuit & propugnandi FORTITUDO in utroque THOMA memorabile exemplum: qui pro ineluctabili Pedemontium Muro impavidum Pectus oppoſuere. Te vero Fortiorem confeſſa eſt Cantabrici Tormenti ferrea vox, cùm Verrucanâ in obſidione, rebellis Eridani terga iterato Ponte comprimeres. Nam ignitus ille globus, horribili te bombo impetere auſus; ut faciem attigit tuam, ſubitâ liquatus reverentiâ, oſculo tantùm genis impreſſo, tuos antè pedes concidit: vulnusque quod Victori minabatur, victus accepit.*

V.

## *RELIGIO.*

Indicat hæc Tabella piiſſimum illius Principis cogitatum, quo cum Africo Rege, Religioni Chriſtianæ conducibilem operam moliebatur; ut tuto in loco Ara poni, & Catholica miniſteria poſſent exerceri; qui tractatus jam proceſſerat, ni deceſſus obſtitiſſet.



Digitized by Google

*Inſcriptio.*

*HActenùs galeatæ Virtutes: nunc paludatarum Reginæ RELIGIONI plaudendum. Hujus impulſu Rhodum Chriſtianæ Pietatis Aſylum, ex ingluvie barbaricâ AMEDEUS IV. extorſit: ejuſdemque afflatu, Quintus AMEDEUS, tot Divis Templa, tot Templis munera dedicavit. Horum, tu, non tam Nominis, quàm Virtutis Heres; metas impietati præſcribis, tollis Religioni. Neque enim ſatis, quod Hæreſim finitimam, ne vires, aut virus exerat, totis Alpibus premis: niſi ultrà Herculis metas, verendæ Crucis jubar, in Barbarorum oculis defigere molireris.*

VI.

## *SVAVITAS.*

Continet Pictura ſolemnem *Legationem ad Ferdinandum Cæſarem*, quâ diu tentatam armis à Magno Genitore Montisferrati Poſſeſſionem; Victor Amedeus tranquillà tractatione conſequitur.

*Inſcriptio.*

*SEd augendis Imperiis fortiorem eſſe Fortitudine SVAVITATEM, Geminus teſtatur AMEDEUS, Quintus, & Sextus: quos erga Cæſarem beneficos, Cæſarum beneficia, ultroneæque Urbes ſequutæ. Egiſti de hoc exemplo Amedæe Victor. Nam ferocem Ferrati Montis Provinciam, quæ avito Jure debita, ſed armato Juri obluctata, Paterno ferro vinci potuit, non vinciri; ſuavi opera, gratâque ad Cæſarem Legatione, vindicaſti.*

VII.

## *PRUDENTIA.*

Hìc *Claraſcenſis congreſſus* cernitur, in quo Victor Amedeus cum Principum omnium Legatis agit.

*Inſcriptio.*

*PRUDENTIAM verò, Principum Virtutem Principem, Claraſcenſe Fœdus, in illo Orbis Theatro ſpectabilem fecit: ubi non modò Ciſalpina, ſed Italica incendia, terribili Regalium armorum attritu excitata, reſtinxiſti. Quis enim pacatos animos in germanâ AMEDEI PACIFICI, & LUDOVICI Filii, Stirpe miraretur? quorum alter Italiæ Pacem peperit, alter Eccleſiæ.*

VIII.

## *JUSTITIA.*

*Pedemontanum Senatum*, contagii bellique cauſa diu, vivo Patre, clauſum, aperit; *Novaſque Conſtitutiones promulgat.*

*In-*

Digitized by Google

*Inſcriptio.*

*SUam etiam in Te JUSTITIÆ gloriam, PHILIPPUS II. & CAROLUS III. auctiorem agnoſcunt: hic innocua Bonitatis Exemplar: ille Litium Amputator, cognominatus. Utroque verò celebrior Tu, Legum Jura injuriis Temporum collapſa, novis Legibus erexiſti: reparatoque Senatu, Aſtræam, quæ tabe corruptas, tubisque obſtrepentes fugerat Terras, è Cælo revocaſti.*

IX.

## *MAGNIFICENTIA.*

In *Nova Urbis* molitione, & munitione.

*Inſcriptio.*

*DEnique MAGNIFICENTIA, Regiarum Virtutum apex, laudibus tuis imponat apicem. Rediit per te ad primævam amplitudinem Auguſta Regia, Hoſpitum Amor, Hoſtium timor: Quæ ab EMMANUELE PHILIBERTO dedicata; à CAROLO EMMANUELE decorata; Tuis nunc opibus ità creſcit, ut Amicos recipere, Inimicos intercipere poſſit: & utriſque argumento ſit, per Te Auguſti Urbem, in te Auguſti Animum revixiſſe.*

Non hic leges *Gallici Regni Præfecturam;* nec *Inſubricam expeditionem;* nec *ad Ticinum* attonitum *geſta*: dum enim hoc Stemma elaborabat Author, futura divinare non poterat, ſed augurari.

## MINUTIORA PARERGA.

HÆc ſolida eſt totius Stemmatis Moles: ſed in ea ſoliditate, tot ornamenta, tot ingenii luſus, tot artis deliciæ ad Architecturam, & eruditionem pertinentes, intextæ ſunt; ut nihil ingenio aut myſterio careat. Curioſum illud ſanè, quòd licet omnes Tabellarum Hiſtoriæ fuſioribus Elogiis explicentur, ſingulis tamen Tabellis brevis aliquis *Titulus*, volitante in chartula, ex celebri Poëta deciſus legitur, ad *Victoris* Ducis Nomen alludens.

I. Nam præcipuâ in Tabellâ, ubi ex Oraculo Cyprium Regnum Teucro contigit; *Titulus* eſt *Virgilianum* Hemiſtichium, CYPRUM VICTOR DITIONE TENEBAT.

II. Prima in Tabella de *Strenuitate Juvenili*, in Crepacorii expugnatione. HIC JUVENIS JAM VICTOR OVANS. *Virgil.*

III. De *Moderatione*, in Moncalui deditione. VICTOR ERAT QVAMVIS, ÆQVUS IN HOSTE FUIT. *Ovid.*

IV. De *Celeritate*, in Liguſtica Victoria. QVOD INSTAT EXPEDIET VICTOR. *Virgil.*

V. De

Digitized by Google

V. De *Fortitudine*, contra bellica Tormenta, dum Pontem reficit. AUSUS INSISTERE VICTOR. *Virgil.*

VI. De *Religione*: dùm Chriſtianis Miniſteriis locum in Africa procurat. VICTOREM EA CURA SUBIVIT. *Virg.*

VII. De *Suavitate*, in Monferratenſi adeptione. SCEPTRISQVE POTIRI CONTIGERIT VICTORI. *Virgil.*

VIII. De *Juſtitiâ*, in Novis Legibus atque Conſtitutionibus. VICTORQVE VOLENTES PER POPULOS DAT JURA. *Virgil.*

IX. De *Prudentiâ* in Pace Claraſcenſi. SCUTORUMQVE INCENDIT VICTOR ACERVOS. *Virgil.*

Cætera facilius eſt cernere, quàm recenſere.

# THESIUM PUBLICARUM
## PARERGA.
## QUAS PAULUS PASTA,
DUSINI COMES, ET EQUES COMMEND.

*ACADEMICUS SOLITARIUS.*

## MAURITIO PRINCIPI A SAB.
ACADEMIÆ PRINCIPI

*Dicavit, & Auguſtæ Taurinorum ſuſtinuit.*

*Anno M DC LIV.*

INſtituerat providus hic Princeps, celeberrimam Academiam, duplo utiliorem Reipublicæ, quàm illa fuerit Platonicorum in Hortis Académi. Illa enim, ut ajebat Timon, Sectatores ſuos ad garriendum, Cicadarum more inter arbuſta, duntaxat educabat: hæc Andrógina Ingeniorum Parens, *Literariis* juxtà, & *Equeſtribus* exercitamentis, Foro & Caſtris ſuos ità initiavit: ut ſtrenuisſimi Belli Duces, & conſultisſimi Juſtitiæ Præſides: Doctisſimi etiam Cardinales, & ipſe, qui nunc regnat Pontifex, ab illius ſinu prodierint. Et quoniam hæc tota Principis voluptas, hoc delicium, hoc à negotiis erat divertículum; ſolívagam Academiæ Sedem ac Domicilium amœnisſimo in Suburbano ſuo prope Eridanum, conſtituerat: unde Academicis ſuis, ſuo de genio & exemplo, SOLITARIORUM Nomen indidit: eosque ab aliis Academiarum Alumnis Heróico illo ſymbolo diſcrevit, quod Author ipſe noſter in ſuo Argutiarum volumine, Symbolorum omnium ingenio-

Digitized by Google

genioſisſimum cenſuit : *Cylindricum* dico *ſpeculum*, in quo circumfuſæ confuſæque in plano Maculæ, coeuntes, perfectisſimam effigiem conſequuntur. Eóque ingenioſius, quo Cylindrus ille in Viridarii cujuſdam centro ita pingitur, ut florentes aréolæ ac pulvini circà ſpeculum, ad informium macularum formam conſiti, ipſo in ſpeculo perfectisſimam forment ſymboli Epígraphen, OMNIS IN UNUM: ex *Virgiliano* Carmine.

*Sociûm Virtus Coit Omnis in Unum.*

Hac igitur ex erudita ſolitudine, Nobilis Ephébus Paulus Paſta cum prodiiſſet; & quam meruerat Laurum, Principi ſuo emeritus referre deſtinaſſet : quæſiſſetque ab Authore noſtro ſuarum *Theſium Parerga;* hic è re nata, argutum *Stemmatis* Argumentum ſumpſit, quod ex Epiſtolari hac Dedicatione planè comprehendes.

# SERENISSIMO PRINCIPI
# MAURITIO A SABAUDIA
# INGENIORUM ACADEMO

*PAULUS PASTA ACADEMICUS SOLITARIUS SACRAT.*

*QUaterdecumano armorum ſtrepitu perterrefactæ, noſtris procul Sedibus fugerant Muſæ; niſi in amœnisſimam Suburbani tui Solitudinem confugiſſent. Hic igitur ſecuræ ſeſe beant, delicianturque Pierides: feliciorem in ACADEMI HORTIS Parnaſſum nactæ; ubi læta Lauris apricitas eſt pro* (1) *Helicóne; Olorina Eridani lympha pro Caſtalio; blandus Zephyrorum flatus pro Afflatu; & Heros ipſe ACADEMUS pro Phœbi Oraculo. Quinetiam ingenuæ omnes Artes, tùm ſedentariæ ac pacatæ, tùm actuoſæ, & belligeræ, amico fœdere, commune Theatrum junctasque cum Muſis ſedes colunt : & novo Ingenii tui miraculo, bellica quoque Arma, paciferas inter Diſciplinas numerantur. Cernis igitur, ut Academicorum alumna Juventus: utrique Sacra Palladi, ad te convolat; tanto ambitu, ut à SOLITUDINE nomen adepti, Solitudini nomen adimant, Urbemque faciant ex Suburbio. Cernis ut ille gladio, hic calamo certat: ille ex Cathedrâ tonat, hic ex Equo fulminat: alter Choris, alter Caſtris proludit: & Academicorum tuorum ipſa otia, hoſtibus terrorem incutiunt. Cernis ut Martia Laurus, cum Poetica Lauro: ſacer Apex, cum Militari Galea: forenſis Toga cum Philoſophali Palliolo, uni Muſæo certatìm allaborant; & diverſa ſtudia in commune conferunt; omnesque palàm érudit, quicquid ſinguli dicerunt. Argutisſimè igitur CYLINDRICUM SPECULUM pro Heroico*



(1) *Parnasſi vertex apud Servium.*

*Academiæ Tuæ ſymbolo commentus es, inſcripto Titulo, OMNIS IN UNUM. Nam quemadmodum informes paſſimque ſolo diſperſi Charactêres, ubi omnes in unum Speculum coiverint, mirâ quadam luminis virtute integrati, perfectiſſimè conformantur: ità tot Ingenia, genio diſſimilia, quæ ſingulatim jacerent; erudito unius Academiæ illuminata commercio, abſolutam undequaque ſpeciem, conſpicuamque conſequntur. Me igitur (quem inſigni Clementiæ tuæ beneficio, in hac frugifera Solitudine amœnas inter Camœnas, alienis perfrui laboribus voluiſti) ut viciſſim publicè communicem quod privatim collegi, non tàm ſingularis propenſio monet, quàm ſocialis neceſſitas cogit. Auget fiduciam admirabile Academiæ Tuæ Symbolum. Sic enim Philoſophales hæ Theſes, quas planâ in Paginâ informes quaſi Maculas effudi: in ſublimi præclaroque Mentis tuæ Speculo emendatæ, rectæ & certa evadent Oracula: & quæ meâ in umbrâ privatim deliteſcerent; Omnium Collegarum Virtute IN UNUM conſpirante, inter dimicandum, promicabunt. Vale Celeberrime INGENIORUM ACADEME, Ingeniis omnibus ſemper celebrande: atque ut OMNES IN UNUM Vota congerimus, Omnibus Unus æternùm Vive.*

## STEMMATIS DESCRIPTIO.

Minore quidem ambitu hoc Stemma, quàm præcedens conſtat; non minore tamen opere, aut venuſtate. Nam licet ſimplex pagina, Theſium paginæ ſuperaddita, ſymbolicam Picturam comprehendat; parvitatem tamen compenſat diligentia in penè innumerabili multitudine, ac mirabili efformatione minutatum *Figurarum*, veluti Phidiæ Scutum: cujus laus in minutiis maxima fuit, quas vocat Plinius *Argumenta parva, & ingenii tantùm*: ut cum multa mireris, plura ſemper invenias.

Tota igitur *Stemmatis* facies; totam Tranſpadanæ *Principis Villae* faciem repræſentat, ſub allegoria *Hortorum Acadêmi*; quorum etiam *Nomen*, ut Villæ Titulus, in transverſario *Sepimento* legitur, quod topiario opere virgultis intertexto, Acadêmicis aditum pandit, occludit exteris, quibus ſapientiæ limen eſt limes.

Hîc ergo amœniſſimus, inter Lauros & vinêta, ſvaviter aſſurgit Collis, theatrali ſpecie à Natura ſinuatus: cujus ad imum pedem, architectonica ſtructura, triumphalis ad inſtar Molis columnari nixa fulcimento ſolidè, ſed eleganter, in altum exilit; ejusque faſtigiata in ſummitate, *Muſæ* omnes Pinnaculum circumſtant, medio *Principis Simulacro*, heroica ſpecie, inter bellica & literaria trophæa collocato; cum Inſcriptione, HEROI ACADEMO SACRUM. Nam Academum Semídeum fuiſſe, Muſasque ſolivago in Suburbio coluiſſe, *Eupolis* teſtatum reliquit. Hinc & illinc, medianæ Moli contigua *Porticus* in Theatri formam gemino flexu *ſubdialem Aream* complectitur, quam hortenſes *Areolæ* diſtinguunt; atque

atque in ipſo hemicycli meditullio, *Columnatum Speculum* Academiæ *ſymbolum* format, conformatque literas OMNIS IN UNUM.

Hæc totius Stemmatis diſpoſitio, atque Pictura: in quà quod poeticè affictum eſt, à loci natura & arte parum abludit: nunc emblematica Figmenta perſequemur. Singulæ igitur Porticuum apertiones, ſingularum *Artium* ſtudiis, diſcretæ quaſi *Officinae*, confinguntur: in quibus ſinguli Artium illarum *Authores*, *Auctoresve*, operi intendunt ſuo: unàque omnes ſatagunt, ut communi velut in Athenæo Nobiles Academiæ Alumni exerceantur. Singulis autem Fornicibus, congruum cuique Arti *Symbolum* præfixum eſt, figura ſemper varia, manente ſemper Titulo eodem, OMNIS IN UNUM. Totam denique Porticuum ſummitatem, pro Acrotériis *Trophæa* eminenter ornant, ex ſingularum Artium Doctrinarumque Inſtrumentis compoſita. Lubet igitur eodem ordine, quo ſingulæ Officinæ inſcriptæ ſunt, breve ſpecimen exhibere.

# AD LÆVAM.

## *Rhetorica.*

VIdes hîc *Marcum Tullium Ciceronem*, Latiæ Facundiæ Parentem, ad Quirites pro ſuggeſtu declamantem contra veſanum Catilinam: fugientesque vides conjurationis conſcios, furente Populo. Oratoriæ verò Facultatis *Symbolum eſt Scopus altè ſuſpenſus*, in quem multa undique tela diriguntur; inſcripta Epigraphe, OMNIS IN UNUM. Oratoris enim proprium eſt, Argumenta omnia ad unius Propoſitionis confirmationem collineare.

## *Poeſis.*

Hîc *Homerus*, oculis, non animo cœcus, aſtantem Achillem Lyra pſallit. Poëſeos autem *Symbolum* eſt ipſa *Lyra*: cum eodem dicto, OMNIS IN UNUM. Unitas enim differentium Chordarum, eſt Harmonia: Unitas Poematis, Heros.

## *Pictura.*

Quandò inter Academica exercitamenta, hæc quoque libera Facultas, Poëſeos Soror, enumeratur; vides *Zeuxim* mirabili arte *Uvas* imitantem, quarum ſimilitudine deceptæ convolant Aviculæ. Picturæ verò *Symbolum* eſt *Pictoria Tabella*, pigmentis diverſicoloribus diſcretìm illita, cum dicto, OMNIS IN UNUM: ad Unam enim effigiem illa inſervit diverſitas.

## *Muſica.*

*Orpheus* blanda voce ſcopulos Ferasque rapit. Pro *Symbolo*, *Muſicarum notarum Pagina* eſt; quæ quatuor *Vocum diſcrimina* ad idem carmen modulandum conciliat, eodem Titulo inſcripta.



Digitized by Google

## *Geometria.*

*Euclides Platonicus*, Regem Ptolemæum Lagidem Geometricas figuras docet. Pro *Symbolo Circulus* Geometrica in Tabula deſcriptus, à cujus Circumferentiâ ad punctum medium, lineæ confluunt æquales: idemque omnibus quadrat Titulus, OMNIS IN UNUM.

## *Practica Mathèſis.*

*Archimedem* cernis, miro trochlearum artificio Marcelli *Naves* harpagantem. *Symbolum* eſt, *Parabolicum ſpeculum*, quo Solares radii omnes ad idem punctum concurrentes, ignem excitant: quo artificio idem Archimedes navigia comburebat. Titulus, OMNIS IN UNUM.

## *Aſtronomia.*

*Joannes à* (1) *Sacrobuſto*, nobile illud inventum Diſcipulis oſtendit, quo imaginarii *Cœli Orbes*, gemino ſuper axe verſatiles, Aſtrorum Solisque ſemitas, ſtationesque deſignat. Pro *Symbolo Sphæra* ipſa, cum dicto, OMNIS IN UNUM.

# AD DEXTERAM.

## *Dialectica.*

ARiſtoteles Académicis Logicas commentationes ſuas & Figurarum ſchémâtâ perambulando declarat. Pro *Symbolo, Manus conſtricta;* ſic enim Zeno Dialecticam a Rhetorica ſecernebat: ut hanc expanſae palmae: illam digitis in palmam reductis compararet. Titulus idem, OMNIS IN UNUM.

## *Phyſica.*

*Parménides Phyſiologorum Princeps*, Cœlorum Elementorumque *Globum* ante Academicorum oculos ponit. Ideoque *Globus* pro *Symbolo* eſt: cùm tota hæc rerum Univerſitas, ut Parmenides docebat, ſit maximè Una. Dictum, OMNIS IN UNUM.

## *Medica.*

*Hippócrates Cous* ex herbarum faſce *diſtillarium in Organum* immiſſo, ſalubres elicit ſuccos. Atque nobili hac in Academiâ, à Profeſſoribus hujus Facultatis, quæ Phyſiologíae maxima pars eſt, eruditisſimae Diſſertationes audiebantur. Pro *Symbolo*, Idem Organum, cum eodem lemmate, OMNIS IN UNUM.

## *Superphyſica.*

Continet hæc Doctrina, non mòdò quam *Naturalem Metaphyſicen* dicunt, ſed *Divinarum* quoque rerum contemplationem. Hic igitur *Sententiarum Magiſter*,

(1) *Aliis Sacroboſco.*

Digitized by Google

*ſter*, ſacrum evolvens *Codicem*, Cæleſtia pandit arcana. *Symbolum* eſt, *Hierárchicus Caleſtium Spirituum Ordo* circa ineffabile *Tetragrammaton*, quod rerum omnium Principium eſt, & Finis: cum eodem dicto, OMNIS IN UNUM.

## *Ethica.*

*Socrates Moratae Philoſophiae Coryphaus*, alterâ manu *Librum* ſuum de Virtutibus, alterâ *Calicem* tenens; oblatam ab Athenienſibus *Cicútam* intrepidè haurit. Pro *Symbolo* eſt *Silenus* Socratis, extimè deformis, intimè repletus Gemmis, quae de aperto pectoris ſpiráculo pellucent: cum eodem dicto.

## *Juriſprudentia.*

Hic *Legiſlator Juſtinianus*, ſublimi Solio inter galeatos togatosque ſedens, lævâ, evaginatum ſtringit *Gladium*: dextrâ *Codicem* Legum porrigit. Pro *Symbolo*, *Juſtitiae Libra*, individuo ex Momento pendens, nempè Virtutis medio; OMNIS IN UNUM.

## *Prudentia Militaris.*

Quoniam *Equeſtris Academiae* præcipuum decus eſt hæc Scientia; Principum Sabaudorum maximè propria; voluit Author in hac Sede collocare *Magnum Carolum Emmanuelem*, heroicae hujus Scientiae Magiſtrum, feroci in Equo inſultantem Hoſtibus, ſuosque animantem; qualem Haſta vidit obſeſſa. Pro *Symbolo bellica Teſtudo* eſt, quâ multi junctim Milites, Conſertis Clypeis contecti, hoſtilem ſuffodiunt murum; his enim probè quadrat *Virgilianum* Hemiſtichium, *Sociûm Virtus coit* OMNIS IN UNUM.

# COETERA STEMMATIS PARERGA.

HActenus *Theatri* Ornamenta: Jam in *Areâ*, medio Theatri ſinu comprehensâ, ubi *Columnare ſpeculum* florentes inter Areolas eminere diximus; effuſam *Nobilium Academicorum multitudinem* cernis: ingenuarum Artium munera pro cujusque genio, ut præliminaris Epiſtola indicabat, exercentium. Alii legunt, alii ſcriptitant, alii pingunt, alii declamant, alii diſputant, alii conferunt inter ſe. Hi *Cythara* ludunt, iſti *Choreas* ducunt, illi ficto Marte digladiantur; vel ferocem *Equum* domitant, vel *ligneum Equum* dexterrimè inſilunt; aut immiſſis *Equis*, demiſſisque lanceis concurrunt. Quidam cæleſtem verſant *Globum*; quidam terreſtrem *Mappam* circino metiuntur; vel diſſita locorum per *Dioptram* explorant. Omnes denique, ingenioſarum inſtar Apum, ex hortenſibus Académi deliciis, floreas Muſarum divitias populantium, ita ſibi proficiunt, ut aliis proſint. Ipſe vero *Adoleſcens Propugnator Eques*, ad vivum expreſſus, *Theſium* ſuarum, laborumque felicium *Schema*, collectas veluti in Academi Hortis fruges, *Academo Principi ſuo*, humillimè offert, ac dedicat.



Digitized by Google

# ICONOMANTIA,

*SIVE,*

## THESIUM PUBLICARUM PARERGA,

QVAS CAROLUS FRANCISCUS CAPRIS
CILIARII COMES, ALTESSANI DOMINUS,
ACADEMICOR. FULMINALIUM PRINCEPS,

*SERENISSIMO PRINCIPI*

MAURITIO A SABAUDIA.

DICAVIT, ATQUE SUSTINUIT
AUGUSTÆ TAURINORUM. ANNO MDCLV.

FUlminales Academici, de ſuo STEMMATE nomen accepere, quo, cùm Philoſophalem in aciem deſcendunt, ingeniis certaturi, Theſes ipſi ſuas generatim ornare ſolent. Et quoniam illud ipſum Academiae *Stemma*, de Authoris quoque noſtri fluxit ingenio; de illo ut aliquid dicam, opportunitas monet, poſtquam de Singulari Propugnatoris hujus *Stemmate*, quod ICONOMANTIAM appellavit Author, diſſeruero. Hujus igitur *Stemmatis Argumentum*, & Novi Nominis Iconomantiæ arcanum, ex *Epiſtolâ Dedicatoriâ*, uti ſuperiora percipies.

*SERENISSIMO PRINCIPI*

MAURITIO A SABAUDIA

COMES CAROLUS FRANCISCUS CAPRIS,
FULMINALIS ACADEMIÆ PRINCEPS,
DEDICAT.

*ADmirabile Divinationis genus curioſa Mortalium procacitas rimata eſt, quo Semideûm Imaginibus è Cælo devocatis, gemmeoque in ſpeculo perſpicuè refulgentibus, quam quisque Veritatem ſcitari voluiſſet, in illo* SPECULO *intuebatur. Quid eſt autem,* SERENISSIME PRINCEPS, *quod Oráculi definitione adæquè indigeat, quàm Philoſophorum Theſes, quæ inter eruditas Diſceptatorum Exedras toties propugnatæ, atque oppugnatæ, eventilatæ ſemper, ſemperque altioribus difficultatum tenebris involutæ, incertum faciunt, plusne lucis afferat, quàm auferat Veritati Diſputatio. Ut mirandum minimè ſit,* Scépticam *illam* Sectam, *Pyrróne concitóre Athenis ſurrexiſſe, quæ* Nihil eſſe Verum, præter hoc unum, quòd Verum nihil

hil eſt, *conſtantiſſime profeſſa: unicâ Theſi, Theſes omnes eluctabatur, & Philoſophiam evertebat Philoſophando. Ego itaque Theſium mearum Veritatem, quam ingenii claritate nequeo,* ICONOMANTICA DIVINATIONE *quâdam conſequi conatus, Clariſſimorum* HEROUM *(à quibus Cæleſtem iſtum Animum cum ſanguine duxiſti) glorioſiſſimas* IMAGINES *è Cælo evocatas, in Tuâ unius* IMAGINE, *perſpicuo veluti ſpeculo conſpicuas, mihi propoſui. Nulla enim Virtus Maximos illos Paterni Maternique tui Stemmatis Manes ſingulatim illuſtravit, quæ in Te uno cumulatè non eluceat: ut de Te planè tuus ceciniſſe videatur* Virgilius, VIRTUS COIT OMNIS IN UNUM. *Ades igitur, atque Auſpiciis illuceſce Tuis,* SERENISSIME PRINCEPS. *Nam niſi Theſes hæ Philoſophicæ, tuo confirmantur Oráculo: nihil in Philoſophiá Verum eſſe ſtatuo, meque Scépticum ex Peripatético, in poſterum dedo.*

## STEMMATIS DESCRIPTIO.

NObiliſſimi Propugnatoris hujus Theſes, quæ de universâ lectæ Philoſophiâ, ſimplici paginâ quantumcunque prægrandi cohiberi non potuiſſent; cùm in libriformi volumine congeſtìm compaginatas vidit noſter Author: ut ad palmaris pagellæ anguſtias, *Stemmatis Parerga* contraheret, ingenio parvitatem ſupplente, *conquadratum Speculum* ad eam menſuram pingendum cenſuit; ubi ipſiſſimum, penèque reſpirantem *Mauritii Principis vultum* medio in Circulo collocavit: eundemque tergiminis *Majorum Imaginibus* ex Paterno, Maternoque Stipite proximioribus circumcluſit. Hinc *Magnus Carolus*, illinc *Catharina Auſtria*, Mauritii Genitores ſupernè viſebantur. Subindè *Emmanuel Philibertus*, juxtìmque *Philippus II.* Hiſpaniarum Rex, Avi. Denique *Carolus Bonus*, cum *Carolo V. Cæſare*, Proavi: omnes ad vivam Imaginem, ex peritiſſimis Autógraphis, diligentiſſimè expreſſi. Itaque, ut in Magno Carolo *Invictam malis Magnanimitatem*: in Catharinâ *Modeſtam venuſtatem*: in Emmanuele Philiberto *Strenuitatem Amabilem*: in Philippe Rege *Prudens Conſilium*: in Carolo Duce *Bonitatem*: in Carolo Cæſare *Majeſtatem*, omnium conſenſus celebravit; ità omnes Imagines cum Mauritii Imagine ſic congruebant, ut ſi illo in *Speculo*, Majorum *Virtutes omnes*, uno in Nepote refulgerent. Et ſanè, citrà aſſentationem, ea Mauritii Principis indoles fuit, ut *Magnanimitas* cum *Modeſtiâ*: *Strenuitas* cum *Prudentiâ*: *Bonitas* cum *Majeſtate*, in ejus animo vultuque, conſpirarint. Ita cùm ſingulas Virtutes haſce, ſingulis Majorum Imaginibus ſubſcripſerit Author: tùm circa *Principis Imaginem* geminum *Claudiani* Carmen ut Epilogum inſcripſit, QUÆ SUNT DISPERSA PER OMNES, IN TE MISTA FLUUNT. ET QUÆ DIVISA BEATOS EFFICIUNT, COLLECTA TENES. In eandem quoque ſententiam *Heroicum Principis Symbolum* pro faſtigio Stemmati appinxit; *Cylindricum* nimirum *Speculum* cum *Virgilianâ* epigraphe: VIRTUS COIT OMNIS IN UNUM.

Sic in anguſto ampliſſimum invenit campum eruditio. Atque hoc illud eſt

ICO-

ICONOMANTICUM SPECULUM, quod Heróum *Imaginibus è Cælo devocatis* Argutum Stemmati Argumentum dedit, ut Epiſtola indicabat.

Lubet etiam pro corollario argutum addere ingenii quendam impetum. Nam cùm laudem ſtrenuisſimi Theſium Propugnatoris multae certatìm plauderent Muſæ, quae in eo volumine leguntur; Author etiam noſter, ab ipſo Propugnatore, ingenioſo Anagrammate atque Epigrammata provocatus, par pari ut referret, ità luſit.

## D. EMMANUELIS THESAURI
### AD INGENIOSISSIMUM VATUM PRINCIPEM SOBRINUM SUUM RESPONSIO.

CAROLUS CAPRIS.

*Anagramma.*

CARPIS LAUROS C.

*Epigramma.*

*Nominis augurio* LAUROS, *mi Carole* CARPIS.
*Unica C. ſupereſt, nec tamen arte caret.*
*C. Centum ſonat: ergo alios decet unica Vates*
*Laurea: Centenas at tua Muſa meret.*

# FULMINALIUM
## ACADEMICORUM STEMMA.
### IN COLLEGIO AUGUSTOTAURINENSI SOCIETATIS JESU.

Rogatus olim ab *Ariſtotelēa Philoſophia, ſacraque Theologia* Studioſis, dúm adhuc Anonyma illorum Academia, ingeniis potius & actis, quàm Stemmate Titulóve clareſcebat, ut paulò ante dixi: noluit hic Author quorundam Academicorum genium ſequi (nec tamen improbavit) qui vilia, & abjecta Cognomenta & Inſignia ſuis indunt Cætibus: ſed ea maluit, quæ alacres animis addant animos, & literarium Martem accendant. Maximum enim, minimique impendii bellantium præſidium eſt ſpes bona. Norat, in Militum delectu ferocia Nomina; ut

ut omina Victoriarum, Cenſoribus placuiſſe. Verſabantur in ejus oculis *Vexilla terribilia*, quæ præcipuis *Romanorum Legionibus* Nomen & Auſpicium fecerunt. Dracones, ut ait Ammianus, *hiatu vaſto perflantes, & ideò velut irâ ſibilantes*: Aquila *aduncis unguibus*, ut Joſephus inquit, *Avium omnium valentisſima, & velut omen Victoria in quoscumque eat.* Aper, Lupus, Elephas, etiam horrenda Monſtra, *Minotaurus, Chimæra, Hydra, Sphynges*, ut ex Apiano, Plinio, Vegetio, multisque Nomismatum monumentis: imprimis verò *Flammæ haſtis præfixae*, incendiorum prænunciæ: & *rutilantia Fulmina*, ſolidiores obices facilius disſipatura, in Legionum Inſignibus, Hoſtes jam exanimabant ſolo Nominis bombo.

Talibus ergo exemplis Author noſter, in *Academiae* hujus *Stemmate*, quam veluti *Martiam*, vel *Fulmineam Legionem*, contrà Veritatis oppugnatores ominabatur; FULMINALEM MACHINAM pingi voluit: bellicum nempè Tormentum ex Catapultarum genere, quod non tricubitale modò Telum, ut reliquæ majores Catapultæ; ſed trabale; nec unum tantùm, ſed plura uno ictu, jaculabatur. Ingenioſum & formidabile Siculorum inventum, ſub ſeniore Dionyſio, atrocisſimum bellum contrà Carthaginenſes molientium; adeovt Archidamus apud *Plutarchum*, ejusmodi Telum ex Siciliâ delatum cùm vidiſſet, exclamarit, *Periit Virtus.* Telum videlicet, nullâ æris, aut murorum ſoliditate, vel ingenii virtute repellendum. Hanc autem machinam, non tàm vi, quàm nomine metuendam, vetuſtisſimus æſtimat libellus, Notitiis Imperii alligatus: FULMINALIS, inquit, MACHINA *nuncupata, appellatione ſuâ teſtatur effectum.*

# HEROICI FULMINALIUM SYMBOLI
## FIGURA, ET FORMA.

*Figuram Machinæ* ſic deſcribunt Antiquarii: Trabem arrectam abiegnam, ſolidâ & multifori crasſitudine: ut in foraminum loculis misſiles aptentur Haſtæ plures, paucioresve; quas robuſteum lignum multiplici rotarum nerveorumque rudentum miniſterio retrorſus adductum, uno impetu ad eundem locum impellit. Hujus Imaginem expingit Lipſius *l. 4. de Militia.*

*Forma* verò, ideſt *ſententia mente concepta*, in Academiæ ſimilitudine ſita eſt: in quâ, velut in Fulminali Machinâ, tot Jacula quot Ingenia, eâdem urgente Virtute, ad eundem Sapientiæ ſcopum contra Veritatis Oppugnatores diriguntur.

*Epigraphe* denique, aut breve dictum (quod extimam quaſi Animam Poëtæ vocant) nobile propoſitum indicat hiſce verbis, OMNES EODEM. Ex celebri *Horatii* aliud agentis carmine Ode 3. lib. 2.

*Omnes eodem cogimur. Omnium*
*Verſatur urna, &c.*

Sed in Academico Stemmate, adverbium, EODEM, ſine accentu ſcribitur: ut inter Adverbium, & Caſum ſuſpenſa Vox, ambiguo ſenſu argutè lu-

dens, ſignificet, Académica iſta Jácula, EODEM *movente;* hoc eſt, Académiæ operâ: EODEM *loci*, hoc eſt ad Sapientiam conſequendam, ſimul incitari.

## STEMMATIS TOTIUS DESCRIPTIO.

MEdio in Paginæ ſpatio, FULMINALIS MACHINA arrectaria, & inſtructa Telis, atque ad agendum parata, conſpicitur. *Apollo* vero (quæ Symboli Pererga ſunt) Ingeniorum director, & quaſi Machinarius, ad intendendam convertendamque Catapultam Rotas movet.

Tum áſtites *Scientiæ Quatuor*, operi allaborant. Nam *Phyſica* Materiam parat, illaboratas nempè Telorum Haſtas. *Logica* verò chalybeas Telorum Cuſpides ſuper incúdem quadámatenus format. *Metaphyſica*, easdem Cuſpides molari acuit & éxpolit Rotâ. *Theologia* demum, ex Jovialis Aquilæ alis Pennas evellit, quibus conveſtita Tela rectiùs, altiusque ferantur.

Supra Machinam, *Vexillum* infixum eſt militare, cum Academiæ Titulo, OMNES EODEM. Ecquis igitur tam terribili obſiſtat Machinæ?

Digitized by Google

# ILLUSTRIUM VIRORUM ELOGIA.

## ILLUSTRIUM VIRORUM ELOGIA.

## URBANUM VIII.

Octavum Orbis Miraculum,
Attolle Famà;
Si altiùs attolli poteſt, qui ſupra Fortunam ſedet.
Florentiæ Patritius, Romæ Pater,
Urbem utranque in amicum duxit disſidium:
Illâ Naturæ dotibus, hac Gloriæ donis certante.
Proluſit ſuis utraque Auſpiciis.
Flores, Apem, Apes Apicem, præſagibant.
Puer adultam Prudentiam:
Adultus, ſenilem Dignitatem,
Anteoccupavit.
Feſtinante Fato, ne Orbis Vota ſuſpenderet.
Citrà miraculum fuit, quòd meritum accepit Regnum.
Ni miraculum eſſet, corrupto in ſeculo,
Mereri quantum aſſequeris, & aſſequi quantum mereris.
Urbanæ Felicitati ſtatìm addita appendix, Urbinum.
Non in dormientis (1) rete à Fortunâ conjectum;
Sed ſolertiâ futurorum preſciâ, in tuto poſitum,
Ne (2) Seni occuparetur, aut Sedi.
Sic avidas Manus, providus fruſtravit Oculus.



Digitized by Google

Magnum eſt Urbes recepiſſe; plus eſt non donaſſe.
Nam cùm Nepoti caducum illud Sceptrum tradere,
Principum ſuaſio, facile; Pontificum exempla, licitum facerent:
Suaſiones rejecit, novum daturus exemplum,
Ut Chriſti ſanguis plus colatur, quàm ſuus.
Nec minore ſtudio Regnum munivit, quàm auxit.
Nam magni Nominis auſpicio fundatam Urbanam Arcem,
In Æmiliæ transgreſſu erigens,
Hinc Romam Hoſpitibus, illinc Hoſtibus Arcem oſtendit.
Tùm (3) Hadriani Molem novo molimine communiit,
Ut Hoſtes arcéret, vel coerceret.
Fuge impie; Hadriani Sepulcrum mortes ſpirat.
Quieſce parumper Fama:
Nimiæ laudes aures laſſant.

*II.*

P*Erge jam quanto impendio*

## URBANUS VIII.

Terris Jugum, Pelago frenum injecit.
(4) Pyrgenſem Portum, perfidiâ Hyemis infidum,
Cæmentis oneravit, ornavit Molibus.
Itaque, Româ litori invidente,
Alludentibus in tuto Navigiis,
Jam non ſævit Neptunus, ſed ſervit.
Neque parciùs Petrum muneravit,
Quàm Petri Regnum munierit.
Cerne impoſitum ſacris Cineribus (5) Mauſoléum:
Cælum videre tibi videbere, dum Cælites colis.
Pontificis genium, (6) Artificis æquavit ingenium,
Cerne in faſtigium ſurgentes Angelos; dices,
Cælum hos dedit, non Bernini Cœlum.
Magis tamen mirabere,
Quòd è Pãnthei ruinis acceſſit Operi æternitas.
Otioſum nempè caducarum Trabium Metallum,
Ingentes Petro Columnas,
Innumeras Arci Bombardas dedit:
Utraque Tormenta;

Hæc

Digitized by Google

Hæc Hoſtium, illa Dæmonum.
Æquiùs impendi non poterant Pánthei Reliquiæ.
Nam (7) Jovi Ultori ab Agrippâ,
Divis colendis à (8) Bonifacio dicatæ;
Hoſtium ultioni, & divorum cultui, dividuntur:
Monumenta ad ſplendorem, Munimenta ad ſecuritatem;
Rependit Petrus gratas Vicario vices.
Urbem ſervavit, ab Urbano ſervatus.
Nam totâ Italiâ (9) lue mulctatâ, mulctam Roma non luit.
Petri hoc prodigium, an Urbani?
Qui ſerpenti morbo, (10) Serpentem Epidaurium objecit,
Vigilantiam ſuam.
Omnium verò maximum prodigium fuit,
Quòd conflagrante bellis Italiâ, ſcintillam Roma non ſenſit:
Omnibus olim incendiis buſtum ſupremum, aut primum.
Jam ſcio, cur Capitolio augurium fecerit (11) Humanum Caput.
Uno Urbani ſolicito Capite, ſecurum fuit Capitolium.
Majus eſt, quod neglectâ de incendio prædâ, repreſſit incendium.
Nam conſiliis ſuis, Suorum Legationibus,
Italiæ (12) Pacem dedit, quam vendere potuiſſet.
Subſiſte Fama; & ſacris ſuccumbe veſtigiis.
Qui hæc præſtat, laudandus non eſt, ſed colendus.

*Ne mirere Lector, ſi reliqua Magni Pontificis illius, quae maxima fuerunt, Acta, hoc Elogio non attinguntur. Sola Pontificatus initia, dùm Romae degeret hic celebravit Author. Non levibus ſanè ſtudiis curatum, ne diſcederet; ſed Patriae Ithacae amorem, nec Alcinoi Regia moratur. Integrum verò Elogium in* Pontificum volumine *aſſervat.*

1) *Ut de Niciâ dicebatur:* 2) *Urbinati Duci jam annoſo, & ſine Ducatus ſucceſſore.* 3) *Caſtrum Sancti Angeli, olim Hadriani Mauſoléum.* 4) *Nunc Cività Vecchia.* 5) *Apoſtolorum Sanctuarium.* 6) *Berninus ſtatuarius.* 7) *Ex Plin. lib. 36.* 8) *Bonifacius IV.* Pont. *Max.* 9) Contagium *anno 1630.* 10) *Quo Roma olim ſanata dicitur.* 11) *Apud Liu Dec. 1. lib. 6.* 12) Pax *Claraſcenſis Urbano attributa in articulis.*

# FAMA PRÆFICA
## IN OBITU
# INNOCENTII X.
## PONTIFICIS OPTIMI MAXIMI.

FVnde lacrymas, incíde crines, (1) Præfica Fama.
INNOCENTIUS DECIMUS
Orbis Pater, orbos omnes reliquit.
Dùm Vaticani Vatibus ádgemis:
Dùm ſeptem Collibus lúgubri reſpondes (2) heptaphóno:
Laudes luctibus intércine; atque Elegis Elogia confunde.
Laudes unum omnes, Pamphilium (3) Stemma ſuggeret.
De Stemmate Nomen, de Nomine Animum, de Animo Geſta,
Sine ſuperſtitione divinabis.
Columbæ adjecta Olea,
Illa Pacis Avis, hæc Palladis Arbos,
Innocenter Strenuum, ſapienter Fortem augurabant.
Primò igitur,
Adſpectum illum antiqui moris commemora:
Quem corrigendo ſeculo natus Animus, ſibi finxit:
Oſtendit in eo Roma, Catones adhuc ſe poſſe párere.
Tùm perge, ut publicæ Fortunæ prolúdens,
Romanam (4) Rotam movit, ut æternæ Mentes Sideream;
Æquabiliter, & citrà errorem.
Orbis Oraculum erat Roma, Romæ Pamphilius.
Urbium Caput, majore Mente animari non poterat.
Neapolitanam, Hiſpanamque Legationem ut geſſerit, rogas;
Græcè (5) NUNTIUM voca.
Sed Legationi utique virtute par, impendiis impar;
Suâ Operâ naviter, (6) Fratriæ Opibus ſplendidè,
Utranque ſuſtinuit.
Itaque Optimæ Matronæ Fortunis, debuit Fortunam ſuam:
Nec tantum beneficium æquare poterat citrà invidiam.
Dic igitur,
Ut hiſce gradibus, ſummos ad Eccleſiæ Cardines ſcandens,
Geſtorum merito; Patrui exemplo; Urbani judicio;
Eboris inſtar, ex candore Purpuram traxit.

Senſit

Senſit Urbanus ſeſe elegiſſe, pòſt ſe eligendum,
Fatídicam Pamphilii Columbam, uti (7) Dodonæam, conſuluerat.
Æquè in ejus pectore, atque in Stemmate candicantem.
Hinc eodem auguratu,
Quo Pontifex Cardinalem, Cardinales Pontificem
Acclamarunt Pamphilium.
Felici aſſenſu, facili aſcenſu;
Cùm Virtute Sanctisſimus antequàm Titulo,
(8) Reſponſis, Conſiliis, Miniſteriis,
Pontificatum regeret antequàm gereret.
Sacris Aris, ſacrificæ Lucis materiam Fata continuarunt.
Dùm Cerificis (9) Apibus, Olivifera ſucceſſit Columba.
Quæ innocens, INNOCENTIO prælusit.
Hactenùs ſine lacrymis.
Nunc laudes ſuſpirio rumpe, ac parumper ſile.
Sic eunt humana: magna merita ſequitur Mœror.

II.

Jam imo de pectore, Præfica Fama!
Jam pervicaci exprobra Marti,
INNOCENTII DECIMI
Prima fuiſſe ſtudia, Petri Clavibus (10) Janum claudere.
Sanè compeſcendo Chriſtiani Sanguinis Diluvio,
Orbi Columba non defuit, niſi Orbis crimina obfuiſſent.
Primùm hujus Innocentiæ experimentum memora;
Cùm Pontificis Animum tentavit Fortuna
Ingenti novâque illecebrâ; (11) Neapolitano tumultu.
Nam annuente Gallo, connivente Hiſpano, rogante Populo,
Ut è turbido Prædam legeret;
Accinentem Partenopem audiit ut (12) Ulyſſes.
Adjice, ut Venetis conjuncta Claſſe, Trucem Turcam reprimens,
Opprimi etiam poſſe docuit,
Si omnium Adverſario, omnes adverſarentur.
Hic altè interſuſpira.
Tùm perge, ut Chriſtianorum Principum æquisſimus Parens,
Ipſoque Nominis indicio, verè (13) Pamphilius;
Lædere neminem voluit, ſed à nemine lædi.
Pacifica Olea eſt: ſed Herculi quoque (14) Clavam dedit.

Numi-

Digitized by Google

Numinis igitur ut verus Cultor, ità Ultor.
Lacrymabiles (15) Vatis minas explevit,
*Cavendam iram Columbæ.*
Sed terge adhuc lacrymas, & reſpira.
Non ſemper nubilum eſt Cœlum.

*III.*

PLaude igitur Fama
INNOCENTIO DECIMO,
Et Gallis gratulare;
Quòd multicipitem (16) Janſenii Chimæram
Monſtris fœtam, ferro inciduam, ſubità Doctrinæ face,
Nocenti innocenter nocens, præfocavit;
Et renaſcentem Calvinum Orco reddidit.
Narra, ut ſacrorum Cœtuum Caput, & Exemplar,
Regularis Diſciplinæ Effigiem,
A Præceſſoribus delineatam, abſolvit:
Et Religionem ut augeret, numerum minuit.
Jàm ejus de Providentiâ, publicam felicitatem interroga.
Certè Annona, neque novis Indigenarum tributis creſcens,
Neque Convenarum multitudine deficiens;
Oſtendit, Principe ſobrio quàm opulenti ſint Populi.
Luſtralem ergo (17) Annum commemora,
Cùm in Urbem influens Orbis
Nil Urbe uberius, nil Sanctisſimo Sanctius vidit:
Qui, non tàm benedicendo, quàm benefaciendo ſingulos beans,
Ambiguum fecit, plusne venerationis adderet
Dignitas Pontifici, an Pontifex Dignitati.
Adde, quàm ſibi parcus, aliis magnificus,
In (18) Urbis ornatum, atque Templorum decus, ſcrinia effûdit,
Ut Romam æquè Majeſtate, ac Pietate conſpicuam,
Sibi ſimilem redderet,
(19) Saxeis etiam munitionum molibus congeſtis.
Ut, vel bellicæ Arces bellum arceant,
Vel Petras metuant, qui Petrum ſpernunt.
Altiſono demùm ſpiritu ſemel exclama,
Optimos quosque in uno INNOCENTIO revixiſſe Pontifices.
Omnium etiam glorioſisſimo:

Quòd

Digitized by Google

Quòd totam Majeſtatem ſuſtinuit ſolus:
Nemini curas partitus, ne intimo quidem, atque Optimò.
Poſtremâ in Senectâ végetus:
Et ad ultimum ſpiritum Pontifex,
Sanè, conſtantisſimum Innocentii Votum fuiſſe affirma,
Suos omnes eſſe Innocentes:
Nilque ſuis ampliùs licere, quàm exteris,
Ut à ſuis in exteros, Modeſtiæ mearet exemplar.
Si quid ſecius, contra Votum atque ſcientiam fore.
Nam domeſtica mala,
Facilius Domino imputantur, quàm indicantur.
Sed heu Fati crimen! Tantus Heros interiit.
INNOCENTIUS,
Imò ipſa INNOCENTIA, avolavit.
Hic ejula: hic peplum lacera: hic genas carpe.
Ejus Inferiis totum effle Thybrin,
Quibus totum (20) Aquarium efflevit Cœlum.
Pontifex verè Maximus,
Qui mortale nihil fecit, niſi quòd mortuus eſt.
Quanquam hoc etiam divinitus,
Ut Pontifices mori deceret, quos docuerat vivere.
Dignus, quem mali mortuum, Boni vivum optarent.
Hæc ubi fleveris,
Adora, & Tace,

1) *Quæ mortuorum laudes lugendo canebat.* 2) *Echo in Olympia* Porticu *ſepties iterata.* 3) *Columba Olivae ramum ore geſtans.* 4) *Romanae Rotae Auditor.* 5) *Nuntius Gracè, Angelus.* 6) *Fratris Uxor, cujus opum egregiarum ope, Legationes ſuſtinuit.* 7) *Dodonae Oracula reddebant Columbae.* 8) *Congregationum* Præfe*ctura; altaque Miniſteria.* 9) *Urbani VIII. ſtemma, Apes.* 10) *Jani Templum in* Pace *claudebatur.* 11) *In populari ſeditione Thomae Anelli.* 12) *Neapolitanae Orae Syrenem* Parthenopem, *Ulyſſes audiit immotus.* 13) *Gracè ſonat, Omnes æquè amans.* 14) *Herculis Clava ex Olivae trunco, qui terra impactus fronduit.* 15) *Jeremiæ cap. 25.* Facta eſt Terra eorum in deſolationem, à facie iræ Columbæ. 16) *Cornelii Janſenii hæreticalia dogmata opportunè damnavit.* 17) *Annus Sanctus.* 18) *Ædes in* Plateâ *Agonis, Fontem, Obeliſcum, Templorum ornatum.* 19) *Arces & Munimenta bellica.* 20) Prodigioſi Nimbi, *dum effertur.*

# IN OBITUM MAGNI CAROLI EMMANUELIS SABAUDIÆ DUCIS.

# Heu!

## MAGNUS CAROLUS

Diu poſt obitum deſiderabitur;
Qui deſiderari ante cœpit, quàm naſci.
Infœcunda jam Mater Votivum ſuſcepit,
Ut Regum prodigium, prodigio naſceretur.
Nam Principes Natura donat; Heróas Deus.
Maximo igitur Genitori, major ſuccedit Infans;
Et annis acerbus, Imperio maturus,
Altoris gremio regebatur, & Populos regebat Altor.
Senſit divinam indolem Philippus, cùm ſibi Generum aſcivit.
Toto enim Orbe circumluſtrato,
Nil majus CAROLO invénit.
Quàm auſpicatò, Proles docuit.
Si Mars Minervæ núberet, tales naſcerentur,
Novem edidit liberos:
Tàm numero, quàm ſublimitate Cælos æquaturus.
Solent Amorum Tedæ, Armorum tædium afferre.
At hic, de Conjugali Toro,
Ad ſubjugandos Rebellium toros deſiliens,
Amorem Marti initiavit.
Exinde CAROLUM nemo vidit, niſi armatum,
Nam Regnis majóribus incluſum ſortitus Regnum,
Timeri debet, ne timeat.
Eò igitur metuendus omnibus, quòd neminem metuebat;
Arces munitisſimas expugnando, deſertisſimas propugnando,
Bella cum Magnis Regibus
Imparibus armis concepit; paribus conditionibus confecit:
Nunquam victus niſi proditione; nunquam Victor niſi Virtute.
Neque Ingenium, uti ſolet, oppresſit Galea.
Nam æquè Ferri, & Ingenii acie bonus,
Sapientibus Apollineam, Fortibus Martiam præripuit Laurum.

Incer-

Incertumque fecit,
Magiſne Gladio an Calamo, Regna ſuſtineantur.
Prudentiâ tàm perſpicaci, ut callidior quibusdam ſit viſus.
Ignorante Vulgo finitimum Imperium Potentioribus inviſum,
Tutiùs aſtu quàm haſtâ ſervari;
Et geminis Anguibus, Mercurii Virgam interponi,
Regiæ demum Virtutes omnes,
Quæ in omnibus Regibus fuerunt ſingulæ,
Uno in CAROLO ſunt ſingulares.
Omnium verò maximam, Solus totam complexus,
MAGNANIMITATEM;
Sæpè læſus, ſemper lætus,
Docuit, nil contrà Fortitudinem poſſe Fortunam.
Itaque hanc poſtremam omnium Virtutem explicuit.
Nam Dexteram Cæſari datam ne falleret,
Siniſtris Armis circumventus;
Maluit inter Arma Septuagenarius occumbere.
Dixeris infectum Bellum conſultò reliqviſſe,
Ne Victori Filio nihil vincendum relinqueret.
At heroico planè funere decoratus eſt Heros.
Nam Orbe univerſo exequias anticipante:
Exundantia eluxerunt Flumina;
Caduca illuxerunt Fulmina;
Et ferales ad tumulum ludos præbente Fato,
Eqveſtria nocturno in æthere ſonuerunt Arma.
Tùm gemini ejusdem Martis Antagoniſtæ
Collaltus & Spinula;
Ad CAROLI Inferias prò Victimâ ceciderunt:
Hæc, Gratiis lugentibus, grato dictante Genio;
Magno Mecœnati ſuo efflebat
Emmanuel Theſaurus.

*Hac ſubito doloris & amoris impetu, eâdem quâ Principem illum amantiſſimum amiſit die, effudit Author. Cùm verò à Regio Succeſſore juſſus fuiſſet fúnebrem Apparatum meditari, éadem ferè ſenſa, diſcretas in Tabulas, quae Templi parietibus appenderentur, ut ſuo loco dixi, diviſit.*

# AMEDEUS SEPTIMUS

Sabaudiæ Comitum Ultimus, Ducum primus,
Tot Regum Nepos, tot Reginarum Pater;
Geſtis, Sapientiâ, Sanctimoniâ,
Ter felix:
Ævi ſui Salomo acclamatur.
Verè (*l*) Pacificus; at non ignavus;
Bello natus, Pacem coluit:
Docens Sabaudæ ſtrenuitatis eſſe
Tàm Bella profligare, qvàm Bellatores.
Pace itaque toti Italiæ Armis partâ,
Auctâ Urbibus, ornatâ Titulis, ſtabilitâ Legibus Patriâ.
Æterno adſpirans, ſuo ſe Regno abdicavit:
Sibiqve Pacem dedit in ſolitudine.
Sed clarior, dùm latet; notior, dùm amat neſciri;
Magnus Dignitatum contemptor,
Omnium maximam Dignitatum ſibi ſupplicem vidit.
Eugenio enim Quarto Pontifice Maximo,
Baſileenſis Concilii, & Europæ ferè univerſæ
Fatali errore, exauthorato:
Non imperandi libidine, ſed obſeqvendi neceſſitate,
Impoſitum Orbem ſuſtinuit, ne corrueret.
Felix V. Pontifex ſalutatus,
Aliis felicior qvàm ſibi.
Nam Chriſtianæ Reipublicæ reformandæ,
Sedandisqve Principum diſidiis
Sollicitum impendens decennium;
Publicam tranqvillitatem prætulit ſuæ.
Sed nova tandem luce, divinitùs Eccleſiæ coruſcante,
Baſileenſis Concilii, & Principum errore ágnito,
Orbem pacare maluit, qvàm regere.
Nam Nicolao V.
Ad ſupremum Pontificium ritè aſſumpto,
Qvam invitus ſuſceperat, ſpontè abjiciens Dignitatem,
Pontifex adhuc meritis, & Inſignibus,
Bonæ Fidei Teſtibus;
Nec jam Titulo, ſed Virtute Sanctiſſimus;

Ami-

Amicâ in Solitudine ſolicitudine depoſitâ,
Iterum Felix Amedeus eſſe cœpit, cum Felix Pontifex eſſe deſiit.
Ejus interim Sanctiones, Geſta, & Acta,
Eccleſiæ Univerſæ ſaluberrima,
Succeſſor (2) Decretis, Populus plauſu, Cœlum miraculis,
Comprobavit.
Debuit ejus Religioni Eccleſia,
Qvòd illud Schisma poſtremum fuit.
Terris igitur pacatis, Cœlo redonatus;
Etiam poſt Fata ſolitudinem coluit,
Nam (3) Hæreticorum veſaniâ Europam ſubvertente,
Diu Famâ notior, qvàm Sepulcro, fuit;
At ne maximum Regiæ Stirpis Decus
Sine Tumulo diutius tumularetur;
Honorarium hoc Monumentum
Carolus Emmauuel II. Sab. Dux, Cypri Rex,
Collocavit.

*Hoc Elogium, cum Authoris nomine, impreſſum etiam leges à* Guicenonio *poſt Amedei Pacifici vitam: alterum verò, quod eidem attribuit Authori* Guicenonius, *à Sereniſſimo Principe Mauritio, qui Amedeum Pacificum ſummoperè venerabatur, omnino meditatum fuit, atque compoſitum.*

1) *Salomò Pacificum ſignificat.* 2) *Ex Bullâ Nicol.V.* in Tom. Conciliorum, poſt ult. ſeſſ. Baſil. Concil. 3) *Sepulcro violato Ripaltae à Gebennenſibus: oſſa diu ignota jacuerunt. Demum reperta, ab Emmanuele Philib. Duce, ſolemni pompâ condita fuerunt in Taurinenſi Metropolitanâ, ex* Pingon. Aug. ſub anno 1576. *ſed locus ignoratur, diu licet quæſitus.*

# MERCURIUS
*SIVE*
# JULII MAZZARINI
## PRO ITALICA PACE NEGOCIA.
### SUB ANNUM MDCXXX.

*Ab Urbano VIII. privatim mittitur.*

JULIUS MAZZARINUS
Romanus Mercurius, ab Romano advolat Jove.

Mercurio (*i*) linguâ litatur.
Huic igitur linguas immolet Italia.
Cujus lingua obſtitit, ne Italia immolaretur.
Imminebat ancipiti roſtro Gonzagis Aqvilis Cæſarea Aqvila.
Stringebat, Italiæ fauces, Caſalenſem Arcem Iberus.
Mittebat Rhódanus ſubſidia validiora disſidiis,
Avolárat ergo Libertas, niſi Mercurius advolaſſet,
Nam próvida Urbani Numinis ſolicitudo,
Dum ad arma pacanda Magnos deſtinat Legatos,
Ad parandos Animos Caduceatorem præmittit.
Nimirum, maximi Ingenii eſt, maxima noſcere Ingenia.
At qvanti obices Paci objecti?
Novas Spes, novi ſemper timores difflant.
Nam Sabaudum conciliandis Regum Animis occupatum
Inopina occupat Gallorum irruptio.
Gallos Hiſpanâ potentiâ demulcendos
Subreptitii Pinarolii felicitas obfirmat,
Hiſpanos Germana æmulatio,
Et Caſalenſis Arcis aviditas incendit.
Germanis jam lapſantibus,
Exanimata Manto inſtaurat animos.
Tergeminæ Aciei Geryon, tergemino orbatur Capite,
Sabaudo, Collalto, Spinula.
Conſpirant Erynnes Tres alternis prognatæ,
Lues ex Fame, Fames ex Bello.
Aura & Aſtra, ominoſis prodigiorum óbſtitis, Paci obſtant;
Cruento Comete, caduco Fulgure, aërea Pugna.
Itaqve cum ineluctabili Fato luctandum fuit.
Sed Fatum vicit Mazzarini Prudentia.
Qvæ rebus in ambiguis nunqvam ambigua;
Novos eventus novis reparans conſiliis;
Iteratis Ducum Induciis,
Flammam reprimit, ſi non opprimit:
Et toties Pacem parit, dum Pacem párturit.
Mercurium ſcias, Induciarum Authorem.

II. *Fi-*

Digitized by Google

## II.
## *Fiduciarium Pactum pro Caſalenſi Urbe.*

Qvid à Regibus non obtineat Regia Mazzarini facundia?
Nunqvam dulcius loqvuta eſt Romana Majeſtas.
Neqve id mirum:
Cum (2) Siculos Flores Urbanæ legerint Apes.
Ineſt tamen ſvavisſimo eloquio trahax vis:
Ut veritati aſtruat Fabula,
Mercurium aureis vinculis aures vincíre.
Sermonis elegantiam geminat (3) oris elegantia.
Hunc ſi audis, ſi vides,
Invident Oculi Auribus, Aures Oculis.
Tantæ tamen comitati tantum ineſt Ingenii.
Ut non fictè cecinerint Vates,
Mercurium cum Amore, Formâ certaſſe, ingenio viciſſe,
Triumphalis itaqve Mazzarini facundia fuit.
Nam bullientibus Gallico Milite Alpibus:
Hiſpano Caſalem propiùs premente:
Hic modò ad Eridanum cum ſagacisſimo Spinula:
Modò Ripulis cum belligero Gallorum Triumviratu,
Pennis & Ingenio usqve adeò nititur,
Ut Urbem Hiſpano Gallus (4) dediderit:
Hiſpanus Gonzagis reſignandam deierarit,
Si bimeſtrem intrà moram auxilia obtruderent Galli.
Mirante Orbe rarum Mazzarini Miraculum,
Hos donare Urbes, illos reſtituere.
Hæc verò negocia qvanta celeritate tranſegit?
Metellos celeres, Papyrios curſores renovat Roma;
Vix enim Rhodanum trajicit, jam Eridanum navigat;
Intermedias deſultans Alpes,
Hunc ſuſpirabant anxia Populorum Vota:
Ejus Lumina, ut naufragantium duo Numina, implorabant.
Itaqvè, cum moroſa eſſet omnis mora:
Antè optabatur qvàm abiret, ante redibat qvàm ſperaretur,
Mercurium dixiſſes Talaribus fretum.

III. *Gal-*

Digitized by Google

III.

*Gallorum cum Hiſpanis conflictioni obſtat.*

Perge Muſa
Veri Mercurii laudes fabuloſo præripere.
Nam rude Seculum, rudia mirabatur:
Hic, in eo Seculo qvod miratur nihil, miraculo fuit.
Omnem tamen admirationem vicit ſolertia,
Cùm bimeſtrium Induciarum ſpatio ferè decurſo,
Inſtantibus Gallorum ſuppetiis: extincto Spinula,
Suffectus Marchio à Sancta Cruce,
Gallos infringere levius ducebat,
Qvàm Caſalem Gonzagis reſignare.
Nutabat ergo geminas inter Acies Urbs infelix:
Galliâ Viris, Iberiâ Viribus, præpollente,
Utram imploraret, incerta,
Nam, nec illius Auxilia officioſa eſſe poterant, niſi officerent:
Nec ab iſta poterat ſervari, niſi ſerviret.
Utriusqve igitur haſtis Itala Libertas ſubhaſtabatur.
Expectante Adriâ, utrius videret Sanguinem.
Nihil enim ad cruentum Bellum deerat, præter Bellicum,
Væ communi bono, niſi Mercurius (5) Communis interveniſſet,
Qvi Belli Fulmina celeritate antevertens,
Ante reſtrinxit, qvam caderent.
Nam Gallo Hiſpanas, Hiſpano Gallicas, oſtentans vires,
Omnibus timorem excuſit, cùm fecit ut ambo timerent.
Æqvè utriusqve Victor:
Qvòd Gallicam celeritatem tardavit,
Hiſpanam tarditatem celeravit,
Ut illi â cœpto recederent, iſti â cepto decederent.
Mercurium prorſus agnoſcas:
Qvi (6) Apollini pharetram, Vulcano Ferrum callidè clepſit.
At qvanta in iis gerendis integritas?
Cum apud Reges Principes, Præfectos,
Italiam Libertatem, Romanâ libertate defenderet.
Itaqve, ne liberum vocis àditum aurei Torqves obſtruerent,
Aurea Regum dona,
Qvæ capere cæteros ſolent, non cepit.
Imò æqvè munificus, ac munerum oſor:

Id

Digitized by Google

Id eſſe ſuum arbitratur, qvod donat.
Hoc uno (7) Mercurii disſimilis.

## IV.

### *Pro Europæâ Pace labores.*

Nunc cum Mazzarini Modeſtiâ pugnandum eſt, Muſa.
Nam ardua meritorum faſtigia, ſine faſtu, ſcandens,
Sic egit laudanda, ut ſi ſolus ageret:
Sic (8) aliis detulit laudem, ut ſi nihil egiſſet.
Itaqve, ſuæ Famæ pennas addidit, linguas adémit.
Ne ſileas tamen, qvid pro firmandâ Pace pertulerit:
Cùm pro ſarcinandis Induciis tanta perfeciſſet.
Nunc Alpium Clauſtra, ſcopulis & nivibus clauſa,
Non igni & aceto, ſed ſudore atqve æſtibus aperit.
Nunc corrupto aëris tractu Populos depopulante,
Domeſticis pereuntibus, inter domeſticas Mortes vivit.
Nunc media per arma Pacem deferens,
Cùm Vigilibus, Stationariis, Celeribus, improviſus occurreret,
Hoſtiliter ab Amicis acceptus,
Gladios fermè experitur quos placat.
Diceres, Milites Pacis oſores, odiſſe Paciferum.
Itaqve ut Orbis qvieſceret, nunqvam qvievit:
Donec Victore Amedeo Pacis Statóre,
In illo Claraſcenſi Conſeſſu,
Ubi qvot ora, tot Oracula,
Inter maxima Orbis ingenia Pax nata eſt tandem:
Sed ephémera.
Poterat Paci Fortuna ſubſcribere, ſed invídit Virtuti.
Pacem nimirum Ratisbonenſem placidi ſpirabant Auſtri:
Sed Auſtris adverſus (9) Aqvilo,
Dum Germaniam turbat, Italiam terret.
Negocia videlicet feliciora feciſſet eventus felix:
Nobiliora infelix fecit.
Neſcires qvàm difficilia fecerit Mazzarinus,
Si omnia confeciſſet.
Explebit Prudentiæ conatus altior Providentia:
Qvæ non Nominum, ſed Fulminum linguis ſuadeat Pacem.

Rogabunt qvi rogantur: & flenda qvi dolant, flebunt.
Nunc ſatis eſt, qvòd Italia non ſervit.
Plaude jam Liberatori Mercurii, Roma.
Ac niſi paria meritis paras,
(10) Pileum Mercurio detrahas cave.
Sile Muſa.
Viventem Julium Mazzarinum dignè laudabit nemo,
Niſi (11) Julius Mazzarinus reviviſcat.

1) *Ex Natal. Com.* 2) *Mazzarinus Sicilia oriundus, ad ardua negocia ab Urbano eligitur.* 3) *Laicus adhuc & Aulicus Adoleſcens, jam Legationibus maturus.* 4) *Induciarum mutuae conditiones.* 5) *Mercurii cognomentum.* 6) *Horat. in Hymno Mercurii lib. 1. Natal. Com. de Merc.* 7) *Mercurius furum Deus dicebatur.* 8) *Pancirolio Legato.* 9) *Septentrionalium Principum fœdus contra Cæſarem.* 10) *Pileus, Mercurii inſigne.* 11) *Julius Mazzarinus Patruus prædefunctus: omnium Concionatorum è Societate Jeſu, diſertisſimus.*

# JOANNIS PISAURI
## VENETORUM DUCIS
### Mauſoléum.

Cum Sereniſſimi Principis hujus Gloriam, magnificentisſimo extollere *Mauſoléo* Leonardus Nepos, Reipublicæ Procurator, ſtatuiſſet: humanisſimè interpellatus noſter Author, ut ingenti operi, ingenii operam conferret: argumentoſam meditatus eſt Molem, in qua paludatam *Ducis Imaginem* in Solio ſedentem, ſua ipſius geſta, ſymbolicis expreſſa Emblematis, Trophæisqve circumdécorant: Virtutes verò duæ, qvas præcipuè colebat, *Religio* atque *Conſtantia*, intercipiunt. Ad Principis pedes, qvaſi è Tumulo redivivi, Lanificæ *Fati Sorores tres*, exarmatæ, penèqve exanimatæ; fracta colu, atqve forficibus, integro Stamine: inanem Tumulum inſidentes, ſublimem exemptumqve Fatis, mirantur Heróem; ſubſcriptis Claudiani verſibus de Phœnice: *Non Stamina Parcae*
*In te dira legunt: nec jus habuere nocendi.*
Mauſoléi faſtigium tubicina inſidet *Fama* laudum Præco: ima verò in ſubſtructione, qvam *Barbarici* fulciunt *Atlantes*, geminæ ingentes Tabulæ hinc illinc, eximias Principis Laudes complectuntur. Nam unica Inſcriptione complecti, nec geſtorum multitudo, nec bipartita loci diſpoſitio patiebatur.

PRIOR

# PRIOR INSCRIPTIO,
Ad dexteram.

## JOANNEM PISAURUM
## VENETIARUM DUCEM

Optimum Patriæ Patrem, vides.
Qvi nondùm natus,
Cùm Partui, aut Parienti, lethale Puerperium timeretur:
Satagente Empiricorum Turbâ,
Ut lucem amitteret qvam nondùm viderat,
Obſtetricante Providentiâ, per Mortes ad vitam prodiit:
Matremqvè ſervavit naſcendo.
Idem Patriæ auguratus, cui naſcebatur.
Proinde Patriæ totus vivens, nullus ſibi;
Florentem Juventam, qvam pleriqvè feriatam effœminant,
Laborioſis pro Patriâ Legationibus, extrà Patriam fatigavit.
Primùm, in Subalpinâ, magno tunc Europæ Theatro:
Cum veterano Duce Carolo, arcanam illam molitus Machinam,
Qvâ Telinæ Vallis invaſores, fœderatis armis depulſi ſunt:
Impactas Venetæ libertati compedes fregit.
Deindè in Galliâ,
Contrà Ludovicum Juſtum, injuſtis armis debacchantem,
Inermus inter Arma, Pacator inter impacatos;
Gallicanæ Qvieti,
Maximo Regi glorioſæ: Orbi Catholico neceſſariæ:
Venetis rebus maximè opportunæ, allaborans;
Vulgare dictum redarguit, Gallis inimicum eſſe Leonem,
Tùm in Angliâ,
Præmaturum Jacobi Regis amiciſsimi Obitum,
Mirâ calliditate cœlatum, mirâ ſagacitate rimatus;
Cavit, ne antiqva Regni Benevolentia,
Novis malevolorum artibus refrigeſceret.
Romæ verò,
Cùm novum Titulorum Decretum Principes omnes attonuiſſet;
Uni Piſauro debuit Respublica, qvòd maximis æqvata Regibus,
De Majorum ſuorum conſvetudine nihil deminuit.
Deniqve ad ardua Reipub. negocia natum dixiſſes Oratorem;
Cùm ſvaviſsima Svada, facundis innata labris,

Legati eloqvio ligatos Principes, qvò lubebat adduceret.
Mercurius videri poterat,
Niſi Militaris Præfectura Martem oſtendiſſet;
Haud ſegniore manu, qvàm lingvâ.
Nam Romanis Armis finitimas Provincias territantibus;
Hoſtiles Eridani ripas, Armis & Arcibus repentè inſêdit:
Ut bellica conflagratio in Authorum finibus deflagraret.
Qvàm id naviter ac tempeſtivè, Calumnia docuit:
Qvæ Veri facem, & Viri famam ut extingueret,
Clariorem fecit ventilando.

## ALTERA INSCRIPTIO.
### Ad lævam.

Hoc verò vel invita fatetur Invidia,
Qvòd deſperatis Cretæ rebus,
Cùm turpiſſimam Pacem, pulcerrimi Regni jactu,
Paciſcendam contenderetur:
Solus contrà innumeros, cunctanter at conſtanter obnixus;
Voce, Calamo, publico Ferro, proprio Argento,
Cretenſem Venetis Coronam,
Et Venetam Italis Gloriam, conſervavit.
Tantam igitur Virtutem,
Singulos per Honorum gradus experta Patria;
Emeriti Senis labores, maximo remuneravit labore, Principatu.
Dignum planè Principe Republicâ Principem.
Cui tanta Majeſtas;
Ut Reipublicæ Caput, de Vultu noſceretur.
Tanta Comitas;
Ut Dignitatis Serenitatem, ſupercilii ſeveritas non infuſcarit.
Tanta Magnificentia;
Ut Principatus Splendorem auxerit ſuo.
Tanta Authoritas;
Ut pro Verbis Oracula de Throni Cortinâ fuderit,
Tanta Prudentia;
Ut nihil ſibi novum, nihil perplexum ratus,
Ævi ſui Salomo paſsim ſalutaretur.
Tanta deniqve, tamqve conſtans Religio,

Ut

Ut RELIGIONEM atqve CONSTANTIAM
Pro Heroicâ ſibi Teſſerâ in Clypeis propoſuerit.
Teſtis illa, contra Chriſti Hoſtes hoſtilitas implacabilis:
Et Religioſa Ignatii Familia, qvàm ignito Religionis inſtinctu,
Ad fovendam cum Ingeniorum eruditione Animorum Pietatem,
Poſtliminio Revocavit.
Omnium tamen Operum, celeberrimum fuit, ideoqve poſtremum,
Chriſtianorum Principum optata, non expectata Concordia.
Qvam transmiſsâ per Caduceatores ad utrumqve Regem Svadâ,
Omnibus perſvaſit.
Hinc acceptis Pecuniarum ab Hiſpano;
Et Copiarum ab Gallo Rege, ſuppetiis:
Frugiferæ Pacis primitias, Pacifera Reſpublica prægustavit.
Sic, nimis heu breve, Principatus ſpatium, extendit Piſaurus
Geſtorum granditate.
Atqve ut Reipublicæ ſuæ, etiam poſt Fata, prodeſſet;
Florentiſſimam Sobolem Patriæ oppigneravit:
Ex Leonardo Fratris Filio.
Qvi Opum Hæres, ſectator Operum, Reipublicæ Procurator,
PATRUM AMANTISSIMUM,
Qvâ debuit Pietate, Vivum coluit;
Qvâ potuit, Redivivum reſtituit.

Vivit Annos LXX.
Devixit, Anno M DC LIX.
Hic revixit Anno M DC LXVI.

# PHILIBERTI SCALIÆ
Verrucæ Comitis, Secuſini Abbatis,
## LAUREA.

Feſtina Calame, Heroum laudibus ſacer.
PHILIBERTUM SCALIAM
(1) Ad ſumma Gloriæ feſtinantem
Seqvi labora, ſi neſcis aſſeqvi.
Laudum prima eſt, qvòd laudes fugit.
Atqvi ejus curſum ne Natura qvidem ſeqvi potuit.

Eridanus, Adoleſcentiæ Spiritus in Infante;
Tiberis, Virilem ſoliditatem in Puero;
Tagus, Senile Conſilium in Adoleſcente ſtupuére,
Rixantibus inter ſeſe Fluviis,
Niſi ex Candore Animi, & Eloqvij ſvavitate,
Suum Eridanus Cyconum teſtaretur.
Itaqve Annos meritis, ætates Animo præcurrens,
Cunctatricis Naturæ ſegnitiam deriſit.
Neqve nova hæc vivacitas in illâ Stirpe,
Cujus ingenia, Natali fovente luce,
Tunc matureſcunt, cùm cætera florent.
Vivit, vivetqve (2) Avi Fama,
Qvi Magni Principis Magnus Achates,
Unus omnia fuit, & ſolus omnibus ſuffecit.
Tam ſibi uni omnia debens,
Ut Fortunam, vel invitam, raptaverit uſqve ad Tumulum,
Vivit (3) Alexander Patruus, verè Magnus,
Qvi Numinis more, ubiqve agentis,
Ad Principes omnes ſemper ablegatus,
Ut publica ſtet Libertas, nunqvam ſtat.
Ad Philiberti (4) Patrem, Verrucæ Comitem,
Taurinenſis Auguſta, ſibi Cognominem, ſibi natum, fovet;
Cujus Nomen ex geſtis, geſta ex Nomine cognoſcas:
Omnia *Auguſto* ſimilis præter Imperium;
Qvod non gerit, ſed regit.
Principis favore nullius unqvam periculo abuſus,
Solis inſtar, qvi qvò altior, minus inumbrat,
Procùl enim ab Auguſto pectore livor.
Puſillis animantibus venenum eſt datum.
Itaqve, huic uni Aulico, Aulica parcit Invidia.
Felices igitur Sobole Parentes, Parentibus Soboles;
Qvæ tàm inſitis, qvàm aſcitis Virtutibus,
(5) Acies, Aulas, Aras
Décorat dùm decoratur,
Conſilio Numinis, cuncta uni Familiæ tribuentis,
Ut omnibus proſit.
Huic Generi minimè degener Philibertus,
Reipublicæ ante vixit, qvàm ſibi,

Tam

Tam proſperè, tam properè ad ſeria intentus,
Ut etiam Juventæ voluptates oblitus ſit.
Nam vix pubeſcens,
Jam Subalpini Regis in Hiſpaniâ Prolegatus,
Proviſu rerum, conſiliorum diſpoſitu, fandi vi,
Tantæ admirationi fuit,
Ut graviſſima illa Capita, ſuam canitiem increpuerint,
Jam Patriæ redònatum
Sacra Infantula, Virtuti ſera, Ætati feſtina,
Ambiit non ambita.
Gaudente Mitra, qvòd à Magno Patruo in Magnum Nepotem
Transmiſſa Dignitas, nihil Dignitatis amiſerit.
Poſt tales curas, laborum Triumphator, & ſui,
Novo Virtutis inſigni, Jurisprudentiæ Laurea cingitur.
Qvam alii per ſudorem, hic per ocium carpit.
Poſt heroica Fata,
Alcides ſub (6) Oliva, Philibertus ſub Lauro conquieſcit.
Nimirum, Jurisprudentiæ Tyrocinium ingreſſus, jam emeritus.
Prudentiam exercuit, anteqvàm diſceret.
In legum Codice illa tantùm legit, quæ fecerat,
Cùm ſingula ejus facta fuerint leges.
Plus ergo illi debet Laurea, quàm ipſe Laureæ,
At qvò tandem (7) Honorum procurret hic Spiritus,
Qvi Metas attigit inter initia?
Non improvidè Regio in Monte Lauream capit;
Regium Apicem Vaticani Montis ornaturam,
Subſiſte Calame; Laſſaris, non ſeqveris.
Tam alta Virtus, imas laudes non audit.

1) *Annò 1634. Monteregali.* 2) *Philibertus Gherardus Scalia Verruca Comes: primus, ſolusqve Magni Caroli Miniſter.* 3) *Abbas, poſt Romanam, Gallicam, Hiſpanam, Anglicam Legationem in Belgio mortuus.* 4) *Mamfredus Auguſtus, Peditum Præfectus ſupremus: Victoris Amedei intimior Miniſter.* 5) *Frater, Eqvitum Præfecturam ſupremam geſſit.* 6) *Clavâ in Oleam verſâ.* 7) *Divinat Author. Nam Maximos honores geſſit, & Majores invidit feſtina mors.*

ILLU-

# ILLUSTRIUM VIRORUM ELOGIA SEPULCRALIA.

Elogium Sepulcrale

## THEODOSII LUSITANIÆ PRINCIPIS.

MAvortem Gladio, Calamo ſuperaſſe Minervam,
Auſibus Æacidem, Neſtora Conſiliis:
Neptunum Ratibus, Terras pede, Sidera mente,
Vincere Theudoſium, Fama canebat ovans.
Mors, oculis, non aure carens, tot ut audiit Acta,
*Plurima, qvisqvis hic eſt, Secula vixit*, ait.
Protinùs haud cæcam contorqvens cæca Sagittam;
Pro Sene, Spem miſeri ſenſit obiſſe Tagi.
Tunc aures, tunc illa oculos, tunc ſpicula culpat:
Tunc qvatiens fragili pectus inane manu:
*Orbem*, ait, *orbavi*, *fateor: ſed luminis Orba:*
*Perdidit heu Virtus te* (1) *celerata*, *Puer*,

1) *In Heroicis, Politicis, Literariis, & Militaribus negociis præmaturè inſtructisſimus erat Puer: ideoque minimè vitalis.*

Huc referenda ſunt Epitaphia Principum cæterorum, quæ in eorum Exequiis, ſuperiùs censíta ſunt.

Elogium Sepulcrale

## FRANCISCI MARIÆ BROLIÆ.

Heu Mortis facinus!
FRANCISCUS MARIA (1) BROLIA,
Senunciarum Marchio,
Revelli Comes, Berzolii & Fardéti Dominus,
Gallici Ordinis illuſtriori Torque inſignitus;
Jlle (2) Genere, Genio, Geſtis inclytus,

Qvi

Qvi Aulæ ſimul & Bello initiatus Infans,
Aulica gratia, & bellica ferocia
Aulicobellicam ſortitus indolem;
Magno Carolo
Virtutis omen fecit, qvantæcunqve Fortunæ capacis,
Ille, qvem Armis acerrimum
Contra ſe in Subalpinis experta Gallia,
Feſtinata Tribunitiæ Legionis illecebra
Sibi (3) cenſuit demerendum.
Ille immerſabilis Fluviorum Domitor:
Qvo Auſpice,
Hiſpana Sycoris, Belgica Scaldis, Italicus Ticinus,
Suis undis, & Hiſpanis ignibus æſtuantes,
Gallicis Cohortibus ſuccubuêre.
Ille impavidus Hoſtium pavor;
Qvi concluſis Terraconenſibus, Maria atqve Terras eripuit.
Leganeſio de Gallicâ prædâ ad Ilerdam triumphanti,
Bellica Tormenta, ne Victori aſſonarent, extorſit.
Baxéæ Oppidulum ferè inutile, ſibi commiſſum,
Totius Belgii ſtimulum fecit, ac frænum.
Obſeſſi Atrebáti munitiones, miris ambagibus implexas,
Pervádi poſſe perſvaſit, cùm fortiſſimè pervaſit:
Et graviſſimo cruentus vulnere,
Victoriæ moram non adjecit, ſed pretium.
Ille inconcuſſus Gallicæ Majeſtatis Propugnator;
Qvi Præcipuum Regni (4) Miniſtrum,
A Sectariis præcipuè inſectatum,
Et recedentem fideliter, & redeuntem feliciter
Eſt comitatus:
Primusqve audendi (5) author, & actor,
Clarantonium Factioſorum Acrópolim,
Bellator, & debellator ingreſſus,
Pariſiorum Portas eruptionibus occludens, aperuit Paci.
Ille demum, qvi per Militares Apices,
Ad Regiæ Armorum Præfecturæ culmen eníſus;
Florente adhuc Juventâ
Tanta geſſit, ut Geſtorum Famæ officiat numerus:
Cum uberiorem Triumphorum autumnum Galliæ maturaret.

En, ut ipſo (6) Valentini obſidii primordio,
Dùm loci faciem primus explorat,
Primus furtivâ glande confoſſus,
Aciem, Galliam, Patriam, Familiam,
Victoriam ipſam, qvam peperit, funeſtavit.
Eheu Mortis facinus!

1) *Carienſis Patritius.* 2) *Ex eo Genere, quod inſignes olim belli Duces, Italiæ dedit.* 3) *Sagaciſſimum Richelii Cardinalis conſilium.* 4) *Mazzarinum Cardinalem, in ſeditione contra Regem.* 5) *Dum Proceres Pupillo Regi timebant, ſi Pariſios aggrederetur.* 6) *Valentiâ Inſúbrûm, à Mutinenſi Duce obſeſſâ. Anno 1656.*

## *Authoris Epigramma,*
## *Ejusdem Broliæ Inferiis additum.*

UNde Armis valeat, Valloqve Valentia cingi,
  Primus dum explorat Brolia, primus obit.
Ergo triumphalem Tumulo ſuperaſtrue Moſem,
  Gallia; Laurigeris Appia necte comis.
Exeqviis ſimilis, ſimilis ſit pompa Triumpho:
  Funeſtis feſtas ignibus adde Faces.
Fercula luctificum præcedant læta Ferétrum,
  His inſcripta notis, BROLIA VICTOR OBIT.
Non etenim capta eſt, cùm victa Valentia capta eſt,
  Capta eſt, cum docuit Brolia poſſe capi.

## Elogium Sepulcrale
# ARCHIEPISCOPI
## TAURINENSIS.

JULIUM CÆSAREM BERGERIAM
Qvum (1) rapuit avara Mors,
Fas omne abrúpit.
*Auguſtam Urbem,*
Optimo Patre orbavit, ac Patritio.
*Juriſperitorum Collegium,*

Pri-

Digitized by Google

Primario Collega, ex eâdem Familiâ nono.
*Caballarii - Leonis Comitatum*,
Æquiſſimo & clementiſſimo Domino:
*Regiorum Conſiliorum Conclave*,
Intimo atqve integerrimo Oraculo.
*Aulica Miniſteria*,
Miniſtro prudentisſimo;
Cujus Menti (2) tota Pacis moles incubuit.
*Univerſam denique Diœceſim*
Amantiſſimo, atqve Amatiſſimo Archipræſule.
Ac ne ſaxa non gemerent,
*Templum ipſum Metropolitanum*,
Munifico (3) Inſtauratore viduavit.
Tot damna, unico ſævæ falcis ductu.
Illud verò ſæviſſimè,
Qvòd Præſulem Patruum, & (4) Nepotem cariſſimum
Simul rapuit.
Ut (5) Maria Margarita
Nepotis Vidua, Pupilli Tutrix,
Gemino implexa luctu,
Dum Virum lugebat, Patruum tumularet.

1) *Anno ſalutis 1659. Ætatis 67. Pontificii 18.* 2) *Pax inter Principes, & Regiam Pupilli Matrem.* 3) *Nam mediam Templi concamerationem peſſum collapſam, ſolus, ſponte, proprio ære reſtituit.* 4) *Nepotem ex Fratre, ante unum diem extinctum, relicto Infante.* 5) *Marchionis Roncatii Filia.*

Elogium Sepulcrale
# PRIMARII PRÆSIDIS
## DUCALIS CAMERÆ.

MAURITIUS PHILIPPA,
Joannis Antonii Senatoris Clariſſimi Filius.
Sancti-Michaelis, Praſſi, Uſſólij, & Martinianæ Comes.
(1) Hic ſitus eſt.
Tanta Vir integritate,
Ut Cameralium Qvæſtorum Protopræſes,
Principis Jura ſine Privatorum injuriâ ſuſtinuerit,



Digitized by Google

Tantâ ſolertiâ,
Ut Militaribus Cauſis, Rationibusqve Præfectus,
Æqvè Militum Cenſor, & Pater;
Illo in Officio Amorem conſeqvutus ſit,
In qvo Odium vitari non poteſt.
Tàm illuſtri Ingenio,
Ut Politicas inter ambages,
Subitis ejus conſiliis maturius nihil prodierit.
Tàm ingenti Animo,
Ut nunqvam vel Fortunæ adverſitate,
Vel negotiorum diverſitate, ſit óbrutus.
Omnibus deniqve tot Miniſteriorum dotibus ita præditus,
Ut illum incolumem
Probarint Principes, dilexerint Populi, ſuſpexerint (2) Exteri.
(3) Amiſſum omnes ſuſpirarint.

1) *Anno 1656. ætatis 56.* 2) *Gallici Regis Miniſtri, in commeatuum providentia.* 3) *Omnia comparatione fiunt cariora.*

## Elogium Sepulcrale
# RICHELMI PRÆSIDIS.

CAMILLUS RICHELMUS,
Nicienſis Patritius,
Bartholomæi Richelmi Senatoris,
Qvem (1) Maximi Juriſperiti, *maximum Juriſperitum* vocant,
Filius, Hæres, Æmulator;
Hòc etiam felicior,
Qvòd Paternâ laude claruit, & ſuâ.
Annos enim terdenos Forenſi in Arenâ
Pari diſputationum ſubtilitate, ac ſoliditate congreſſus,
Ab Magno Carolo
Senatoriâ donatus Purpurâ, Purpuræ fulgorem auxit.
Regio proinde Victoris, & Chriſtinæ Adminiſtratricis
Adſtipulante judicio,
In Camerali Magiſtratu, & Pedemontano Senatu, Præſes,
Nunqvam perplexo, nunqvam flexo ſuffragio,
Qvot annis Patrocinatus fuerat, totidem judicavit.

Ita-

Itaqve cum placida Senectus
De ingenio nihil minuens, authoritatem auxiſſet:
Vivuſqve ſua Elogia ubiqve legeret:
Immortalis Vir, eò tantum (2) mori eſt viſus,
Ne humanarum legum Vindex, Naturæ leges infringeret.
Paternæ igitur Memoriæ, Poſterorum Exemplo, Dolori ſuo
Bartholomæus Filius Senator, ut ſatisfaceret,
Ejus Effigiem, qvod unicum morti ſpolium ceſſerat,
Æternitati reſtituit.

1) *Cravetta Conſ. Theſaurus Junior in qvæſt. for. Monachus de recta feud. interpret.* 2.) *Anno 1646. Ætatis 77.*

Elogium Sepulcrale

## (1) ABBATIS CÆSARICENSIS.

Amici omnium cariſſimi.

*Luge Viator.*
LAURENTII SCOTI
Sepulchrum, nulli indeflètum, vides.
*Lugent Muſæ, Virtutes lugent*
*Utriusqve Chori Coryphèum.*
Qvi ſacro in pectore profanas excipiens (2) Muſas,
Suis è moribus (3) pudicas fecit.
Gemino titulo Vates.
Nam, Poëticâ Laureâ, & Religiosâ Laureolâ
Olim donandus,
Caſto in Baptiſmatis Caſtalio
A LAURO nomen accepit.
*Luget Aula, luget Ara*
*Curialem Præſulem,*
Cui nihil Aulicisſmi affricuit Aula.
Nam Principi ſimul, & Numini carus:
Invidens nemini, nemini inviſus:
Rixantes inter (4) Factiones, utrisqve gratus:
Docuit, impiam eſſe illam (5) vocem,
*Exeat Aulâ Qvi volet eſſe pius,*
Cùm Pietatem in Aulâ, ut in Arâ,

 Æqvè

Digitized by Google

Æqvè religioſè coluerit.
*Lugent Próceres, Matronæ lugent,*
*Supremum Sacrorum Præfectum.*
Qvi tàm (6) Auguſti, qvàm Auguſtæ
Regiis in Penetralibus aſſiduus:
Nihil à Prætorio ſuperbiæ;
Nihil à Gynæcêo, deſidiæ contrahens;
Viris, Civilis Vitæ; Fœminis, Modeſtiæ Typus:
Non auſtérus, neqve remiſſus;
Aliena taxans Vitia, ſuæ Vitæ exemplis,
Docuit; Animis imputandos eſſe Mores, non locis:
Cùm ejus Animo innocenti
Locus nullus nocuerit.
*Lugent Pauperes, Divites lugent*
*Periculoſo (7) Laurentii Miniſterio ſanctè perfunctum,*
Tàm enim de Proprio, qvàm de Regio ære
Magnus Eleemoſynarius,
Præter qvotidianas ſparsìm largitiones,
Suburbanas ſuas Delicias
Neriani Oratorii Clericis elargitus;
Et cæleſtes Divitias fœneratò conſeqvutus;
Divites docuit ſuas augere opes,
Inopibus diſpergendo.
*Lugent (8) Monachi, Servi lugent*
*Optimum Promumcondum.*
Qvi Familiæ ſuæ, & Dei Familiæ
Pari charitate proſpexit.
Nam ſervos amans, Monachos colens, utrosqve fovens;
Familiaritate, Cœnobium ſuæ Domui;
Pietate, ſuam Domum Cœnobio, ſimilem fecit:
Tàm Servorum qvàm Monachorum
Verus *Abbas*, nempè Pater.
*Luget verò multò acerbius, qui hæc ſcripſit,*
*Coævum, & à teneris individuum Sodalem;*
Crudâ falce, ſe ſuperſtite, ab ſe diviſum.
Itaqve lúgubre hoc Elogium,
Ab jamiam (9) expiraturo
Inter ultima Vota enixè interpellatus

Emma-

Digitized by Google

Emmanuel Theſaurus;
Currente in Amici obſeqvium Calamo, ut Animo,
Cum lacrymis compoſuit;
Et (10) Joannes Laurentius Nazarius
Hæres poſuit.
Anno 1666.

1) *Protonotarii Apoſtolici, Regii Conſiliarii, Utriusqve Regiae Celſitudinis ſummi Sacellarii, & Eleemoſynarum Præfecti. Regis etiam Francorum Eleemoſynarii.* 2) *Italos inter Poetas à Marino Poetâ celebratus.* 3) *Ejus Poëſis honeſtisſima.* 4) *In bello Civili.* 5) *Lucanus lib. 8.* 6) *Ducis & Duciſſae Sacellis, & Eleemoſynis præfectus.* 7) *Eleemoſynarum distributor S. Laurentius Levita, & Laurentius Scotus.* 8) *Abbatiae Caſarienſis trans Alpes: qvam penè dirutam ab Hugonotis, inſtauravit.* 9) *Extremum hoc ab amico officium, moriens Abbas poſtulavit; etiam Teſtamento.* 10) *Ex Sorore Nepos.* *Obiit Anno 1664, Ætatis 76.*

Elogium Sepulcrale
# MAGNI CANCELLARII.

CAROLO PHILIPPO (1) MOROTIO
Sabaudiæ Archicancellario
Debuere Ingenia,
Qvòd Muſas, olim inter popularia ſedentes,
Inclyti Generis claritate Nobiles fecit.
Debuit Senatus,
Qvòd Primariam ejus Sedem
Doctrinâ & Majeſtate complevit.
Debuit Princeps,
Qvòd Fidelitate Subditum,
Conſiliis (2) Patrem adæqvè geſſit,
Debet Patria,
Qvòd Honorum Stadio decurſo,
Et Vitæ contactâ Metâ,
Palmas atqve Trophæa foris acqviſita,
In Patriæ (3) Patrisqve ſinum,
Secum tulit,
Anno MDCLXI. Ætatis LXXV.

1) *Morotii & Rocchabaldorum Comiti, ex Cevae Marchionibus.* 2) *Archicancellarius, Principis Pater vocatur.* 3) *Ludovici Pedemontium Protopræſidis, jam humati.*

Elo-

Digitized by Google

## Elogium Sepulcrale
# COMITIS CILIARII.

Auguſtæ Taurinorum Patriæ
Optimus Civis & Pater
D. OCTAVIUS CAPRIS
Ciliarii, Rocchæ, Montiſmartii (1) Comes
In Mauritianâ Militiâ, Majorum Stemmatum Eqves.
Mauritii Principis à Sabaudiâ Eqves Cubicularis,
Nicienſis Comitatus, & Villæfrancæ Gubernator.
In Gavij, Verrucæ, Tridini, Albæ Obſidiis,
In Tricinenſi, Monbardonenſi, Secuſino conflictu;
In omnibus deniqve ferocientis Seculi periculis,
Sub Auguſtiſſimo qvatuor Ducum auſpicio,
Eqveſtri Centuriatu, Caſtrenſi Præfecturâ.
Pedeſtri Chiliarchatu Clarus;
Hoſtilibus ſæpè ictibus,
Honorificis ſemper Principum Encomiis,
Strenuitatem juxtà, diligentiamqve teſtantibus;
A puerili Tyrocinio, ad emeritam (2) maturitatem,
Celebres Majorum laudes propriâ Virtute
Cumulavit.

1) *Alteſſani Superioris, & Curtis-veteris Dominus.* 2) *Dies clauſit Anno 1660. Ætatis 58.*

## Elogium Sepulcrale
# VERRUCÆ COMITIS.

Hem ſingulare Aulicorum Exemplar.
PHILIBERTUM GHERARDUM
SCALIAM
Verrúcæ Comitem,
Qvi ad Magni Caroli gratiam
Suo tantum ingenio viam præmonſtrante,
Vix Aulam ingreſſus,
Ad illuſtriores Aulæ gradus tranſgreſſus,

Eqve-

Digitized by Google

Eqveſtri Deiparæ Ordine Torqvatus;
Inde incæpit, ubi alii déſinunt.
Qvo argumento contra Invidiam
Contentus eſſe poterat,
Dùm à tanto Principe, tanti eſt factus,
Neqve tamen judicium fefellit eventus.
Nam primàm Legationem ad (1) Venetos, fluctuante Patriâ,
Alteram ad Pontifices (2) Tres, verè Maximos;
Tertiam ad Philippum Tertium iteratò functus;
Id à ſuâ dexteritate ſemper obtinuit,
Ut exterorum Principum Amorem,
Cum ſui Principis utilitate (3) connecteret:
Qvi, non illum modò ad penetralia Conſilia ſemper accívit;
Sed totam Conſilii Exedram in unius pectore clauſit.
Ergo cùm gravisſima, & pene deplorata Negocia,
De Provinciæ Narbonenſis rebus; de Salutianâ Marchiâ,
De Monferratenſi expeditione, de Aſtenſi Pace,
Infracta fide ac ſolicitudine pertractaſſet:
Denique, apud Ludovicum XIII. Gallorum Regem,
Victoris Amedei, & Chriſtianæ à Franciâ,
Auſpicatisſimo Conjugio conſtabilito;
Qvòd digniori Negocio Vitam impèndere non poſſet,
Pariſiis ſtatim obiit.
Hoc uno dolore nimiam Magni Caroli lætitiam acerbante.
Vir ſvaviſſimis formatus moribus:
Qvi Authoritati Modeſtiam naturali permiſcens temperamento,
Invidiam opprimere maluit, qvàm Invidos.
Qvibus artibus, fatalem Aulicæ Fortunæ
Fugacitatem figens;
Integrum Principis favorem, ad extremum Spiritum,
Ab curiali Fáſcino ſervavit, & ad Filios tranſmiſit.

1) *Hic primus Carolo ſvaſit, ut Venetis adhæreſceret: ſuumqve conſilium ad exitum perduxit.* 2) *Clementem VIII. Leonem X. Paulum V. non interruptâ Romæ morâ.*



Digitized by Google

Elogium Sepulcrale
# MELCHIORIS BUNEI.

Hìc tandem ſe Patriæ reſtituit
D. MELCHIOR RUBENUS,
Variliarum Comes, Monâlis, & Baſtitæ Dominus.
In ſacrâ Mauritianâ Militiâ
Majorum Inſignium Eqves, & Conſiliarius.
Ab Magno Carolo meritorum æqviſſimo Judice
Ad nobiliſſimum Thomæ Principis obſeqvium delectus,
Qvi ſingularem ejus diligentiam in Cubiculari Miniſterio,
Strenuitatem, in Prætorianæ Cohortis ductu;
Gravitatem, omnibus in actis expertus;
Dignum cenſuit, cui Epheborum Principum ſuorum
Regimen, educationemqve demandaret.
Neqve levius Invictiſſimi Victoris Judicium fuit,
Qvi ejuſdem bellicæ Virtuti
Portuoſam Villefrancæ Arcem commiſit.
Ab Mauritio qvoqve Principe, ad ſupremum Hoſpitii Magiſterium
Totiuſqve Nicienſis Comitatus Gubernaculum evectus,
Domeſticam rem, providentiſſimè; publicam, integerrimè procuravit.
Sic honorificis laboribus emeritum emenſus ævum:
Qvietem ſibi, mœrorem ſuis, memoriam omnibus
Immortalem reliqvit.
Anno ſalutis MDCLVII. Ætatis LXXV.
D. Carolus Mauritius Filius,
Parenti indulgentiſſimo.

Elogium Sepulcrale
# LUDOVICI BUNEI.

Armigeræ Pietatis Imaginem
LUDOVICUM BUNEUM,
Haſtæ Pompejæ Patritium cernis.
Hic, ſuopte ingenio pacatus,
Sed bellifero Seculi Genio Marti addictus,

Unus

Unus ſupra ternas Armatorum Chiliadas,
Tribunitias pro Pedemontium Principe gerens vices,
Tàm Militibus amabilis, qvàm Hoſtibus metuendus,
Summæ ferocitati, ſummam Pietatem conjunxit.
Hinc, Avilianæ Arci, hoſtilibus Caſtris propiori:
Tùm Carmanioliæ, qvò Martis impetus vergebat:
Demùm Patriæ, gemino malo periclitanti,
Inter Martis, Mortisqve terrores,
Præfuit non modo, ſed profuit.
Nam trepidam Urbem, ab hoſtium inſidiis extimè malè tutam,
Peſtifera lue intimè vaſtante:
Urbi ſe Civem, Civibus Patrem approbans;
Dùm omnes adjuvat, ſui oblitus; alienæ vitæ impendit ſuam;
Hæredes reliqvit Pauperum manus.
Novo exemplo ab Hæredibus optatus; plus tamen à Fratre
Melchiore Buneo, Monalis Comite:
Qvi Fratrem, ut poteſt, ſibi reſtituit.
Anno M DC XXXVI.

Elogium Sepulcrale
# ANDESENNI COMITIS.

O impenetrabile Fatorum Penetrale?
(1) ANGELUM FELICEM GABALEONEM,
Felicem planè publicæ ſecuritatis Angelum cernis.
Hunc ingenito ad Juriſprudentiam pellente Genio,
Ævi adhuc acerbum præmatura decoraverat Laurus,
Et illuſtriores Senaculi Exedræ, maturiori parabantur
Sed humanis Decretis contraria Cœli decreta,
Cùm Juvenis manum, ſervando Principi, deſtinaſſent;
Belligeram Virtutem pacatis Artibus hebeſcere noluere,
Magnanimus igitur Muſarum deſertor;
Palladio de Lycéo, ad Martiam (2) Palæſtram repentè migrans,
Ex Legum Doctore, Legionum Ductor,
Ex inermi Juriſperito, (3) Principis Armiger, authoratur,
Nec ſinè Fati proviſu, (4) Scævola natus;
Lævam gladio, dextram calamo exercuit,



Digitized by Google

Ut in utrâque Fortunâ, Principi Ambidexter aſſiſteret.
O Fatorum arcana!
Felix Angelus non erat, ſolam ſi Juriſprudentiam coluiſſet.
Prævideract Numen (5) invictam Principis indolem,
Periculis interritam; imò pericula irritantem.
Itaque dùm frementi (6) Eridano, Regius inſultat Puer è cimbâ,
Profundo repentè gurgite abſorptus, & omnium oculis ereptus,
Novus Phaeton, ſuo in Flumine naufragus,
(7) Veriores lacrymas trementibus elicuiſſet Populis,
Niſi Armigerum ſuum, cæleſtem quaſi Aligerum, habuiſſet.
Hic enim unus undis immerſus, perduelle flagellans Flumen,
Voraci è vortice ſemianimem eripiens Prædam,
Regiæ Regnoque reſtituit.
Multis ab Auguſtâ Parente, multis à Rege Patruo,
Felicis Servatoris fidelitas, (8) muneribus penſata fuit.
Sed continuatis obſequiis, plura ipſe præſtitit quàm acceperat.
Nam intrepidus Peditum Tribunus,
Inſomnis Vercellenſis Arcis Præfectus,
Regius Gallicarum Legionum Maliſchallus:
Omnibus in Belli fluctibus, ut in Eridano,
Immerſabilem teſtatus Fidem:
Ac demùm in ſanguinolentâ Tridini expugnatione,
(9) Ternis ignitarum glandium fulminibus perfoſſus;
Vulnera muneribus cariora,
Ad partæ Pacis ſolatium, conſervavit.
Sed heu Fatis ipſis contraria Fata?
Hic ipſe fulminum & fluminum Victor,
Totieſque ſibi ſuperſtes;
Securis jam rebus, emeritus, dulcique Conjugio Felix,
In ipſo Ætatis Fortunæ Auge, invidâ Mortis falce ſublatus,
Gravem quidem Principi ac Patriæ dolorem attulit;
Sed Victori Amedeo Sarmatoris & Baldicherii Comiti,
Cæteriſque (10) Fratribus,
Inſolabilem conſternationem perpetuò reliquit.

Deceſſit die XXXI. Auguſti.
Anno Ætatis XXXVII. Salutis M DC LX.

1) *Joannis Michaelis, Comitis, & Generalis Peditum Comiſſarii ex Nobilium Carienſium Ordine, Filium.* 2) *In Nobilium Equitum Academia Pariſienſi.* 3) *Caroli Em-*

*li Emmanuelis II. Regii Sabaudiæ Ducis Armiger, ſivè Scutifer.* 4) *Scævolae dicuntur, qvi lævâ tantùm utuntur manu: hic verò ad gladium ſiniſtram, ad calamum dextram exercuit.* 5) *Intrepidam hujus Principis Pueritiam, infinita pericula oſtenderunt.* 6) *Sub Valentinum, ubi profundior Eridanus.* 7) *Nam Phaetontis naufragium Populeas Arbores deflere fabulantur.* 8) *Etiam à Francorum Rege annuos aureos qvadringentos, & Maliſchallatus diploma, muneri accepit.* 9) Gvicenonius *pag. 24. idem narrat; in vulnerum numero fallitur.* 10) *Balthâſari, Andeſenni Comiti; & Joanni Baptiſtae, Priori.*

# SEPULCRALE THESAURORUM SACELLUM.

Foſſanenſi in Urbe, unde Authoris noſtri Progenitores oriundi (nam Poſteriores, ut pleriqve Nobilium Familiarum Traduces, variis è municipiis, in Auguſtotaurinenſem Metropolim, Principis & Magiſtratuum Sedem, retento Gentilitatis Jure, propagarunt;) Sacellum eſt in Divi Franciſci; egregiâ ſtructurâ piè atqve eleganter ornatum, ubi Familiæ Sepulcrum, & Majorum Simulacra ſuis inſignita Titulis Elogiisqve conſpiciuntur; qvorum Elogiorum qvæ Authoris noſtri dolata calamo, ad me pervenere, ſive paginis ſive marmoribus commiſſa, referam. Ut enim Familiam omnem ſuam (qvam inter Foſſani conditrices antiqva numerant Monumenta) ultimus extinctam flevit: ita juſto pro ſolatio, qvos præmaturè tumulavit, in vitam revocare calamo decrevit; ne iniqvior in ſuos, qvàm in exteros, fuiſſe videatur. Ibi ergo ingenio ſuo, ſed primigenii Fratris nomine, marmoream Patris Imaginem hoc Monumento animavit.

## Elogium Sepulcrale ALEXANDRI PATRIS.

Syncerum Patritij Amoris Simulacrum
Avita agnoſce Patria.
Hic eſt
ALEXANDER THESAURUS,
Sarmatoris Comes. Caſtromanni Dominus!
Qvi bellicoſorum, Doctorumqve Progenitorum gloriam
In



Digitized by Google

In Familiâ bipertitam, in ſe uno integravit.
Itaqve, in Magni Caroli Aulâ, Gloriæ Theatro;
Eqveſtrium Virtutum, & Liberalium literarum
Abſolutum Spectaculum præbens:
Bellicâ Virtute, in omnibus ſui Principis expeditionibus;
Sapientiâ in Conſiliis, & difficillimis (1) Legationibus;
Summam Aulæ approbationem, & Principis Gratiam,
Qvotidianis congreſſibus, & Honoribus, teſtatam meruit.
Qvodqve magis mirére:
Inter aureos Aulæ cómpedes tantum ſibi libertatis aſſeruit,
Ut nihil diſcendum ignoraſſe; nihil dicendum ſiluiſſe,
Sit viſus.
Itaqve inter tot Cenſores, ſine Cenſurâ;
Cùm florentiorem ævi partem, Gloriæ ac Principi dediſſet:
Deniqve à curis ut vacaret, Curiâ vacans;
Bellicæ Virtutis, & Ingenii laude, in (2) Filios iterum diviſâ,
Qvos partìm Marti, partìm Minervæ conſecravit;
Maturiores Annos tibi, ſibiqve ſepoſuit.
Deſiit Anno ſalutis MDCXXI. Ætatis LXIII.
At ne Fama deſinat, hoc Monumentum Morti objicit
Philibertus Filius Primigenius, Sarmatoris Comes.

1) *Ad Italiæ Principes, & ad componendam Mutinenſis Ducis, & Ferrarienſium Piorum, de Saxolii Statu controverſiam.* 2) *Philibertum Comitem Magni Caroli Sabaudiae Ducis Eqvitem Cubicularem. Ludovicum Præſidem doctiſſimum. Carolum Antonium olim Abbatem Mulegii, Jure utroqve inſignem, poſtea in Societate Jeſu, Apoſtolicae Pœnitentiariae Oraculum. Laurentium Eqvitem Commendatarium, Principis Scutiferum, in Monferratenſi bello ad Granam occiſum. Et Emmanuelem Authorem noſtrum, qvi Maſculorum Fratrum, ſine Sororis ullius interjectu, Septimus ortus eſt, qvod felici omine carere non putant.*

## Elogium Sepulcrale
# MATRIS.

(1) MARGARITHÆ THESAURIÆ
Cortanſerii Dominæ,
Alexandri Sarmatoris Comitis Unicæ Uxori.
Splendore Generis, Formæ gratiâ, Candore Animi,
Veræ inter Matronas Margaritæ,

Mul-

Digitized by Google

Multiplici etiam Sobolis Fœcunditate,
Margaritis, qvæ unicam pariunt, feliciori.
Philibertus Filius, Matri benemeritæ,
Extremum hoc Officium religioſiſſimè exſolvit.

1) *Aloyſii Mulatii Aſtenſis Patritii, & Magdalenæ Scarampa, De Camino: Cortanſerii Dominorum Filiae, atqve Hæredi.*

Elogium Sepulcrale

# FRATRIÆ SUÆ.

Oh inſyncera Hominum gaudia:
JOANNA THESAURIA,
Joannis Balbi Varnoni Comitis, & Mariæ Coſtæ,
Clariſſimo utrinqve Genere nata:
Cum Specie atqve decóre, Unica Seculi ſui Phœnix vocaretur,
Obitum Phœnici ſimilem experta;
Perit dùm (1) Unicam parit;
In ſimili rediviva;
Philibertus Theſaurus, Sarmatoris Comes,
Inter amiſſæ dolorem, & Natæ gaudium diviſus;
Conjugi ſvaviſſimæ
Ponit.

1) *Joannam, Mombaſilii Marchioni Nuptam: nomine, ut ſpecie, Matri ſimilem.*

Elogium Sepulcrale

# ANTONINI THESAURI,

Avi Sui.

SArmatoris Domini; eodem in Sacello legitur infrà marmoreum ipſius Simulacrum: qvi antè Sacri Senatus Pedemontani exordia, jam (1) Senator: & ex (2) Primario Senatore deinde Præſes; *Pedemontanas Deciſiones;* hoc eſt, ſubtiliores Senatus Diſputationes, atqve Oracula elucidavit; ſeptuagenario major mortuus. Sed qvoniam Elogium, ſanè illuſtre, non de Authoris Noſtri, ſed alterius ingenio fluxit; hic non immiſceo.

1) Ex

Digitized by Google

1) *Ex Emmanuelis Philiberti Ducis Diplomate, ſub 28. Aprilis, 1555. Bruxellis.*
2) *Ex ejuſdem Ducis Diplomate, ſub 26. Septembris, 1577.*

Elogium Sepulcrale
# AVIÆ SUÆ.

DOROTHEA THESAURIA.
Paterno Stipite, Illuſtrium de Capris Heroum Proles:
Materno, ex Meſſerani (1) Principibus,
Quinque Cardinalium Neptis
Antonini Theſauri Præſidis Unica Uxor,
Cum in Virtutum omnium Speculum formata eſſet;
Ut Matronarum oculis diutiùs obverſaretur:
Integrum ferè Seculum vixit:
Moreſque mutari ſæpè vidit, ſemper eadem.

1) *Ex inclyta Ferreriorum Stirpe.*

Elogium Sepulcrale
# PATRUI SUI.

GASPARI ANTONIO THESAURO,
Antonini Præſidis Filio,
Pedemontani Senatus Oraculo.
Qvi Sapientiam expeditiùs ut ſequeretur,
A Conjugio Liber;
Filiorum Amore in Fratris Filios translato;
Ut Sapientiæ quoque Amorum in Eoſdem transferret;
Antiquioribus ex Familiâ Doctoribus
Taurinenſe Domicilium, & annuos mille Coronatos,
Perpetuum Virtutis calcar applicuit.
Emmanuel Theſaurus, Septimus ex Fratre Nepos,
Monumentum hoc,
Qvod non poſuit Hæres, Exhæres Ponit.
Qvanqvam dignius, diuturniuſqve Monumentum
Suis ſibi in (1) Voluminibus ipſe conſtruxerit.

1) *Qvæſtionum forenſium. Additionum ad Deciſiones. De Monetis.*

Elo-

Elogium Sepulcrale

# ALTERIUS PATRUI.

MARCUS ANTONIUS THESAURUS
Antonini Filius.
In (1) primævâ Mauritiani Commilitii erectione,
Ab Emmanuele Philiberto, adhuc impúber,
(2) Nobilitatis Virtutiſqve commendatione conſcriptus Eqves,
Cùm in Belgicâ Martis Scholâ eruditus,
Liberæ Centuriæ Præfecturam pro Tyrocinio geſſiſſet:
In Provinciali Bello,
Dum Berræ Arcem, Victoriæ Narbonenſis reſiduum,
Principi ſuſtinet, pro Principe cadit.

1) *Ex Diplomate ſub die 10. Novemb. 1578. Cùm nuper Ordinis & Militiæ SS. Mauritii & Lazari inſtaurationi incumberemus, &c. aliqvot Nobiles, qvi oblatis precibus hoc à nobis petierunt, &c. aggregandos eſſe cenſuimus. Inter qvos cum te, licet annum duodecimum adhuc agentem, &c.* 2) *Cumqve ex nobili Genere natus ſis, tibiqve adeò laudabilia puerilis ætatis tuae inditia, &c.*

Elogium Sepulcrale

# AMITÆ SUÆ.

MARGARITA A SABAUDIA,
Antonini Theſauri Filia.
Formâ ſuprà Matronas, (1) Doctrinâ ultrà Sexum:
Vera videri poterat Minerva, niſi nupſiſſet,
Nam Magno Carolo, optimo æſtimatori,
Viſa eſt Virago,
Qvæ (2) Philiberto Emmanueli à Sabaudiâ,
Collegii Comiti Nupta, Heróas páreret.
Sed heu magnis Ingeniis íniqva ſemper Fortuna!
Vix Nupta, jam Vidua:
Cùm paulò poſt Conjugem, Philippum qvoqve (3) Filium,
A Philippo Sabaudo Achayæ Principe, eo (4) Tramite Poſtremum.
Heroicæ ſpei Pupillum, tumulaſſet:
Nullâ poſtindè Fortunæ illecebrâ ab primis abducta Votis;
Sui Nominis memor, Unius Unica Margarita;
Conſtantiſſimè ſervavit.

Hh Con-

Conſtantiſſimè ſervavit.
Sed fœmineo ejulatu de virili pectore ſecluſo;
Librorum amore Liberorum amorem compenſante,
Viduitatem ſimul, & Orbitatem prolixam,
Non lugendo, ſed legendo ſuſtinuit;
Donec noto recepta Cœlo, Utriqvè ſeſe reſtituit.

1) *Extant ejus Scripta* De Cælo & Deo, *& ingenioſa Carmina : qvi Fœminarum Nobilium eruditi ejus Seculi genius fuit.* 2) *De illuſtri hoc Connubio ſcribit* Gvicenonius *Regius Hiſtoriographus, in Genealogiâ Sabaudorum Principum pag. 1128.* 3) *Errat* Gvicenonius *qvi nullam Margaritæ attribuit Prolem: hujus enim Philippi deceſſu, antiqviſſimus Collegii Comitatus, ab illo Philippi Achayci Tramite, ad Patrimonium rediit.* 4) *De hoc Tramite Philippi Achayci, Pedemontium Principis, ſcribit ibidem* Gvicenonius, *&* Pingonius *in Arbore.*

## Elogium Sepulcrale
# ANTONII THESAURI,

QVi Authoris noſtri Proavus, Antonini Pater, Sarmatoris Dominus, (1) Eqves Cæſareus, Ducalis Conſiliarius, & (2) Senator: omnium (3) Doctrinarum peritiſſimus; præclarâ in (4) Legatione mortuus eſt; Elogium Sepulcrale, qvamvis ſub marmoreo ipſius Simulacro, in eodem Larario legatur exculptum; quia tamen Authoris noſtri Calamum non ſenſit, non inſero.

1) *Caroli Quinti Imperatoris manu creatus Eques Auratus, multisqve honeſtamentis, ac privilegiis decoratus, Burgis: ut ex Diplomate ibidem dato, ſub viceſimaqvarta Maji, 1524.* 2) *Creatus à Duce Carolo Bono, Niciae: ultimâ Septembris 1538. & confirmatus ab Emmanuele Philiberto: die decimatertiâ Junii 1558.* 3) *Extant ejus Scripta, Legalium, Philoſophalium, Sacrorumqve Acroamatum.* 4) *Ab Emmanuele Philiberto ad Rudolphum & Matthiam Auſtriacos Principes Delegatus: ipsâ in Legatione obiit, octogenario major, anno 1564.*

## Elogium Sepulcrale
# TRIUM PROAVIARUM,
## Antonii Conjugum.

Tres hæ Matronæ, à Scalptore in lapides verſæ,

Te,

Digitized by Google

Te, ſi viverent, in Lapidem verterent.
Tres Phorci Filias crede,
Qvarum ſpectata pulcritudo, Saxeos fecit Spectatores.
Antonii Senatoris, & Sarmatoris Domini,
Tergeminæ fuere Conjuges.
(1) MARGARITA,
Illuſtris Sordanellorum Familiæ poſtrema Hæres.
(2) MARIA,
Antonii Provanæ, Druentii Comitis:
(3) POLYXENA,
Antonii Coſtæ Polongheriæ Comitis, Filia.
Unius Theſauri Triplex Theſaurus.
Tantâ omnes Animi, & Formæ pulcritudine,
Ut cùm inter ſe tantùm contenderent, neutra vinceretur.
Tres Charites fuiſſe diceres, ſi convixiſſent.
Sed Unum amare non poterant, niſi diviſim.
Itaqvè, alterius amores altera excepit:
Et longum Unius ævum ſibi ſine lite diviſêre.
Tria ergo ingentia Viri gaudia dixeris:
Totidemque ingentes dolores,
Nam Tumulos Thalamis æquante Parcâ,
Duas deflevit, à Tertia defletus,
Æqvali dolore, ſivè relinqveretur, ſive relinqveret.
O qvanta infelicitas, ter nupſiſſe.
Sed Parcarum invidiam penſavit Uxorum Virtus:
Qvarum ſimilitudo præſtitit, ne altera optaretur.
Imo alteram in alterâ revixiſſe putes;
Et Uxores Tres, Unicam fuiſſe Tricorporem,
Ter uni nuptam
Novum miraculum, in numero Singularitas.
At miraculum majus,
Qvòd in Empyreo, ubi Connubia confarreantur,
Uxores unà Omnes Vir invénit.
Et omnes Uni, æternùm ſine rixa convivunt.
O qvanta felicitas ter nupſiſſe!

1) *Obiit anno 1526.* 2) *Obiit anno 1532.* 3) *Obiit anno 1575. Viro ſuperſtes.*

## Elogium Sepulcrale
# MAGNI PATRUI SUI.

JUVENALIS THESAURUS
Antonii Frater, & alter ipſe:
Utrâqve Juris Laureâ floruit;
Tantâ apud Suos & Exteros æſtimatione Ingenii,
Ut Carolus II. (1) Ducalium Jurium Propugnatorem elegerit.
Et Carolus V. Imperator,
(2) Ad Palatinum Comitatum Eqvitatumqve provexerit.
Et Gentilitiis ejus Inſignibus
(3) Cæſaream Aqvilam, ſublimis Ingenii Teſtem, inſeruerit.
Atqve ut Laurea Laureas progerminaret;
Ampliſſimo (4) Diplomate conceſſit,
Ut ſeri etiam Nepotes, Juriſprudentiæ Laureâ donati,
Aulæ ſtatìm Cæſareæ,
Et Imperialis Conſiſtorii Comites habeantur:
Judices conſtituere, Notarios creare, Natalibus ſupplere,
Aliaqve Regalia exercere, ſuapte authoritate poſſint.
Tantus in Auguſtiſſimo Cæſare Sapientum amor:
Et æternandæ Sapientiæ in Theſaurorum Familiâ
Studium fuit.

1) *Ex Diplomate Caroli Boni, dato Vercellis, Anno 1539.* 2) *Ex Diplomate, dato Burgis, die 24. Maji, 1524.* 3) *Ex eodem Diplomate.* 4) *Ibid. Obiit Anno 1545.*

## Elogium Sepulcrale
# ABAVI SUI.

O qvi egregiam Familiam regis!
Ut pacatè regas
FRANCISCHINUS THESAURUS
Foſſanenſis Patritius,
Hoc è Monumento, nobile Monimentum præbet.
Hic avitis opibus locuples; ſed ſeptenâ ditior Prole:
Cùm ex antiqva Theſauriæ Familiæ (1) Teſſerâ

BEL-

Digitized by Google

BELLO, & PACI;
Alios Belligeræ, alios Pacatæ Palladi, Liberos devoviſſet:
Ut qvisqve Fortunæ ſuæ faber eſſet,
Ratas ſingulis Fortunas, vivens vigensqve, (2) diviſit.
Itaqve bonus æqvuſqve Bonorum Diribitor,
Filios ſibi omnes Amore mancipavit, emancipando:
Et Unionem, dividendo, conſervavit.
Felix Familia; Septemplex & Unica:
Inexpugnabili Hydreſcens robore.
Nam dùm ſinguli per diverſos calles ad Gloriam contendunt;
Nec Fratris felicitatem fraternus ſupplantat livor:
Irrupta ſeptem Fratres Concordia fovebat, qvæ rarò (3) duos.
Septies igitur Pater, de nullius Liberi inobſeqvelâ:
Septies Sócer, de nullâ Nuruum pervicaciâ:
Nec ulla Nurus, de vivaci Soceri Senectâ conqverebatur.
Itaqve dum omnia fermè Reipublicæ Negotia canus ſuſtinet Pater:
Et (4) Liberorum, alii bellicas Adoreas:
Alii Juriſprudentiæ, alii Philoſophiæ Laureas, referunt:
Et unâ ex Domo omnia Patriæ præſidia petuntur:
Septies felix Genitor,
Tot Filiorum Coronas dùm ſuo colligit ſinu,
Mortis felicitatem (5) Diagoræ non invídit.

1) *Antiqvum Galeæ geſtamen in hac Familiâ*, Pallas, *cum Inſcriptione* BELLO ET PACI. 2) *Ex Inſtrumento Diviſionis & Donationis inter vivos, ſub die 16. Junii 1515.* 3) *Rara eſt Concordia Fratrum.* 4) *Franciſchini Filii Michael, Columellus. Villelmus Jureconſultus. Juvenalis, Comes Palatinus. Antonius, Senator. Joannes, in Belgio Peditum Ductor. Petrus & Stephanus ſtrenuisſimi Patriæ propugnatores, ſed ultimus pro Principe in acie occiſus.* 5) *Diagoras ſenio gravis, cum uno die trium Filiorum, qvi in ludis vicerant, Coronas gremio accepiſſet, ex ingenti lætitiâ expiravit.*

Elogium Sepulcrale
# DUUM MAJORUM.

Gemina hæc, uno è marmore, Simulacra,
Sejungi non poterant.
Ille eſt celeber Jureconſultus



Digitized by Google

UBERTINUS THESAURUS,
Foſſanenſis Patriæ (1) Ordinator.
Qvi (2) Legali Dialecticâ perſpicaciſſimo ingenio conſcriptâ
Juſtitiæ, qvæ cœca pingebatur, aperuit oculos.
Hic eſt ſtrenuus Bellator
BARTHOLOMÆUS UBERTINI FILIUS,
Qvi à Philiberto Pulcro Sabaudiæ Duce,
Ad Inſubricam Ludovici Regis expeditionem,
Vix Ephébus, Veteranos inter Centuriones, (3) electus,
De Mauri (4) perfidiâ, Sabaudam Némeſim recreavit,
Scitè igitur ingenioſus Scalptor,
Cognatos Vultus cognato incidens lapidi,
Juriſprudentiæ Strenuitatem; Strenuitati Juriſprudentiam ſociavit,
Qvid enim Juſtitia ſine Fortitudine, niſi Virtus ſine Vi?
Qvid Fortitudo ſine Juſtitiâ, niſi Vis ſine Virtute?
Illa Lictorum, hæc Latronum,
Ut ergo (5) Palma Palmæ;
Sic Docta Laurus, bellicæ lauro contigua,
Ad ornandam Patriam, feliciùs gliſcit.
Hinc geminis ex Imaginibus,
Unam Optimi Civis Imaginem Sculptor fecit;

1) *Ex Statutorum Foſſani libro, Collat. 10. de mandato Ducis Caroli Boni. Anno 1511. cui regimen illius Patriae confuſum videbatur.* 2) *Ex Deciſ. Pedemont. praf. num. 44.* 3) *Ex Philiberti Diplomate, ſub 10. Octob. Anno 1499.* 4) *Nam Ludovicus Maurus Bonnam Sabaudam Tutélâ, Pupillum vitâ ſpoliarat: ut ſuperius, pag. 177.* 5) *Palma ſociata fertiliores. Plin. lib. 13. cap. 4.*

Elogium Sepulcrale
# UBERTINI JUNIORIS.

Detur hoc Monumentum
JUNIORI UBERTINO THESAURO!
Qvi Bartholomæi Bellatoris Filius,
Ubertini Juriſconſulti Nepos;
Jus faſqve, & perſpicuè intueri, & fortiter tueri,
Ab utroqve condidicit.
Neqve Virtuti defuit Occaſio.

Nam

Digitized by Google

Nam Subalpinâ omni, ferèqve omni Ciſalpinâ,
Carolo Bono ab Gallis (1) occupatâ;
Cum ferreis Civitates, aureis Cives machinis quaterentur,
Multiqve jam, deſperato Principis infortunio,
Victricis Fortunæ Numen adorarent.
Hic ingenuo inſtinctu, ingenitum ſibi Votum ſtatuit,
*Servire Principi, ſervare Patriam.*
Atqve cùm à Gallo ſervari Oppida non poſſent, ſine Aquilæ ope;
Æqvali periculo, ne ille raperet, hæc retineret:
Hic gladio atqve conſilio, intrepidè adlaboravit,
Ut ab oppugnatorum gladiis, ac propugnatorum conſiliis,
Uni ſe Principi ſecuram Patria ſuſtineret.
Ingenti Ubertini merito, Patriæ gloriâ, Principis (2) gratulatione:
Qvi ſub Mœnibus Sanqvintivèis partâ Orbi Pace,
Cùm duas res maximè inexpugnabiles redux reperiſſet,
Foſſani Oppidum, & (3) Ubertini Animum;
Utrumqve, uno tempore, ſingulari honeſtamento muneravit.
Nam (4) Oppido ipſo Civitatum prærogativâ decorato;
Civitatis Inſignibus, Sabaudæ Domus Inſignia interſeruit,
Addito FIDELITATIS Elogio.
Et Ubertini STRENUAM FIDELITATEM
In Patria ſuſtinenda, æternis literis (5) teſtatus;
Patriam ipſam, qvam pro tempore defenderat,
Militari ejus (6) Præfecturæ perpetuò conſignavit.
Neqve hic ſubſtitere
Ubertini merita, & Principis beneficia.

1) *Anno 1536. Galli Sabaudiam & Pedemontium imparatum invadunt.* 2) *Ex infraſcripto Principis Diplomate.* 3) *Anno ipſo 1559. qvo Emmanuel Philibertus, Victor Ditionem recuperavit, Ubertini hujus merita teſtatur Diplomate dato Niciæ ſub 22. Novembr. 1559.* 4) *Anno 1566. die 20. Febr. Foſſani Civitas novo donatur Stemmate cum Inſcriptione,* FIDELITATIS INSIGNIA. 5) *Eodem anno, die 4. Maji, idem Dux ſuo Diplomate teſtatur de* FIDELITATE, VIGILANTIA, STRE-nuitate *Ubertini in Foſſanenſi oppido tuendo, & militaribus experimentis, ſuo, & Caroli Boni tempore.* 6) *Eodem Diplomate Foſſanenſis Civitatis Militarem Præfecturam eidem committit, cum Arce, & Præſidio.*

Elo-

## Elogium Sepulcrale

# BARTHOLOMÆI JUNIORIS.

Vides Juvenile hoc ſimulacrum
Senili Ubertini Junioris ſimulacro
Forma & ferocia cognatum?
Hic eſt ab eo ſatus
BARTHOLOMÆUS THESAURUS,
Qvem ſcalpellum Patri ſimilem fecit, Gladius ſimiliorem.
Securis enim ab Gallo rebus, non ab Galliâ,
Qvæ peſtiferâ (1) Hugonotorum colluvie bulliebat:
Cùm Monſtrifera illa Hydra,
(2) Lemano innutrita lacu, ex Alpium ſe Clauſtris erupiſſet:
Everſa in Principem Fide, Chriſti Fidem everſura;
Taurinenſi Regiæ, qvæ Calviniſtarum ſcopus erat, & ſcopulus,
Vicina jam (3) Oppida proſerpente viru contaminarat.
Itaqve trepidante Italiâ, providiſſimus Princeps,
Ut Carii, & Villæfrancæ Arces
Gemina tunc Taurini Propugnacula cis citràqve Padum,
Infectis Oppidis oppoſita, in tuto poneret;
Illam (4) Ubertino Patri, hanc Bartholomæo Filio
Bellicis in rebus jam exercito, commendavit.
Itaqve, dùm Sabaudus Alcides,
Contra fœcunda Excetræ Capita ferro ac face depugnat:
Dumqve tria Præſidia, Foſſanum, Carium, Villamfrancam,
Incorrupta iſti fide, ne corruptela ſerpat, gubernant;
Venenifera Hæreſis,
Afflandæ Auguſtæ Urbis omni ſpe deſperata,
Venenum ipſa ſuum reſorbuit.
Miro Patriæ plauſu, Italiæ ſecuritate, Principis fructu;
Qvi poſt Ubertini obitum,
Paternas (5) Præfecturas Filio continuavit, honores auxit.

1) *Poſt Germaniam à Luthero: Gallia à Calvino ſus deqve verſa eſt: & utraqve Gebennenſis, Bernenſes, & Angronianos contra Subalpinos fovebat.* 2) *Gebenna Hugonotorum Metropolis, Calvini primùm, deinde Bezæ ſedes.* 3) *Præter Marchiam Salutianam & Carmanioliam: alia loca proximiora ille morbus infecerat.* 4) *Ex Diplomate Emmanuelis Philiberti ſub 26. Maji 1570. cum Elogio* FIDELITATIS, PRUDENTIÆ, STRENUITATIS. 5) *Ex literis ejus Ducis ſub anno 1578.*

Elo-

Digitized by Google

## Elogium Sepulcrale
# TRITAVI SUI.

Pacata, & tranqvilla hæc Imago,
Paciferum Caduceatorem oſtendit
VILLELMUM THESAURUM,
Joannis Antonii Armigeri F. Juris interpretem.
Nimirum Ardelionii Delatores,
Exoſum ſemper Genus, & acceptum;
Intaminatum Foſſanenſium candorem contaminare niſi,
De violentiâ in Armatos, & de violato Principis Jure
Apud (1) Ludovicum Sabaudiæ Ducem acriter inſimularant.
Cumqve jam Scribarum pennæ,
Indignationis (2) Inebræ volitarent:
Hic, cum Patriæ Oratoribus, ad Principem imberbis (3) Delegatus;
Gnarus ut iratorum Regum pertractandi ſint Animi,
Qvi decipi faciles, decepti videri nèvolunt:
Non (4) Tribunal, ſed Aſylum:
Non Patronus, ſed Pacator acceſſit.
Itaqve, Reos Cives non confeſſus, ſed ſupplices:
Et ſalvâ illorum innocentiâ, clementiam interpellans;
Civium integritatem, Ducisqve authoritatem ità ſuſtinuit,
Ut damnare qvos non poterat, abſolviſſe Princeps videretur.
Hac arte, cùm bonam Civium Cauſam,
Irato opertam, placato apertam ſubinde oſtendiſſet.
Amantiſſimus Dux, Amantiſſimis Civibus
Fidelitatis (5) laudes pro Cenſurâ eſſe voluit;
Pluraqve conceſſit qvam uſurpaſſe culparentur,
Summa Caduceatoris laude;
Qvi ſingulari experimento docuit.
*(6) Amantium iras, Amoris eſſe coagmenta.*

1) *Ex actis ſub anno 1459. in libro Statutorum.* 2) *Inebræ Aves infauſtæ in Auguriis.* 3) *In iisdem actis.* 4) *Hæc concio habetur in eisdem actis expreſſa.* 5) *In eodem Inſtrumento.* 6) *Ex Terent. in Handviâ.*



Digitized by Google

## Elogium Sepulcrale
# PETRI THESAURI,
## qvi Tritavi Abavus fuit.

Æviternæ Memoriæ
PETRI THESAURI FOSSANENSIS.
Qvi qvo (1) tempore
Ex nimia Cæſarum imbecillitate,
Nimia Regulorum potentia
Populos omnes Ciſalpinos populabatur;
Et meliora Præſidia, majoribus inſidiis obnoxia,
Multos inter Principes, Principem non haberent.
Nutante Patriâ cui ſe Principi déderet.
Hic, ut invictisſimum juxtà & ſvaviſſimum
Sabaudorum Principum Dominatum cæteris anteferret,
Providenti (2) conſilio egit:
Prudenti legatione (3) perégit.
Exindè, reciproco fructu,
Theſauros Sabaudi ſemper fidos:
Sabaudos Theſauri ſemper beneficos,
Sunt experti.

1) *Anno 1314. altero poſt deceſſum Henrici VII. vacante Imperio.* 2) *Jo. Niger. de Origine Foſſani, lib. 3. cap. 3. Deciſion. Pedem. Praf. num. 44.* 3) *Ex Inſtrumento cum Philippo Sabaudo Achayá Principe ſub eo anno 1314. Sed Petri Legatio fuit ad Amedeum IV. Sab. Comitem, cum qvo Philippus convenerat, ut in Deciſ. eo num. 44. & ex antiqvis monumentis.*

HÆc ab Authore noſtro in ſuorum memoriam jam compoſita exſcripſi. Reliqva inſignium Majorum (qvos Antoninus Præſes, accurato in Familiæ ſtemmate deſcripſit) ac præterea celebrium Fratrum, & Adoleſcentulorum Nepotum, qvos Marti jam initiatos Mors præripuit, nondum habui. Nunc opportuno pro colophone ſubjiciam vulgatisſimum Tetraſtichon, qvo Cæſar Mallianus Foſſanenſis Canonicus, in eundem Authorem, Familiæ poſtremum Marem, ad allevandam invidiam Fati, eſt argutatus.

*Clara tot ingeniis, tantâ Domus inclyta Stirpe,*
*Omnis in hoc unum deſinit Ingenium.*
*Cur ſteterint hic Fata rogas? ſua perlege, dices;*
*Ingenium majus gignere non poterant.*

Digitized by Google

# RERUM LOCORUMQVE INSCRIPTIONES, ET MONIMENTA.

## PUBLICA MONIMENTA.

*Monimentum Pilæ inciſum*
*Tertio ab Urbe lapide, ob Principis infortunium.*

Lege Viator,
Et qvid uſpiam ſecutum ſit, diſce.
Anno MDCLXIII. Die xv. Septembris,
Dum ſylvoſa per hæc avia ab ſuis devius
Carolus Emmanuel II. Sabaudiæ Dux,
Otium ut fugiat, Cervum ſeqvitur:
Triceſimo abhinc paſſu, Duriam verſus,
Abſtruſam in Voraginem, fallacibus contectam dumis,
Præcipiti lapſu cum Eqvo proruit,
Aqvis demerſus, & cæmentitio incluſus cuniculo,
Qvi ſublabentem rivum in Duriam devolvit;
Genibus reptans, ſimulqve reptantem Eqvum trahens,
Cœco è gurguſtio, rapidum in Flumen illabitur:
Et ſemper ſibi conſtans, ſemper impavidus,
Gemino ex naufragio emergit incolumis.
Hic ergo, inter luctum & gaudium perplexa Mater
Chriſtiana à Francia,



Digitized by Google

Clementiſſimæ Chriſti Matri Torqvatorum Numini;
Sančto Euſtáchio Venatorum Auſpici;
Et Beato Amedeo Regiæ Domus Patrono,
Cariſſimi Filii ſalutem referens,
Temporarium hoc documentum, digniori prævium
Erigi juſſit.

## *Mutui Amoris Monimentum.*

*Amisſione prima Conjugis afflictisſimus idem Carolus: cùm ad Virginis Deiparæ pedes communem ſibi Tumulum elegiſſet, utramqve Imaginem ſculpi voluit; & anticipatæ hujus Inſcriptionis argumentum dedit.*

Contra Mortis Falcem qvid valeant Amoris Faces,
Mutuus hic lapis docet, ubi mutuus flagrat Cinis.
Franciſcam à Francia de Caroli Emmanuelis ſinu
Inexorabilis avulſit Mors: eo crudelior,
Qvòd Florum pulcerrimum in ipſo Vitæ flore demeſſuit.
Imò nocendo parca, parcendo nocens:
Vivo dimidium rapuit: Mortuæ dimidium reliqvit.
Ut nec tota moriens Uxor; nec Vir totus vivens;
Utroqve ſuperſtite, neuter viveret.
Sed irreparabilem Mortis perfidiam, vivus reparavit Amor.
Illa è Thalamo Tumulum: hic è Tumulo Thalamum fecit.
Nam junctis utriusqve Cineribus, ut Amoribus;
Conjugium poſt Fata integravit.
Donec Cineres Cœloi Animi Cineribus redditi,
Æternùm ament, & amentur.
Diſcite Mortales: Omnia Mors rapit, præter Amorem.
Sperate Amantes: nihil vitaliùs Amori, qvàm Mori.

## *Monimentum Genuæ inciſum.*

JACOBO PHILIPPO DURATIO
Genuenſi Patritio,
Qvòd Opum, & Operum ſplendore perinde clarus,
Ut Fortunas ſuas extrà Fortunam poneret,

In

In Pauperum abdidit ſinu:
Semperqve affluentibus, & effluentibus copiis;
Sibi frugalis, illis frúgifer;
Humanæ ſortis inæqvalitatem,
Chriſtianâ munificentiâ peræqvavit.
Qvòd ingenuæ Nobilitatis inſtinctu,
Occultam ingenuorum inopiam, occultâ ſublevans manu,
Verecundas preces furtivâ liberalitate ſic anticipavit,
Ut beneficium illi agnoſcerent, non beneficum.
Qvòd ultimus tabulis, pium hoc Pauperum Aſylum
Legato ingenti ære locupletavit:
Et hereditati luculentiſſimæ, ſi qvando Filii deficerent,
Inopes hoſce Alumnos, poſthumam veluti Familiam, ſuffecit.
Qvòd poſtremos deniqve inter ſingultus,
Pari affectu, Deo Spiritum,
Senatui Sereniſſimo Pauperes commendans,
Expirare non eſt ſibi viſus, qvandiu iſti reſpirarent.
Tot igitur ob promerita, eviſceratamqve Charitatem;
Magiſtratus, & hujuſce Pii Domicilii Adminiſtratores,
Vero Pauperum Patri;
Cùm majus, aut melius donare nihil poſſint;
Ipſum ipſi, ſuâ in effigie redivivum, donant:
Qvem Divites imitentur; Avari erubeſcant;
Pauperes venerentur:
Proqve illo, qvem nunqvam fruſtrà rogavere, perpetuò rogent.
Anno Redemptæ Salutis
M DC LIX.

*Monimentum Valentini Suburbani.*

HIC UBI FLUVIORUM REX
FEROCITATE DEPOSITA PLACIDE QVIESCIT.
CHRISTIANA A FRANCIA,
SABAUDIÆ DUCISSA, CYPRI REGINA,
TRANQVILLUM HOC SUUM DELICIUM
REGALIBUS FILIORUM OCIIS
DEDICAVIT.
ANNO PACATO MDCLX.



Digitized by Google

*Hortorum Raconiſiorum*
*Inſcriptio exterior.*

DIGNIOREM HANC ÆDIUM FORMAM
QVAM THOMAS PRINCEPS A SABAUDIA,
BELLIS IMPLICITUS, ANIMO TANTUM CONCEPERAT;
EMMANUEL PHILIBERTUS AMEDEUS,
PATERNI PRINCIPATUS, ATQVE ANIMI SUCCESSOR,
TRANQVILLIORE TEMPESTATE PERFECIT.

*Inſcriptio interior.*

HÆC AMOENITAS
DELICIAS ALIT, NON DESIDIAS.
NAM MAXIME OPEROSUS CUM OTIOSUS
PHILIBERTUS PRINCEPS,
JUCUNDA SOLICITUDINE,
HÆC OTIA PARANS, OTIUM FUGIT.

*Monumentum Portus Nicienſis.*

MAGNO CAROLO SABAUDIÆ DUCI,
ET VICTORI AMEDEO INVICTISSIMO FILIO.
QVOD IMMENSA REGALIUM ANIMORUM
AMPLITUDINE,
NON SUOS TANTUM POPULOS,
SED UNIVERSUM TERRARUM ORBEM COMPLEXI.
NATIONES OMNES
GRATUITA PORTUOSI LITORIS IMMUNITATE,
MAGNIS AUCTA COMMODIS, RECIPI VOLUERUNT.
ÆTERNUM GRATI ANIMI MONIMENTUM,
AB OMNIBUS UBIQVE POPULIS DEBITUM,
NICIA FIDELIS COLLOCAVIT.
ANNO MDCXXVIII.

*Verrucanæ Molitionis Inſcriptio.*

HÆC EST ILLA EXIGUA SED CELEBERRIMA

VER-

Digitized by Google

VERRUCA,
QVAM PRIMUS CAROLUS EMMANUEL
IMMUNITAM FORTISSIME DEFENDIT,
CAROLUS EMMANUEL SECUNDUS,
UT IPSA SE DEFENDAT, COMMUNIVIT.

## *Xenodochii Charitatis Monimentum.*

CHARITATIS HOSPITIUM
NE SINE CERTO HOSPITIO DIUTIUS (1) VAGETUR,
AUGUSTA TAURINORUM
ÆTERNO HOC SISTIT LAPIDE.
QVEM PRIMOREM CHRISTIANA A FRANCIA,
PRINCIPIS, ET PAUPERUM AUGUSTA PARENS,
SACRIS FUNDAMINIBUS INJICIT.
INDUBIO MANSURI OPERIS AUGURIO;
QVOD IISDEM MANIBUS JACITUR,
QVIBUS FELICITATIS PUBLICÆ FUNDAMENTA
SUNT JACTA.
ANNO MDCXLVII.

1) *Per multos annos, locatis ſedibus uſum fuerat.*

## *Monimentum Palatii Theſaurorum In Comitatu Sarmatoris.*

VICTOR AMEDEUS (1) DUX INVICTISSIMUS,
CUM CHRISTIANA A FRANCIA CONJUGE;
POSTQVAM ORBEM TVRBIDISSIMUM
TRANQVILLA (2) PACE SERENAVIT,
OBSCURUM HOC ETIAM DOMICILIUM
SERENISSIMO ADSPECTU ILLUSTRAVIT.
DIE XXVII. JUNII, ANNO MDCXXXI.

1) *Nondum aſſumſerat Regium Titulum.* 2) *Revertebatur ex Claraſcenſi congreſſu, Pacis Author.*

*Mino-*

*Minoritarum Fratrum Monimentum Benefactori poſitum.*

JULIUS CÆSAR GERBALDUS.
CIVIS TAURINENSIS, CENTALLO ORIUNDUS.
REGIÆ CELSITUDINIS ORDINARIUS,
REGIÆQVE COMPUTORUM CAMERÆ PRIMARIUS
A SECRETIS.
SECRETA LICET PIETATE,
NULLA SUI NOMINIS INSCRIPTIONE
PRÆCLARUM HOC TEMPLUM
SACRÆ MINORITARUM FAMILIÆ DONARIT.
GRATI TAMEN FRATRES, NE INGRATO SILENTIO
SURRIPUISSE POTIUS QVAM ACCEPISSE
MEMORABILE MUNUS VIDEANTUR;
LOQVENTEM HUNC LAPIDEM,
GRATISSIMORUM TESTEM ANIMORUM,
CONSTITUUNT.
ANNO MDCLXIV.

*Majoris Aræ Minimorum Taurini.*

SANCTO FRANCISCO DE PAULA,
CHRISTIANA A FRANCIA,
QVOD PRO SE, REGIAQVE PROLE,
SÆPE INVOCATUS, SEMPER AFFUIT,
ÆTERNUM SACRAT.

*Sacerdotum Congregatio, ad cultum Templi Auguſtiſſimi Corporis, Taurini.*

AUGUSTA TAURINORUM,
UT SEMPITERNAM
DIVINI MIRACULI MEMORIAM FUNDARET,
TEMPLUM EREXIT.

UT

Digitized by Google

UT TEMPLI RELIGIONEM ALTIUS ERIGERET,
SACERDOTUM SECULARIUM SANCTISS. SACRAMENTI
CONGREGATIONEM FUNDAVIT.
ANNO A VIRGINEO PARTU MDCLV.
AB EUCHARISTICO MIRACULO CCII.

*Aræ Votivæ Foſſani.*

DIVIS TERGEMINIS,
DEI GENITRICI, ROCHO, BRIGITTÆ,
QVOD PESTE, FAME, BELLO
SUBALPINOS OMNES DEVASTANTE,
UNAM HANC URBEM
TERGEMINIS CLADIBUS EXEMERINT,
GRATI CIVES FOSSANENSES VOTUM SOLVUNT,
ANNO MDCXXXII.

*Aræ Sancti Pauli Taurini.*

SOCIETAS SANCTI PAULI,
IN NUMERUM PIORUM OPERUM,
HUNC ETIAM PATRONI CULTUM
REPONIT.

*Broliorum Sacelli, Taurini.*

DIVIS AUXILIARIBUS,
AUGUSTINO ET JOSEPHO:
FRANCISCUS MARIA BROLIA,
VOVIT.

*Majoris Aræ Sancti Thomæ Taurini.*

DIVIS LOCI PRÆSIDIBUS
THOMÆ APOSTOLO, ET CAROLO,



Digitized by Google

JUGI (1) LITATIONE (2) PROPITIANDIS ;
AUGUSTUS MAMFREDUS SCALIA
COMES VERRUCÆ, MARCHIO CALUSII,
D. D. D.
ANNO MDCXXIX.

*1) Litatio, à Græco Liti, hoc eſt rogatio, preces, apud Feſtum Grammaticum. Unde Litaniae dicuntur Rogationes Sanctorum. 2) Propitius, Pius, Favens: teſte Nonnio. Hinc propitiare aliquem, Plinio, Plauto, Svetonio, idem eſt qvod faventem reddere. Hæc annotavi in gratiam ſcituli cujusdam Logodædali.*

## *SANCTI PROSPERI EPISCOPI, Regii in Æmiliâ.*

Magnorum Hominum Nomina, futuri eſſe Oracula,
PROSPERI, REGIENSIS EPISCOPI,
Fatidicum Nomen docet.
Qvid enim egit, ſcripſit, cogitavit, niſi proſperè?
Proſperè hoc primum, qvòd in Aqvitanâ Provinciâ naſcitur,
Celebri Doctrinarum, & Chriſtianæ Fidei Gymnaſio.
Nam Religionis præſidium, Sapientia eſt; Sapientiæ, Religio.
Proſperrimè verò,
Qvòd Evangelium, Sacræ Philoſophiæ Epitomen, revolvens,
Breviſſimam ad Virtutum culmen ſemitam invénit;
*Opes inopibus largiri, & Chriſtum ſeqvi.*
Itaqve, ex Diſcipulo, repentè Magiſter;
Qvod oculis didicerat, profusâ præſtitit manu:
Et auri pondere degravatus; ab Ligeri ad Thybrin advolans,
Ut Chriſtum ſeqvatur, Chriſti Vicarium petit.
Qvàm id proſperè atqve opportunè,
Novit Pontifex; Nomine, ſtrenuitate, vigilantia, Leo.
Ab Eccleſiæ igitur Paſtore,
Contra Julianum Campaniæ Pſeudopaſtorem miſſus,
Pelagianam Sectam, toties reſectam, & redivivam,
Semel totam radicitùs deruncinavit.
Tûm in Calcedoniâ, Portentorum feraci,
Neſtorium, & Priſcillianum,
Duo dira Monſtra, unâ manu, ſuo nempè Chirographo,

Præſo-

Digitized by Google

Præfocavit.
Deniqve deformiſſimam multiformium Hæreſum Hydram,
Remotas latè Nationes Tartareo ſpiritu corrumpentem,
Miſſis, qvo pergere non poterat, Epiſtolis, contrivit:
Et Calamus, Clava fuit.
Tot ergo Proſpera Proſperi promerita
Pontifex Muneravit Epiſcopatu.
Graves nimirum Labores, graviſſimo Labore.
Difficilius enim eſt, Animorum vitia ſuæ Vitæ exemplis,
Qvàm Ingeniorum mendacia, ingenioſis rationibus emendare,
Nam Ratio ratione vincitur; Neqvitia rationi reluctatur.
Nec emeritæ tamen dextræ, ſcribendi vacationem conceſſit,
Nam vel humana Vitia increpando,
Vel Divina encomia concinendo,
Eodem Calamo ad modulandum; qvo ad feriendum, utebatur.
Qvatuor igitur ampliùs Luſtris eniſus Proſper,
Ut ſe Chriſto conformem redderet, Populos ſibi:
Cùm omnia proſperè expleviſſet, propter qvæ vixerat;
Proſperrimè Cœlum adiit, cui natus fuerat.
At ne Regienſibus Proſper eſſe deſineret, cùm deſiit vivere;
Hac in Baſilicâ, Miraculorum Officinâ,
Implorata Proſperi Oſſa, Proſpera fuerunt imploranti.
Hujus ergo Templi Religioſiſſimo cultui Præpoſitus,
Franciſcus Calcaneus Comes,
Regienſi Patrono, atqve Protectori ſuo,
Æternum devotiſſimi obſeqvii teſtimonium
Sacrat.

# INSCRIPTIONES

## Rerum variarum.

*Trium Principum Fratrum, ex Pario lapide,*
*In Vineâ Mauritii Principis à Sabaudia.*

*PHILIPPUM VICTOREM, PHILIBERTUM,*
Tres unanimes Fratres,

Candido è Marmore, Marmore candidiores vides.
Strenuitate Primus, Prudentiâ Tertius,
Omnes vicére: Uterqve à Medio victi.
Satu Medius, occaſu Ultimus, Imperio Primus,
Fratres Fatis ſeqvutus, Factis anteceſſit.
Major minorem, minor mediam, medius majorem
Ætatem vixit.
Majorem Hiſpania, Minorem Sicilia, Medium Italia,
Terris diviſos, non amore,
Orbi præripuit, Empyreo reddidit;
Omnes Mauritius ſibi reſtituit.

## *Magni Caroli Emmanuelis ex ære,*

## *In eâdem Vineâ.*

Vides hanc Speciem, parvo in Loculo Magnam?
Talis erat Prototypus:
Qvem Natura ſibimet invida,
Orbe majorem, exiguis finibus coercuit,
Ne unqvam qvieſceret.
Perpetuam Belli neceſſitatem utrinqve adjecit,
Ut qvietem pareret.
Proindè metalliferas inter (1) Alpes natus,
Ne Armis fideret, niſi ſuis.
Dubito utrâ Virtute majorem dicam,
Ferro, an Ingenio.
Utranqve ſanè agnovit Orbis cùm amiſit.
Nam ſi vixiſſet, non videres qvæ (2) vides,
Si reviviſceret, videret qvæ prævidit.

1) *Natus Ripulis inter Alpes.* 2) *Poſita fuit Imago dùm Bello Civili Patria æſtuaret.*

## *In Statuam Jacobi Menochii.*

Magnum illud Sapientiæ Oraculum
JACOBUS MENOCHIUS

Hic

Hic ſilet.
Qvid enim reſpondere pergat,
Cùm plura qvam ſcripſit, dici neqveant?

## *In Effigiem Abbatis Laurentii Scoti, ſuorum Carminum Volumini præfixam.*

In Libro Ingenium: Mores in Imagine cernis.
Laurum non opus eſt pingere; Nomen habet.

## *Inſcriptio Vineæ Marchionis Aſcanii Bobbæ, Cujus Portam exteriorem nulli claudunt Poſtes.*

*AMICIS QVOD AMENT,*
*INIMICIS QVOD (1) AMENTUR,*
*SEMPER ÆQVE PATET.*

1) *Laborabat ex nonnullorum invidiâ, qvâ eo tempore à ſummâ quadam præfecturâ repellebatur.*

## *Geminarum Pyramidum, Metarum inſtar, In eâdem Vineâ, eâdemque ſententia.*

*SALTEM NON CITRA.*

## *Inſcriptio Vineæ. Qvam CURIFUGIUM vocat.*

Hùc ex Urbe in Suburbium, Viator, de viâ devia:
Ubi mera, ſed vera, & pia Volupia, Colono colit.
Varia hic Spectacula, ut Spectantes recreet, Natura creat:
Hìc rabidus, & rapidus Torrens, jucundè terrens,
Pari ruinâ & rapinâ ſaxa diruit, dum ruit:
Ut credas in gelidum Fulmen mutari Flumen.
Illinc lacteus latex, e gelido gelu fluens, refluens,
Flores educat, qvos edúcit.
Hìc fraga fragrant, Serpillum ſerpit, Roſa ridet:

Gratiiſqve grata violaria, nullæ violant nives.
Atqve ut Flora Flores, ſic Pomaria Pomona pingit.
Nam coloris artifice calore,
Optimorum Malorum omnigena genera,
Ramos ornant qvos onerant.
Neqve hic meridianus Apollo pollet.
Nam ſine luce lucus, ex vetuſtate venuſtatem adeptus,
Abditis Adytis, qvos tegit prótegit:
Silentiqve umbrâ mœſtis lætâ,
Teſtatur adeſſe Numen, ubi nullum eſt Lumen.
Hìc perſonáta perſonans Echo,
Mortua vivit, elinguis loqvitur.
Per auras ludens, aures illudit.
Hic per avia profugæ Aves perfugium nactæ,
Ingenito ingenio, ignotas notas concinnè concinunt!
Luſcinia luget, Turtur trutilat, Grus gruit, Bubo búbilat:
Qvibus occultatus, & oculatus Auceps,
Victum in viſco, fraudes inter frondes, apponit:
Et noto cantu excantatas, ſubdolè capit dùm canit.
Nullæ hic curiales curæ.
Non lata & alta Palatia, ubi omnis motus eſt metus;
Et impotens Potentia, timet dùm timetur.
Non hìc amentes Opum amantes;
Inopes inter Opes, per vitia divitias qværunt,
Et aurum ſeqvuntur aura fugacius.
Non próditor Livor, qvod videt invidens,
Qvos palàm ſectatur, clàm inſectatur.
Hìc innoxius ut innócuus Solitudinis Hoſpes,
Solicitudinis expers;
Vilis, non ſervilis; contemptus & contentus;
Lucem ſine luctu, Noctem ſine noxa, ſecum tranſigens;
Favente Fato, parcente Parca, longævo fruitur ævo!
Et inſtar Oloris, canit dum canet.
Brevi; utranqve Sortem ſortitus, dices:
Urbani mores in Agris, agreſtes in Urbibus ſunt.

Hanc

*Hanc formam ſeqvitur Inſcriptio Vineæ Octavii Amedei, Tarini propè Eridanum.*

*TU QVI EX URBE, HOC IN SUBURBIUM DIVERTIS;*
*JUCUNDA INCURIA,*
*INJUCUNDAS DIMITTE CURAS.*
*SOLICITUDINES ODIT HÆC SOLITUDO.*
*LIBER PATER, LIBEROS AMAT ANIMOS.*

*Inſcriptio Fontis Lingua priſca.*

Ceivis, Moiniceps, Meiles;
Accola, Incola, Concola;
Qveiqveis ſuas Ameicus Homon;
Reſtitato ac Legito,
Pumicoſæ hæ látubræ, dulce collacrumantes,
Et blandienter melliſcatentes hei latices
Per florulentas vortugines dulci efflóvio proſerpiginoſei,
Oculis Spéculom, labris delicom, auribus concentom
Perenni Lubentia dono danunt.
Heìc ergo pro arbitério, ac vólupe
Spectato, potato, adqvieſcito.
Qvo lacte Mundi primævitas fructa eſt, felix fruitor.
Puræ Acuæ puris Licento.
At ſi qveis factioſus Bacchei Látero,
Nympharum Lymphis neqvitùs obtrectaſſit;
Ollus Lympharum Nymphis deteſtabilis,
Tantalea ravi arſibiliter ſiticuloſus,
In Acua parareſcere, in Flovio perſitiſcere
Damnas eſto.
Hoc Jous ſartom, ſanctom, omneis ſciunto.

*Ejusdem Inſcriptiones*
*Fontis Pliniani, in Larii Lacus margine;*
*Qui ſaxea è Rupe ſenis horis fluit,*
*totidemque refluit.*

BIBE

*BIBE DUM FLUO, MOX REFLUAM.*
*SIC EUNT OMNIA.*

*Alia Inſcriptio.*

Alternâ alternos reqvie reparare labores
Te movet hæc Tellus: te mea Lympha monet.

*Alia.*

Eſſe obſeqvendum Tempori, hic Amnis docet.

*Alia.*

Cur modò dat Fluctus, Fluctus modò dénegat hic Fons:
Opeſqve dubiâ fundit, & condit, manu?
Mortales donare docet, non perdere dona,
Dat Liberalis ſæpè, ſemper Prodigus.

*Alia.*

Hic, qvi Naturæ ſuperat miracula Fluctus
Te ſolum, (*1*) Plini, promeruit Dominum,
Silicet ingeniis illudens omnibus Unda,
Solius Domini vincitur Ingenio.

1) *Plinii naturalium rerum Scriptoris, Villa hæc olim fuit.*

*Inſcriptiones Emblematicæ in eundem Fontem.*

*CONSTANTIA INCONSTANS.*

*Alia.*

*GRATÆ VICES.*

*Alia.*

*NIL PRÆPES PERPES.*

*Inſcriptio Horologii Hydraulici, cujus incrementa & decrementa Horas in columnâ deſignant, in eodem Fonte.*

Surgit

Digitized by Google

Surgit, caditqve vicibus hic certis Latex:
Soliſqve curſus, dùm cadit, ſurgit, notat,
Fabella Fontis vana Caſtalii fuit.
Arcana Phœbi Larius pandit Latex.

*Alia.*

Horas prius notaſſe qvi affirmat Syros,
Injúriam protervus huic Fonti facit.

*Alia.*

Hac Mens in Undâ eſt: tacitus hanc Hoſpes bibe,
Aſtronomíam, potus hic Amnis, docet.

*Alia.*

Habitare Lymphas nemo jam Nymphas neget.
Hoc Fonte celſum Uránia mutavit Polum.

*Alia.*

Si conſvetâ Phœbus erraret viâ,
A Fonte Phœbus corrigi poſſet ſuo.

*Alia.*

Tempora confuſis Phaeton cùm perdidit Aſtris,
Tempus in hos tantùm Fonte ſuperſtes erat.

*Alia.*

Hanc eſſe Patriam Numinum, & Solis Solum,
Sideribus cognatus hic fons arguit.

*Alia.*

Clarior hac nulla eſt, nulla eſt obſcurior Undâ,
Abdita dùm refugæ cauſa lateſcit Aquæ.
Attonitas hebetant docta hæc Miracula mentes:
Et lingvam gelido Lympha ſtupore ligat.
Larius hem (1) Clario qvàm diſcrepat Amnis ab Amne:
Ille loqvi Muſas, iſte tacere facit.

1) *Clarius Apollinis fons erat propè Colophônem, cujus potu Oracula reddebantur.*

*Inſcriptio Horologii Scioterici,*
*Patriis in Ædibus.*

Hac, licet exili nulla eſt lethalior Umbrâ.
Nam qvicqvid fugiens attigit, interiit.

## INSCRIPTIONES EMBLEMATICÆ,
Picturis appoſitæ.

IN Villa prænominati Marchionis Bobbæ Emblemata in Invidos; qvos demùm vicit, Palladis, ideſt, Virtutis propriæ, ope.

*Prima in Tabula, Pallas forfice Parcam exarmat.*

Qvicqvid efficiat Livor, nihil officiet.
Nam uni Palladi tres cedunt Parcæ,
Imò vivaci Lauro vivacior Virtus,
Succiſa, meliùs ſuccedit.

II.

*Pallas Tempus alligat.*

Abductam reſignabis Annorum ſummam,
Alate Mortalium plagiarie Senex,
Invictâ Palladis manu victus, & vinctus,
Avulsâ penna, pœnas dabis.

III.

*Pallas Pallantem Semianguem obſtupefacit.*

Mirâ Palladii Virtute,
Pallantem conficit, dum conſpicit Pallas.
Æqvâ prorſum iniqvitatis ultione,
Ut Virtuti invidens, pereat Virtutem videns.

IV.

*Pallas Fortunam manu ducit.*

Tandem ſpirante Invidiâ, reſpirat Fortuna:
Et finitâ luctâ, finitur luctus.

Uni-

Digitized by Google

Unicâ Victoriâ bis triumphat Pallas,
Dùm elatam opprimit; oppreſſam elevat.

# INSCRIPTIONES EMBLEMATICÆ,
## Sub Imaginibus ex Divinâ Scripturâ.
## In Ædibus Marchionis à Sancto-Thomâ.

*Primâ in Tabulâ,*
*Aqvam ex Pumice, Virgâ elicit Moſes,*
Documentum.
*DURUM PATIENTIA MOLLIT.*

II.
*Sicco pede Populus Mare trajicit,*
*INVIA VIRTUTI NULLA EST VIA,*

III.
*Infans Moſes, è Flumine ſervatus,*
*FATA VIAM INVENIUNT.*

IV.
*Senes Calumniatores Puer Daniel convincit,*
*FRAUDE SUA PRENDITUR ARTIFEX.*

V.
*Joſue Solem moratur, dùm pugnat,*
*LUCEM AMAT INCLYTA VIRTUS.*

VI.
*Blanditiis Dolila Sampſonem ligat,*
*VIS VINCITUR ARTE,*

VII.
*Draconem oblatâ Offâ dirumpit Daniel,*
*BENEFICIIS VINCITUR MALEFICIUM.*

VIII.
*A Bello ceſſantem Davidem,*
*Beth-ſabeæ ſpecies capit.*
*EX OCIO LUXUS,*

IX.
*Davidis pœnitentia ex Nathani præſagio,*
*EX LUXU LUCTUS.*

X.

*Evocata Samuélis Umbra, evocanti mortem denunciat.*

*FATA NON SCRUTANDA.*

XI.

*Jephtes Voti adſtrictus, Filia ſe carnificem deflet.*

*QVID SPONDEAS VIDE.*

XII.

*Gédeon eos reprobat, qvi proni è flumine bibunt.*

*FORTUNA UTENDUM, NON ABUTENDUM.*

*In Ædibus Referendarii Novarinæ.*

*Inſcriptiones Emblematicæ ſub fabuloſis Imaginibus Alciati.*

Prima in Tabulâ.

*Actæon ſuis ab Canibus diſcerpitur.*

*QVOS PAVIT, PAVET.*

In Servos ingratos.

II.

*Infrénis Eqvus è rupe proruens.*

*QVOD PRÆPES, PRÆCEPS.*

In præcéleres deliberando.

III.

*Pygmæi Herculem adoriuntur.*

*VOLUNT, NON VALENT*

Cum potentioribus non certandum.

IV.

*Æthiopem lavant.*

*ALLUES, NON ABLUES.*

Vitioſa conſvetudo corrigi vix poteſt.

*V. Nio-*

Digitized by Google

V.

*Niobe Dianæ contemptrix, Filiorum cædem lacrymatur.*

*UBI CRIMEN, IBI DISCRIMEN.*

Non lædenda Majeſtas.

VI.

*Narciſſi Fabula.*

*QVI SE QVÆRIT, SE PERDIT.*

Philautía pernicioſa in negotiis.

VII.

*Invidia, Herebi Furia, cor ſuum rodit.*

*CARPITQVE, ET CARPITUR UNA.*

Ex Ovidii Metamorph.

VIII.

*Tantalus inter undas.*

*AFFLUUNT SED EFFLUUNT.*

In Voluptuoſos.

IX.

*Ariſtippus, aureis compedibus mancipatus.*

*DITIOR, SED IMPEDITIOR.*

Aulica Vita.

X.

*Hercules Celticus, aureis Populos catenis rapit.*

*VI SVAVI*

In facundos.

XI.

*Phryxus, Ariete vehente, mare inequitat.*

*VIA OMNIS VIRTUTI TUTA.*

Ingenio nihil inſuperabile.

XII.

*Æneas longævum geſtat Patrem.*

*HIC REGIT, ILLE DIRIGIT.*

Conſilia Senum, Vires Juvenum, in negotiis.

XIII.

*Bellerophon aligero in Eqvo Chimæram ſubigit.*

*VIS ET VIRTUS.*

Utraqve Principi neceſſaria, domitanti ferocem Populum.

 XIV. Gany-

XIV.

*Ganymedis Canes Aqvilam fruſtrà terrent,*

*LATRANT, NON LACERANT.*

In obtrectantes Virtuti.

XV.

*Phaetontis Fabula.*

*INCENDIT QVACUNQVE INCEDIT.*

In pernicioſam potentiam,

XVI.

*Syrenes marino in litore.*

*VORANT QVOS VOCANT.*

In Fœminas procaces,

XVII.

*Heroibus pateram porrigit Circe,*

*IN BENEFICIO MALEFICIUM,*

In Proditores,

## INSCRIPTIONES EMBLEMATICÆ
### In Ædibus Arduini, Valpergiæ Comitis.

*In Valpergienſis Aulæ teſtudine nullæ ſunt hiſtoricæ Imagines, ſed ſimplex ornatus architectonicus, unde Tabellæ aliqvot ad vivum pictæ, videntur altè pendere; quæ ſingulæ ſingula continent Ethica Documenta Jambico Carmine, quibus Hoſpites mirè detinentur; & Domini genius apparet, Bellicopoliticus.*

*I.* Bonis cupit nocére, qvi parcit Malis.
*II.* Regnare diſcit. Tempori qvi obtemperat,
*III.* Gravisſima eſt Viri Optimi iracundia.
*IV.* Sequentis eſt Magiſter anterior Dies.
*V.* Deliberandum ſæpè, ſtatuendum ſemel.
*VI.* Veterem ferendo Injuriam, invitas novam.
*VII.* Deterior eſt priore, poſterior Dies.
*VIII.* Diis micandum, Principi, Patriæ, Sibi.
*IX.* Lux omnium clarisſima ex Armis micat,
*X.* Sunt Arma Torrens, huic ferunt, illi auferunt.
*XI.* Servatur Armis, Arma qui ſervat ſua.
*XII.* Bonus ante pugnam, ſtultus in pugnâ, eſt timor,
*XIII.* Pugnando vitam perdere, eſt bis vivere.
*XIV.* Hoſti manu nocere, non lingvâ, licet.
*XV.* Injuriam Vir Fortis, aut Felix. feret,

Digitized by Google

# INSCRIPTIONES HISTORICÆ, ID EST PATRIARCHARUM GENEALOGIA.

## INSCRIPTIONES HISTORICÆ, ID EST PATRIARCHARUM GENEALOGIA.

CUM Magnus Carolus Emmanuel Sabaudiæ Dux, non Ingenio minor quàm animo; ingens Volumen de REGNORUM EXORDIIS; à Protoparente Adamo, ad ſua usque Tempora moliretur: ut Regiam Chriſti Servatoris Genealogiam; ac deinde Pontificum Maximorum ſeriem, ſequeretur: ſingulorum Patriarcharum, atque Pontificum Elogia, Authoris noſtri Lapidario ſtylo lucubrata, ut Hiſtoriæ compendiola, & reſpiramenta interſerebat. Itaque, Patriarchas, cum illuſtribus Viris ſuorum temporum, quos ex authographo emendatiſſimos habui, repono: Pontifices expecto.

### ELENCUS ELOGIORUM.

*Habes Chriſti Gentiles directâ lineâ: Extraneos, extrà Lineam, qvos toto Volumine Characteris diverſitas dabit.*

MUN-

# MUNDI PUERILITAS, PASTORES.

| | | |
|---|---|---|
| *ADAM Terræ Filius.* | | Ænigma, |
| *Cain Adami Filius.* | | Epitaphium. |
| *Abel Adami Filius.* | | Tumulus |
| *Henoch Caini Filius.* | | |
| *Irad Henoci Filius.* | Cenſura. | |
| *Vaviael Iradi Filius.* | | |
| *Mathuſael Vaviaelis Fil.* | | |
| *Lamech Mathuſ. Filius.* | | Enthuſiaſmus. |
| *Jabel Lamechi Filius.* | | Proſopopeia. |
| *Jubal Lamechi Filius.* | | Nænia. |
| *Tubal Lamechi Filius.* | | Hypotypoſis. |
| *2. Seth Adami Filius.* | | Similes. |
| *3. Enos Sethi Filius.* | | Encomium. |
| *4. Cainam Enosſi Filius.* | | Oppoſita. |
| *5. Malaleel Cainami Filius.* | | |
| *6. Jared Malaleelis Filius.* | | Expoſtulatio. |
| *7. Enoch Jaredi Filius.* | | Cenotaphium. |
| *8. Mathuſales Enoci Filius.* | | Euchariſticon. |
| *9. Lamech Juſtus Mathuſalæ Filius.* | | |

# MUNDI ADOLESCENTIA, MILITES.

| | | |
|---|---|---|
| *10. NOES Lamechi Juſti Filius.* | | Anathéma. |
| *Cham Noe Filius.* | | Diræ. |
| *Nembroth Chami Nepos.* | | Digreſſio. |
| *11. Sem Noe Filius.* | | Statuæ. |
| *Japhet Noe Filius.* | | |
| *12. Arphaxad Semi Filius.* | | |
| *13. Salem Arphaxadi Filius.* | | |
| *14. Heber Salemi Filius.* | | |
| *15. Phaleg Heberi Filius.* | | |
| *16. Revus Phalegi Filius.* | Catalogus. | |
| *17. Sarag Revi Filius.* | | |
| *18. Nachor Saragi Filius.* | | |
| *19. Thares Nachoris Filius.* | | |
| *20. Abrahamus Tharæ Filius.* | | Narratio. |
| *Loth Abrahæ Nepos.* | | Topographia. |
| *Lothi Uxor.* | | Metamorphoſis. |
| *21. Iſaach Abrami Filius.* | | Tragœdia. |
| *22. Jacob Iſaaci Filius.* | | Monita. |
| *Tribuni duodecim Jacobi Filii.* | | Somnium. |

MUN-

Digitized by Google

## MUNDI JUVENTUS. DUCES.

| | |
|---|---|
| 23. *JUDAS Jacobi Filius.* | Etymon. |
| *Joſeph Jacobi Filius.* | Eulogium. |
| 24. *Phares Judæ Filius.* | Prodigia. |
| *Job Eſau Pronepos.* | Monomachia. |
| 25. *Eſron Phareſi Filius.* } | |
| 26. *Rhamus Eſronis Filius.* } | Aulicismus. |
| 27. *Aminadab Rhami Filius.* } | |
| *Moſes Levi Nepos.* | Exegeſis. |
| *Aaron Moſis Frater.* | Paræneſis. |
| 28. *Naaſon Aminadabi Filius.* | Exemplar. |
| 29. *Salma Naaſonis Filius.* | Gratulatio. |
| *Joſues ex Joſepho.* | Triumphus. |
| *Samſon ex Dano.* | Idæa. |
| 30. *Booz Salmæ Filius.* } | Myſterium. |
| 31. *Obed Boozi Filius.* } | |
| *Gedeon Joſephi Nepos.* | Argumentum. |
| *Jephtes Joſephi Nepos.* | Monimentum. |
| 32. *Jeſſe Obedi Filius.* | Clauſula. |

## MUNDI VIRILIS ÆTAS. REGES.

| | |
|---|---|
| 33. *DAVID Jeſſe Filius.* | Adinaton. |
| *Samuel ex Joſepho.* | Epitheta. |
| 34. *Salomo Davidis Filius.* | Scylla. |
| 35. *Roboam Salomonis Filius.* | Parallela. |
| 36. *Abias Roboami Filius.* | Edictum. |
| 37. *Aſa Abiæ Filius.* | Rogus. |
| 38. *Joſophat Aſæ Filius.* | Minæ. |
| 39. *Joram Joſaphati Filius.* | Sententiæ. |
| 40. *Ochozia Jorani Filius.* } | |
| 41. *Joas Ochoziæ Filius.* } | Saxifragium. |
| 42. *Amaſia Joaſi Filius.* } | |
| 43. *Ozia Amaſiæ Filius.* | Paraphraſis. |
| 44. *Joathan Oziæ Filius.* | Legatio. |
| 45. *Achas Joathani Filius.* | Hiſtoria. |
| 46. *Ezechia Achaſi Filius.* | Index. |
| 47. *Manaſſes Ezechiæ Filius.* | Exomologeſis. |
| 48. *Amon Manaſſes Filius.* | Symbolum. |
| 49. *Joſia Amonis Filius.* | Epinicium. |
| 50. *Eliacim Joſiæ Filius.* } | Revolutio. |
| *Joachas Joſiæ Filius.* } | |



Digitized by Google

*Sedecia Eliacimi Frater.*
*Suſanna Helcia Filia.*
51. *Jechonia Eliacimi Filius.*

Sortio.
Admonitio.
Threni.

## MUNDI SENECTUS.

52. *SALATIEL Jechonia Filius.*
53. *Zorobabel Salatielis Filius.*
54. *Abiud Zorobabelis Filius.*
*Esdra ex Levi.*
55. *Eliacim Abiudi* Filius. }
56. *Azor Eliacimi* Filius. }
57. *Sadoc Azoris* Filius.
58. *Achim Sadoci* Filius.
*Jeſus Siracides.*
59. *Eliud Achimi* Filius. }
60. *Eleazar Eliudi* Filius. }
*Eleazar Protomart. Ex Levi.*
*Mater Machab. Martyr. Ex Levi.*
*Ratias Martyr. Ex Levi.*
*Mathathias ex Levi.*
*Judas Machab. Mathat.* Fil.
*Jonathas Juda* Frater.
*Eleazar Jonatha* Frater.
*Simon Eleazari* Frater.
*Joannes Hircanus Sim.* Filius.

## SOLITARII.

Iſagoge.
Myſtologia.
Genethliacon.
Admiranda.
Dialogismus.
Echo.
Vices.
Memoriæ.
Conſolatoria.
Concio.
Icon.
Etopeia.
Nemeſis.
Trophæa.
Politicon.
Emblema.
Diploma.
Epilogus.

## NOVA ÆTAS.

61. *S. PANTHER Eleazari* Filius. }
*S. Mathan Pantheris* Frat. }
62. *S. Bar-panther Pantheris* Filius. }
*S. Jacob Mathani* Filius. }
63. *S. Joachim Bar-pantheris* Filius. }
*S. Anna Joachimi Uxor.* }
*S. Joſeph Jacobi* Filius.
*S. Maria Virgo: Joachimi* Filia, }
*Chriſti Mater.* }
*S. Joannes Baptiſta Virginis ex* }
*Conſobrinâ Nepos.* }
JESUS, *Dei ac Virginis* Filius.

## SANCTI.

Partitio.
Naufragium.
Epithalamium.
Tituli.
Sculptura.
Præconium.
Meta.

MUN-

# MUNDI PUERILITAS.
## PASTORES.

# ADAM & EVA.

Linea infamis. | Chriſti linea.

*Cain.* | *Abel.* | Seth.

*Henoch.* — Enos.

*Irad.* — Cainam.

*Vaviael.* — Malaleel.

*Mathuſael.* — Jared.

*Lamech.* — Enoch.

Mathuſales.

*Jabel. Jubal. Tubal.* — Lamech.

# ADAM
*Terræ Filius.*

## ÆNIGMA.

Siſte gradum viator; mira leges.
Hic ille jaceo, per qvem omnes jacent,
Natalis mihi Sedes Damaſcus,
Licet in Cretâ nato.

 Creti-

Digitized by Google

Creticum qvippè ſignum dum inſtituor,
Ex Typo Prototypus fio.
Ut Hominem me verè dicas, fictum & verum:
Cælo natum ex cæno.
Nec orbus, nec poſthumus fui,
Sed Patris expers:
Vel fecit me Pater, non genuit.
Matrem habui, qvæ me habet.
Lignea Nutrix, ſine lacte,
Virum me aluit, non Puerum.
Filiam non filiam Uxorem duxi.
Qvæ ſimul nata, & nupta,
Uno partu Nepotem mihi & Liberum, genuit,
Rex ſine urbibus, dives ſine auro,
Sine Magiſtro eruditus, ludum aperui.
Tot nactus auditores, qvot homines,
Heu ſtolida Sapientiæ fames?
Cum omnia ſcirem, ut plura ſcirem, deſipere cœpi.
Virorum ſapientiſſimus dementor à Fœminâ.
Qvâ male-ſvadâ:
Pomum, cœleſti interdicto circumſcriptum, attingens;
Beatæ Sylvæ fructus dum carpo,
Sylvam amitto.
Itaqve cum profugâ Conjuge,
Ex Rege Agricola,
Qvia Numen non colui, Terram colui,
Hoc uno concordes Conjuges;
Qvod uno juncti jugo,
Matris uterum tamdiu ſecuimus,
Donec utero nos recepit.
Itaqve, me Uxor immortalem peremit;
Uxorem ego; uterqve omnes.
Ah, qvam de minimo perivimus!
Tantum malum attulit malus.
Cujus frondibus obvolutus Angvis,
Venenum vomuit, omnes hauſerunt.
Tuus ergo Genitor, ſed nunqvam viſus,
Te peremi anteqvam gignerem.

Sed

Digitized by Google

Sed, ò lætas malorum vices!
Ligno eodem reparatus, qvo perii,
Indidem venenum traxi, & medelam.
Unâ in arbore ego deliqvi, multatus eſt Deus.
Cujus à cæde redivivus,
Superos petii, cùm Inferos petiit;
Minus egeram niſi peccaſſem.
Nomen flagitas?
Qvatuor Mundi plagarum nomina ab Græcis pete,
Anatolì, Dyſis, Arctos, Meſembria:
Abſciſſa nominum capita junge; nomen habebis.
Decubui cognati mihi Mundi Anno
CMXXX
Surrexit poſt Annos
M. M. M. M. CCXXXII.
Gaude Viator, ac perge.

# CAIN

*Adami Filius.*

## EPITAPHIUM.

*Huc mala verbà, Viator.*
*Perditorum Princeps tales poſcit inferias,*
*Hic avarus Agricola, felicis Frater Paſtoris,*
*Pejores fruges Aris imponens, omnes amiſit;*
*Et ingratus Deo Sator, ingrata ſibi Sata deprehendit.*
*Itaque mordaci conſumptus invidiâ,*
*Quod Abelis Hoſtiis feliciùs ſuccederet;*
*Ne fraterna Victimæ litarent, Victimam fecit Fratrem.*
*Primus hic flagitiorum inſtitor,*
*Mortem invenit, & invexit.*
*Horruit Mors expiandis ſceleribus nata,*
*Primos ſibi aditus per innocentis jugulum frangi.*
*Mirata primo ſe ictu magnam Orbis partem orbaſſe.*
*Tam dulci delinita ſanguine, innocentes avidiùs petit.*
*Tam dextero erudita jactu, cæteros certiùs ferit.*



Digitized by Google

*At non impunè tulit proditor;*
*Forum nactus Sylvam ſuam, teſtem Mortuum,*
*Apparitorem Umbram, carnificem Culpam, judicem Deum.*
*Ergo inani pavore territus, ac ſeipſum terrens,*
*Idem ſemper, & alius; ibi ſemper, & alibi;*
*Se fugit ac ſequitur, ſceleſtus ſceleſtum;*
*Umbram ſuam pavet, mendax mendacem:*
*Inter mortis metum, ac vitæ odium,*
*Ut nullibi vivat, ubique vivens;*
*Quia timenda non timuit, timet non timenda.*
*Urbem primus condidit; nec immeritò:*
*Ut ſi campis ſecuritatem depulerat,*
*Carcerem ſibi moliretur.*
*Sed nulla impiis tuta látebra;*
*Cùm Malis ubique malè fit.*
*Hunc Urbe ſuâ exulantem,*
*Lamechus Nepos pro Fera ferit:*
*Facili errore, Ferarum ſimilem.*
*Æquo igitur & iniquo jure,*
*Malus à Malo ſupplicium capit, quod dedit:*
*Et parricidio fratricidium expiatur.*
*Eis lugendum Parentibus facinus;*
*Cùm committitur, & cùm punitur.*
*Malè moritur, vivis Parentibus:*
*Ab Furiis raptatus, primus Tartarum fundavit.*
*Fugo Viator, ac ſolum quate.*

# A B E L

## *Adami Filius.*

## TUMULUS.

*Viator, quid eſt?*
*Clamoſum hoc Solum,*
*Et ignotam de glebis vocem, formidas?*
*Primus hic omnium tumulus Mortalibus patuit.*
*Nondum patiente Terrâ ſuis ſe fœtibus farciri,*

Con-

Digitized by Google

*Conditur ſub hoc caſpite Virgineus Paſtor;*
*Primorum Hominum ſecunda proles, & primum funus.*
*Male ſuis oculis vaticinati Parentes,*
*Abelem, hoc eſt luctum, vocarunt.*
*Atqui mortem omnibus; vitam nemini flendam, transegit,*
*Mortalium innocentiſſimus,*
*Artium innocentiſſimam reperit, Paſtoritiam:*
*Optimi Principatus imaginem.*
*Nam errantium Pecudum populo ſub legem miſſo.*
*Regale munus, & gregale permiſcens,*
*Pedum pro ſceptro geſtavit.*
*Itaque Rex inter Oves, Ovis inter Reges,*
*Obſequentiſſimæ Lanigerorum reipublicæ*
*Imperando ſerviit, ſerviendo imperavit.*
*Villis, non jugulo, tributum impoſuit.*
*Petebat ſine naufragio Phryxeas opes è Caulâ.*
*Nam pro auro vellus erat;*
*Et germanum vocabulum retinente pecuniâ,*
*Pecus tondebat, non Populos.*
*Quin Ovium lacte, non carnibus, uſus,*
*Cædibus vivere noluit.*
*Ità Gregis altor, & alumnus,*
*Suarumque Ovium collactaneus.*
*Alimento ſimiles mores traxit;*
*Candidos, non cruentos.*
*Primus tamen Sacerdos, Aris Agnos admovit.*
*Sed ovantes Oviculæ Deo cadebant;*
*Et oris ſono ſe beatas profeſſæ,*
*Tantundem præſagibant Paſtori.*
*Vis ſcire quàm opima obtulerit?*
*Tales Hoſtias ut voraret avidius Numen,*
*Linguoſam in flammam devolavit:*
*Nec ſecundas menſas curavit, Caini fruges.*
*O implacatam Cognatorum invidiam?*
*Tabuit cæcâ rabie Germanus Cain:*
*Ac diù deſignatum*
*Blandè ſeduxit, proditoriè trucidavit.*
*Quæris quo Telo? Ligneo:*

*Nam*

Digitized by Google

*Nam tali ex materiâ nata Mors.*
*Quæris quid petiverit? guttur:*
*Hoc enim Mortis veſtibulum fuerat.*
*Ut non dubites in Abele multatos eſſe Parentes.*
*Ah peccantium ſtolida mentes!*
*Mutum putabat Cain flagitium, compreſſo illo jugulo.*
*Sed proditorem omnia produnt.*
*Hem fracto gutture vocalior Abel,*
*Hoc è Tumulo Parricidam terrefacit!*
*Et vivum citat extinctus.*
*Condiſce, Viator:*
*Infandum facinus muta fantur.*

# HENOCH

*Caini Filius.*

## IRAD *Henoci Filius.*

## VAVIAEL *Iradi Filius.*

## MATHUSAEL *Vaviaelis Filius.*

## CENSURA.

*Tecum mihi res eſt divine Scriptor, Moſes,*
*Quod geſta Virorum quatuor*
*Henoci, Iradi, Vaviaelis, Mathuſaelis,*
*De commentariis eraſiſti,*
*Et ſecula totidem, nominibus, non hominibus, diſtinxiſti.*
*Sonas nimirum nomina, ſiles vitam;*
*Vacuisque trophæis nudum titulum inſcribis.*
*Quid nomina ſine geſtis? quod geſta ſine nomine.*
*Utraque perierunt; hæc auribus, illa oculis.*
*Perinde eſt carere faſtis, ac factis.*
*Fallor: Actuarium cenſurâ libero.*
*Suis coloribus ſingulorum geſta pinguntur,*
*Dùm à Caino dicuntur ſati.*

Exur-

Digitized by Google

*Exurgunt ſuos in ortus virulenta germina.*
*Radicis vitium continuant thyrſi.*
*Deformes ſunt omnes, non difformes,*
*Fœdo exemplari ſimiles.*
*Quorſum igitur avita Nepotum crimina*
*Argutus ingereret Scriptor?*
*Narranda non erant facta, ſed mutanda nomina.*
*Aut ſinguli Caino ſimiles vixere,*
*Aut unus in ſingulis Cain revixit.*
*Modeſtus proinde, non moleſtus Moſes;*
*Ne vel aures loquendo,*
*Vel hiſtoriam ſilendo læderet;*
*Loquaci ſilentio,*
*Infanda geſta nec evulgavit, nec tacuit.*
*Annorum etiam numerum conſultò ſiluit;*
*Nihil enim vivunt, qui malè vivunt:*
*Nec annos impii uſurpant, ſed perdunt.*
*Novo igitur invento ſupplicio*
*Sceleſtos ulciſcitur, dùm tacet ſcelera.*
*Calamo pungit quos expungit.*
*Totque capita obtruncat, quot truncat nomina.*
*Jacete igitur æternùm*
*Inceſti, Latrones, Parricidæ;*
*Digna, Caino, Proles.*
*Prò latebrâ & ſepulcro, ſilentium dono.*

# LAMECH

*Mathuſaelis Filius.*

## ENTHUSIASMUS.

*Quorſum Fata conſulis Lameche,*
*Quem inconſultum facta damnant?*
*Afflatus vaticinor. Quid hoc eſt?*
*Bis amans, bis amens;*
*Non uno contentus jugali vinculo,*
*Gemino te mancipium ligas?*
*Utranque igitur pellicem, Utranque ſuccubam facis.*



Digitized by Google

*Ut fatidico jam nomine arguaris,*
*Lamechus mœchus.*
*Quæ hæc diſcors concordia,*
*Cor unum in diſcordes ſcindere Conjuges;*
*Et alternis Liberis, alternas inducere Novercas?*
*Licet ſine lituo & Infulâ præſagire:*
*Certum tibi odium rivales infligent Conjuges,*
*Cùm incerti confligent amores.*
*Uno flagrabis incendio,*
*Cùm geminus Hymen adverſis bellabunt facibus.*
*Malo omine Polygamiæ licentiam facis ex Bigamiâ.*
*Nam ſeptuagies ſepties plectendus,*
*Septem, & ſeptuaginta Liberos ſuſcipies, & depones;*
*Toties Orbus, quoties Pater.*
*Impius verò Genitor.*
*Impio terram Genere onerabis.*
*Magis impius Nepos,*
*Impiorum Principem Atavum pro ferâ cades.*
*Nil tibi debet Terrarum Orbis,*
*Quod Cainam exanimas, ſi ejus animum retines.*
*Uno jaculo Caino mortem, Vitiis vitam, dediſti.*
*Errabit oculus, at non errabit manus,*
*In flagitia per ſe docilis.*
*Filii etiam nece Atavi Manes placabis.*
*Æquè ſceleſtus, ſive ſceleſtos gignas, ſive occidas.*
*Hoc Habent peſſimi optimum,*
*Quod mutua ſeſe per arma plectunt:*
*Hoc peſſimum, quod ſine ſcelere non poſſunt plectere;*
*Divinare jam libet:*
*Incipiet Mors hâc te punire quâ peccas.*
*Marcente ſiquidem utrâque pupillâ,*
*Antequam vitâ careas, orbe carebis:*
*Et mortuo deſtinatam noctem, vivus anticipabis.*
*Regent te Filii errantem Patrem,*
*Qui errantes Filios non regis.*
*Te cæcum antecedent, qui ſceleſtum ſequuntur.*
*Ibis tandem cum Filiis præceps Genitor,*
*In Diluvio naufragus.*
*Cupidinis flammis ambuſtus, in undâ peribis.*

JABEL

Digitized by Google

# JABEL

## *Lamechi Filius.*

## PROSOPOPEIA.

*Viator.*
*Bene mihi precare ſi malus es.*
*Ego Lamechi primigenius, ſed Patre peior.*
*De malis benè merui.*
*Nam cum Cælo teſte viverent impii,*
*Nec ulla ſceleribus daretur latebra;*
*Pellicea primùs tentoria prætexui,*
*Quæ Cæli conſpectum raperent.*
*Debet igitur impietas mihi, quòd Cæli oculos fugit.*
*Citiusque adulta, quia inulta,*
*Nec Patre caruit, nec Patriâ:*
*Et ſub Ovillis pellibus latitarunt Lupi.*
*Sed majus aliquid merui.*
*Nam cum avitum crimen aratris luerent homines,*
*Sepulcro proludentes in ſulco;*
*Tam improbæ ſervituti*
*Vicaria Boum colla ſuccedere coegi.*
*Hominum jugum remolitus in Bruta.*
*Felici ergo talione,*
*Peccarunt Juvenes, plectuntur Juvenci.*
*Nec tardis modo Armentis impoſui.*
*Nam quod ferox Equus Equiti ſervit meum eſt munus.*
*Illexi oblato fræno jejuna Quadrupedis ora.*
*Ille, ut ignota xenia ignarus hauſit,*
*Totam voravit ſervitutem.*
*Iraſcitur jam rabidus,*
*Et ſpumæ livore exoſas inquinans phaleras,*
*Undante collo ſubrigitur.*
*Ac terram ſcrutante Ungula, me quærit.*
*Servit tamen ingratiis;*
*Suosque Domino commodat pedes.*
*Quanta mihi debeas, Viator, vides.*
*Equum verte, ne Tumulum evertat.*

*Nam qui Cœlum ſpectare nolui,*
*Parum egi, ſi à Cœlo ſpector.*

# JUBAL

## *Lamechi Filius.*

## NÆNIA.

Fingite luctum ridentes Præficæ:
Talemqve Næniam exibilate.
*Jaces ah tandem, ac taces,*
*Modulantium Chorage Jubal.*
*Dediſti tuæ voci pœnas.*
*Nam exiguum ſpiritum quo vita ducitur,*
*Tu primus frangere auſus ad melodiam,*
*Spiritum ſimul emiſiſti, & amiſiſti.*
*Conſenſere Aſtra in tuos obitus.*
*Tu enim cœleſtis Harmoniæ ſectatus imaginem,*
*Sacrum Planetarum concentum furatus,*
*Divorum delicias Mortalibus propinaſti.*
*Poſcebant mutæ Animantes ſuo de tortore ſupplicium,*
*Tu enim primus Teſtudinem, angvem innoxium,*
*Portatili ſuâ domo eliminaſti;*
*Ut Harmoniam angvi nocentiorem,*
*Vacuâ illâ in latebrâ conderes.*
*Tum ſecta Pecudum viſcera*
*Imparibus diſcreta numeris tetendiſti;*
*Ut pollice verberata, aures mulcerent.*
*Vah Ingratus Paſtor!*
*Qui greges in cytharæ equuleo mortuos torques;*
*Et inter tormenta canere jubes.*
*Crudelis! ut lætos ad Agnorum gemitus,*
*Choreas ducant Paſtorum chori,*
*Agnorum viſceribus ludis.*
*Malè tibi ſit Jubal,*
*Qui tam dulci peſte*
*Aures afficis, ut inficias animos.*

Latet

Digitized by Google

*Latet inter cytharæ fides Cupido infidus ;*
*Qui canoris imbecillium pecudum nervis*
*Feroces Hominum enervat Spiritus :*
*Et artu eodem*
*Chordas ferit, & corda.*
*Ridet interim furtiva Mors,*
*Quæ dulces inter modos*
*Inauditum ſecuriùs explicat pedem ;*
*Et læta meditantes letho prævenit.*
*Stabis æternum exemplum, Jubal.*
*Tibi jocoſa Lyræ fila pulſanti,*
*Tenue vitæ filum Fata ſuccident.*
*Carebis funebri luctu lætitiæ author.*
*Et qui flebili Seculo non fleviſti,*
*Extinctus ridebere.*

# TUBAL

*Lamechi Filius.*

## HYPOTYPOSIS.

*Ex aliâ in aliam vocaris muſicam, Viator.*
*Auras plectro demulſit Jubal :*
*Aures malleo Tubal obtundit.*
*Ille tibiæ repertor, hic gladii.*
*Utrumque noris ab uno ſatum Lamecho.*
*Nam effœminatus, ac ferus Pater,*
*Titulum diviſit Hæredibus.*
*Hinc alter effœminatur ad cantum ;*
*Alter efferatur ad arma.*
*Dubitas de magiſtro ?*
*Cerne tam diræ artis rudimenta,*
*Dices tam bonum ingenium à malo Genio.*
*En ut ipſo propè de Tartaro*
*Vulnificum ferrum ſcrutatur veneficus.*
*Vides, ut ſibilantes circum caminos*
*Fumoſus curſitans Faber,*

*Anhelantes agitat folles;*
*Qui toties animati & exanimes,*
*Alternum ſpiritum flammis inſpirant?*
*Illic crudus Artifex ferrum coquit;*
*Flammis domitum malleo cruciat;*
*Et ferro ferrum flagellat.*
*Quæris cur tam ferum ſit ferrum?*
*Suas in nobis vindicat plagas;*
*Et vulneribus eruditur ut vulneres.*
*O dira vitæ faſtidia!*
*Brevem vitam fecit Natura,*
*Breviſſimam culpa, Ars nullam.*
*Inventus eſt Caini Nepos, qui Caino invidiam demeret*
*Ille mortem vocavit, hic alas addit.*
*Ille in Campum duxit, hic armat:*
*Ille fecit ut mortalis mori poſſit,*
*Hic ut nemo vivus ſecurus vivat:*
*Ille unum occidit, hic quantos?*
*Quoties quisque ferro cadet, in hunc clamabo,*
Ferreus erat, qvi ferrum reperit.
*At malo tuo malam artem exerces Tubal,*
*Ferrum cudis, ferro cades.*
*Parricidam feciſti Patrem;*
*Cadèris à Patre.*

# S E T H

*Adami Filius.*

## SIMILES.

Hactenus prava germina.
Nunc ſacra, & duratura.
Mala tempora melioribus penſantur.
Qvicqvid Adamo ſuſtulit Cain, Adamus orbi reponit.
En geminum cum Abele Sethum.
Idem, & alius ab eo eſt.
Eadem frons, Religio eadem, idem Animus:

Jun

Digitized by Google

Junge nomina, totos junxeris.
Itaqve ſero partu fœcunda Mater,
Duos peperit in uno, vel bis peperit eundem.
Non periit Abelis innocentia, ſed deſultavit in Fratrem.
Diceres tam grandem animam,
Non uno contentam corpore, gemina impleviſſe.
Aut geminandæ Parentum voluptati,
Bis natum eſſe unum.
Nec in uno qvidem ſtabit.
Exibit generis invicti linea nobilis;
Et Patria virtus ſemel agitata,
Aget ſe in ſuccidaneos Herōas.
Felicioribus illæ terram aratris beabunt:
Gregibus ac Regibus leges ponent:
Ingenuas artes, ingenio extundent:
Templa Deo, Templis Vates vovebunt.
Décidet paſſim execranda Fratricidæ propago;
Et Abelis nitorem
Irrupta Sethi Gentilitas diù retinebit:
Meroſoqve Orbe, ſola enatabit.
O qvæſtuoſam Caini invidiam!
Dum Virgunculum perdit, fœcundum facit:
Et unum metendo, innumerabiles ſerit.
Sic profuturus ſemper noceat livor,
Timebit Orcus feracis exemplum vulneris.
Cum Dei Filium occidet,
Tertium Abelem;
Fertili ſangvinis elemento innumerabiles gignet.

# E N O S

*Sethi Filius.*

## E N C O M I U M.

Enoſſi verò laudibus nil potius addiderim,
Qvam qvòd ignotum Dei Nomen,
Sub mortales aures primus attulit.

Nil

Nil majus dici potuit, neqve brevius.
Tanta iſta virtus, ut abdiderit reliquas.
Interprete nimirum, ac ſequeſtre vocabulo,
Cum Empyreo commercia nexuit,
Ut tam facile ſit Deum rogare, qvam vocare,
Tempeſtivo igitur officio,
Poſtqvam Homines alloqvi deſiit Deus,
Hic Homines docuit cum Deo loqvi.
Nec levius arrogatum Numini decus,
Nam cùm ignotus Deus omnia noſceret;
Magna ſpargebat munera,
Sed vel ingrata, vel ingratis.
Suſpectum enim beneficium eſt ab ignoto.
Primus itaque Nomenclator Enos,
Divinis actis Nomen inſcripſit:
Et Hominum authorem Hominibus authoravit.
Excepere dulciſſimum Nomen Cœlitum Chori:
Et Sanctisſimis partum labris,
Inter aurium cunabula verſavere.
Arriſit amico vocabulo placidius Cœlum;
Et labentes ſoni reliqvias
Lambentes Auræ collegerunt.
Ivere in plauſus canoræ volucres;
Et ſcribendo Tetragrammato,
Suas certatim pennas pararunt Cychni.
Ipſas adeò Tartari latebras
Magni Nominis Echo perſonuit;
Atqve ingens veluti globus
De fulminali machinâ eliſus,
Trepidas Eumenides, conſternataſqve confecit.
Qværis qvid authoramenti retulerit Enos?
Idem accepit qvod dedit.
Homonymos enim cum ſuo Numine,
Deum appellavit, Deus eſt appellatus;
Aras poſuit, impoſitus eſt Aris.

CAI-

# CAINAM

*Enoſſi Filius.*

# MALALEEL.

*Cainami Filius.*

## OPPOSITA.

Caínamus & Malaleel,
Ignotæ Virtutis, non ignoti Virtuti;
Parem pietatem in nomine diſpari præ ſe ferunt.
Nam Cainam lamentabilem gemitum,
Malaleel lævum Numinis laudatorem, ſonat.
Optimo nimirum peſſimoque Seculo,
Certabant paria Virtutibus Vitia.
Hinc Religioſa Sethi poſteritas,
Illinc nefanda Caini genimina,
Procacitatem Modeſtiæ,
Sacrificiis ſacrilegia coæqvabant.
Itaqve Hominem inter Homines nullum inveniſſes;
Sed vel Angelos, vel Belluas;
Aut Arâ dignos, aut Harâ.
Adeo mortale Genus,
Vel extremos Numinis amores,
Vel extrema odia promeritum,
Voluptati, & mœrori
Parem materiam dividebat.
Diviſit proindè officium pietas:
Geminoſqve Myſtas initiavit;
Qvorum alter luctu, alter cantu litaret.
Sile jam, Græcia miratrix,
Demócriti, & Heraclíti diſparem Genium.
Poſſum melius par, divino de autógrapho promere,
Nam Cainam lugendo, Malaleel canendo,
Novem Secula confecere.
Ille oculos luctu, hic laudibus fauces attrivit:
Et antiqvam animam



Digitized by Google

Alter efflevit, alter efflavit.
Diutius tamen vixit Cainam:
Nam Mortalium lætitiæ ſuperſtes eſt dolor.
Deniqve à Cainamo Malaleel eſt ſatus:
Vera qvippe voluptas, lacrymarum eſt proles.

# JARED

## *Malaleelis Filius.*

## EXPOSTULATIO.

Eſt qvo tecum expoſtulem, Fama;
Qvæ tot prædita lingvis, quot plumis,
Circa Jaredi laudes implumis es, & elinguis.
Nam præter annos ac Prolem, nihil admodum pangis,
Non annis vivunt Mortales, ſed factis.
Tu Jaredi annos prodis, facta perdis.
Qvid eſt hoc aliud qvam occidere mortuum.
Fallor,
Authoritatem ex ſilentio qværis.
Ad laudum metam de compendio perveniſti,
Dum Jaredum Enoci Genitorem vocas,
Non poterat intempeſto Seculo tam bonus educi,
Niſi ex optimo Patre.
Qvàm magnum hoc fuerit, docuit mora:
Atavus enim eſſe poterat cùm Pater eſſe cœpit.
Ut non mireris tàm ſenili ingenio Puerum.
Nemo ſeriùs Prolem habuit;
Nemo enim diuturniùs erat habiturus.
Feſtiva non ſunt, qvæ feſtina.
Decennio parturit Elephas, ſed Elephantum.
Celeres partus velut ſibi præreptos, citò revocant Fata.
Tanti erat igitur novem Secula meditari,
Ut talem ſobolem de ſuo fingeret exemplo,
Omnium vero ſapientiſſimè,
Qvòd vix editum, Aris admovit:
Novum fœnoris genus, Deo fœnerari:

Dare

Digitized by Google

Dare qvod acceperis,
Ut luculentius recipias qvod dederis.
Nam qvi mortalis dedicatus eſt Puer,
A Morte eſt manumiſſus.
Potes jam tu ſecutus eſſe de Filio, de te Filius,
Utriqve bene cautum:
Neuter ſuam flebit orbitatem:
Tu Filio ſuperſtes eris, Filius tibi.

# E N O C H

*Jaredi Filius.*

## CENOTAPHIUM.

Inanem ex auro Tumulum molire, Faber;
Et vivaci emblemate
Cæleſtem hominem cæla.
Infantulus fingatur, Aris non Cunis reptans.
Septimus ab Adamo natus, Deo deſtinatus;
Ut in Septimo qvieſcat Deus.
Jam adultum ſolitudini affinge,
Ut honeſtæ legationi decoros comparet cultus,
Aureo ſqvalore lepidam maciem dita;
Argento lacrymas imitante:
Ut Pœnitentiam, ignotum nomen,
Non tam ſvadeat, qvam oſtendat.
Jam ſylvis digreſſus,
Laſcivos doceat Cainitas
Cæleſtem ultionem præoccupando vitare:
Ac delere lacrymis ſcelera, ne diluvio deleantur.
Heu tardæ Mortalium mentes!
Incredulos monet, non movet;
Ac flenda vaticinans, ridetur Vates.
Nimirùm, præcipites lentam ultionem non timent:
Ignari graviſſima qvæqve lentè ferri.
Ergo feliciori legatione ad Sethigenas miſſum,
(Qvos in Angelos vertit;)



Digitized by Google

Ab Angelis in ſublime raptum ſculpe.
Num liqvidum aera, num ætherem purum potiatur.
Nondum liqvet.
Hunc utiqve alicubi ſculpe,
Ubi extra Mortis jacula Mortem rideat;
Et vivis egreſſus, mortuis ſuperſtes,
Solus ſibi Phœnix, juvenile ſenium trahat,
Qvid agat dubitas?
Orbis ſpectator, Orbi ſpectaculum parat.
In Pſeudochriſtum pro Chriſto velitaturus,
Bellabit contra rebellem,
Et peremptus perimet peremptorem.
Hæc ubi expreſſeris,
Brevem Tumulo Epigraphen fige,
*Enochus hic non jacet.*
*Cum jacebit, omnes jacebunt,*
*Fleas, Viator, antequàm jaceat.*

# MATHUSALES

*Enoci Filius.*

# LAMECH

*Mathuſalæ Filius.*

## EUCHARISTICON.

Vobis verò inclyti,
Mathuſales & Lameche;
Humana plaudant ingenia;
Qvi diviniſſimam Artium Aſtronomiam Cælo devocaſtis.
Nitebant ignita illa Sidera, & ignota.
Clariſſimus ille Populus,
Tenebrionum more per noctem bacchari videbatur,
Neſciebant tempeſtates cui gratias haberent Aſtro,
Terrebant rudes ridenda Lunæ deliqvia;
Non terrebant comatæ Cœli Furiæ, Cometæ.
Ibat immortale lumen à caduco indiſtinctum;

Et

Et mediaſtini Vapores
Inter Stellarum Patritios numerabantur.
Omnia dixiſſes errantia Sidera,
Non incedere, ſed exulare.
Omnia caduca:
Die pereunte naſci, naſcente perire.
Totum deniqve Cœlum Oceano tumulari.
Sic improvidis vita carpebatur:
Et aſſiduas Planetarum lucubrationes inertiſſimi ſpectabant.
Hominum incuria, Aſtrorum erat injuria,
Dùm nomine carebant, ut patriâ.
Vos itaqve Cœli Filii;
Stupore duce, qvi optimus ignorantiæ comes,
Profanis impermiſſa penetralia rimati,
Cæli oculos Mortalium oculis oſtendiſtis.
Cœpere muta illa Sidera, deprehenſi Pròthei
Suorum curſuum aperire conſilia:
Et obſcuræ temporum leges,
Admotis facibus legi.
Paucis ante Diluvium Seculis
Nata ſunt Aſtra, qvia nota.
Sapuit Orbis cùm ſenuit:
Cælum noſci cœpit; cùm iraſci:
Ut diſceret Genus humanum qvid amitteret.
Deniqve pereunte Mundo, natæ ſunt Muſæ;
Qvarum prima fuit Urania,
Vos verò Cæli Interpretes,
Paucis ante Diluvium Solibus obiiſtis;
Tempeſtivo perfugio in Cælum recepti.
Qvaſi Homines circumvenire non poſſent Stellæ,
Qvandiù Stellarum amici viverent.
Omnium tamen ætates viciſti Mathuſales,
Longiore dignus Seculo:
Niſi qvæ procùl de Sideribus conjectaveras,
Propius diſpicere maluiſſes.
Detulit fatali Navigio utriuſqve reliqvias Nauclérus Noe.
Tutiſſima prorſus Navis:
Cui magneticam pixidem ſacra ſupplebat Urna,
Oſſa gubernaculum, ſaburram Cinis.

Suis igitur grata Vindicibus occurrat Urania.
Muſarum Parentibus parentent Muſæ.
Vos Hominum lingvæ in Cælum tollant,
Qvi Hominum oculis Cœlum obtuliſtis.

# MUNDI ADOLESCENTIA,
## MILITES.

# NOES
## LAMECHI FILIUS.

| *Cham* | Chriſti linea. Sem. | *Japhet.* |
|---|---|---|
| *Nembroth.* | Arphaxad. | |
| | Salem. | |
| | Heber. | |
| | Phaleg. | |
| | Revus. | |
| | Sarag. | |
| | Nachor. | |
| | Thares. | |
| *Loth.* | Abraham. | *Lothi Uxor.* |
| | Iſaac. | |
| | Jacob. | |
| | Tribuni duodecim. | |

NOES

# NOES

*Lamechi Filius.*

## ANATHEMA.

Adesdùm, Viator.
Qvam cernis Tholo ſuſpenſam Thrabem,
Votivum invictæ Navis fruſtulum eſt;
Qvæ nec velo acta, nec remige,
Semel omnes Mortales in Orbem novum trajecit.
Miraris? Majora audies.
Mali amores bonos mores infecerant:
Ætatem vitiis anteverterant homines,
Nondum adulti, jam adulteri.
Argumentum deformitatis erat pudicitia,
Non pudicitiæ deformitas.
Non diligenti manu mittenda erant Fulmina;
Qvàcumqve caderent, in ſceleſtum caſura.
Eò deniqve ſorduerat Tellus,
Ut dilui non poſſet, niſi Diluvio.
Unus in corrupto Seculo integer eſſe auſus eſt Noes:
Ut ſcias, magna inter Vitia
Magnæ locum eſſe Virtuti.
Hic fruſtra auditus vindictæ Præco,
Malè feriatos diù terruit,
Serò ſupplices futuros in ſupplicio tam ſerò.
Itaqve deſperatâ Cæterorum ſalute, conſulit ſuæ.
Nam Protofabro Numine,
Ut ineluctabile Undarum obſidium eluctaretur,
Arcam pro Arce molitur.
Ibi, ſanctâ cum Conjuge, Liberis, Nuribus,
Novus at navus abditur Nauta.
Vide qvàm mala fuerint tempora:
Totam Orbis pietatem trabs una ſuſtinuit.
Ibi divino delectu Animantium vivarium fecit:
Ut reliquæ cum Hominibus perirent Feræ,
In qvarum ingenia tranſierant Homines.
Increſcunt undecunqve ferales Undæ;

deſlu-

Digitized by Google

Defluunt, ſuperfluunt, circumfluunt.
Ut Orci mancipia plectant, Maria emancipantur;
Ut pereant Homines, tabeſcunt nubes:
Ut terras obruat, Cælum ruit,
Sorbentur cum Gregibus Populi;
Rotantur cum Populis Urbes;
Interit cum Urbibus Orbis.
Ne quid inultum vivat, aqvæ plectuntur qvæ plectunt:
Nam Maria ipſa in Diluvio pereunt,
Dum ſua nomina amittunt.
Qvale ſpectaculum, ſi ſuperfuiſſent ſpectatores?
Sola hæc indomitum Oceanum inſedit Machina,
Alterius Orbis ſpem claudens.
Luſit annuo in naufragio centenaria Navis,
Unica in Salo Salus:
Donec, qvæ omnia merſerat, emerſit Terra;
Et ſuffocatis flagitiis, Orbis reſpiravit.
Itaqve ſpeculatrice Columbâ, pacis internunciâ;
Omnium Hominum Portitor Noes,
In Orbem alium deſcendit.
Prodiere abdita illa meliorem Gentium exemplaria.
Feræ ipſæ, humano ex contubernio, minus feræ,
Suis ſaltibus redditæ.
Tum ex Arcâ ad Aram procedens,
Verus Deucalion,
Ætatis primæ poſtremus, ſecundæ primus,
Victimas pro naulo ſolvit:
Et hoc Ratis reſiduum pro Anathemate ſuſpendit.
Diſce Viator; immerſabilis eſt vera Virtus:
Medio in Ponto Portum inveniet.

# CHAM

*Noe Filius.*

## DIRÆ,

*Voveo te tuis Manibus,*

*Nava-*

Digitized by Google

*Navale mancipium Chame:*
*Cui provida Fata,*
*Calidum nomen pro ſtygmate inuſſere;*
*Quid enim Chami vocabulum, niſi ardor impurus?*
*Apage in Arcam illam dignior Ferarum conviva.*
*Quanquam fœdior nulla Bellua*
*Ex natante illo ſtabulo prodiit.*
*Nam illæ incluſæ caſtimoniam ſervarunt,*
*Tu ipſo in Salo ſalax:*
*Vel in Arcâ ſolutus:*
*Sanctiſſimam illam ſalutis onerariam*
*Laſcivo concubitu polluiſti.*
*Nec ſola hæc tua probra.*
*Primam Vindemiam dedicaverat Noes;*
*Ut triſtem aquarum memoriam vino reſtingveret.*
*At indoctus adhuc lymphantem Bacchum mulcere lymphis;*
*Qui de Oceano ſiccus emerſerat,*
*Fecit in craterе naufragium.*
*Robuſtior quippè vini vis,*
*Effœtum Senem proſtravit, nudavitque.*
*Parum fuit nudaſſe;*
*Niſi proditorum pudor, pudoris proditor Chame,*
*Ad paterna ludibria Germanos convocaſſes.*
*Tu ne igitur damnoſior, an Bacchus?*
*Ille Patrem ſpoliat, tu ſpoliatum oſtentas:*
*Uterque ingratus authori.*
*Furiæ te omnes, inſolentiſſime Puer,*
*Nova purgati Orbis macula;*
*Et unicum Patris malefactum.*
*Meritò illa derides, quæ te genuerunt:*
*Hoc ipſo turpia, quia genuere tam turpem.*
*Utinam oculis caruiſſes, aut lingvâ.*
*Nunc verendæ nuditatis inverecundus ſpectator, ac præco;*
*Dum tegenda & tacenda, nec tegis nec taces,*
*Nemo te protegat, de te nemo taceat.*
*Vereri incipies, quem deſinis revereri.*
*Ibis impacto Genitoris anathemate,*
*Nudum & ebrium Germanis ergaſtulum,*

Pp *Voto*

*Voto eodem Filios gignes, ſed ebrios;*
*Nepotes habebis, ſed nudandos.*
*Nam Palæſtina & Aſſyriâ purpurâ exuti,*
*Fabulam dabunt quam rides.*
*Quin fœdo eodem ſemine progeniti Æthiopes,*
*Impuriſſimi ardoris tui aſfricti fumo,*
*Mores tuos de ſuo colore teſtabuntur.*
*Nec in Parentis arcanis tua ſtabit curioſitas.*
*Nam præſtigioſus Inferorum ſcrutator,*
*Barbaro nomine Zoroaſter,*
*Magicas peſtes Orco evocabis;*
*In Orcum revocandus:*
*Ex Undâ ſervatus ad flammas.*
*Dediſce, Viator, mala culpare Tempora.*
*Semper ſibi Orbis conſtitit.*
*Ter ſi Diluvio mergatur,*
*Ter emerget impurior.*
*Vitia erunt donec Homines.*

# NEMBROTH

## *Chami Nepos.*

## DIGRESSIO.

*Aliquid extra orbitam*
*De Nembrotho leges, Viator;*
*Ne malis artibus partum pereat Nomen.*
*Magna etiam infamia debetur æternitas.*
*Hic inter inhumanos immanis,*
*Tàm corporis, quàm ſcelerum mole Terram oneravit.*
*Membra leges exceſſere, ut animum caperent exlégem,*
*Impotens igitur ſui quòd nimium poſſet,*
*Virtutem violentiâ violavit:*
*Et Aſſyriæ ſceptrum extorſit, ut torqueret Aſſyrios.*
*Itaque, ne mirere amiſſum Imperium, impio commiſſum.*
*Minimum eſt Homines vincere, niſi Deum laceſſas.*
*Nam primus Idololatra, & Idolum,*

*Divi-*

*Divinos ſibi bonores aſſeruit.*
*Debuerat ipſe Aræ admoveri, non ipſi Ara.*
*At Vulgo in adulationem prono,*
*Belus Jupiter dicitur, veriùs deinde Beelzebub.*
*Levi diſcrimine, Tyrannus colatur, an Dæmon.*
*Hinc leve nomen ut ſiſtat, marmori alligat.*
*Nam cruentis gladiis in ſcalpella verſis,*
*Suam lapidibus effigiem primus tradidit.*
*Hærente Naturâ inter imaginem & exemplar.*
*Niſi quòd mutuatis officiis,*
*Ipſe lapidi imaginem, lapis ipſi duritiam commodavit;*
*Et imaginis imago fuit.*
*Improſpera videbantur hæc ſcelera ſi perirent.*
*Ergo Turrim meditatur,*
*Quæ ultra Diluvii metum, ac Mundi metam,*
*Trophæa cum ſideribus miſceat.*
*Eò crevit impietas, ut condenda Solo Nomina, oſtendat Soli;*
*Et peccare jam pudeat, niſi peccet in Cælo.*
*Grandeſcit ſuis Authoribus ſimilis Machina;*
*Gigantium Turris, ac Turrium Gigas:*
*Quam inſiſtere ſperat, contra fulmina fulminaturus.*
*Sed ignavè ſuperbus Artifex,*
*Dum fluminum vires pavet, ad fulminum ſedes accedit,*
*Et patentiorem ſcopum exhibente magnitudine,*
*Vindicta occurrit quam fugit.*
*Confuſis igitur linguis,*
*Ut creſceret Moles, obſtitit Cælum;*
*Ut decreſceret, inſtitit Euphrátes.*
*Vertitur ab imo compacta ſcopulis Babylon,*
*Non ſolidum opus, quia ſtolidum:*
*Vani Nominis fulcrum, nunc vanum Nomen.*
*Uno prodigioſa miraculo, quòd ruente Turri, infamia ſtetit.*
*Hoc te volebam parumper digredi: ad Chriſti Proavos redi,*



Digitized by Google

# SEM & JAPHETH

*Noe Filii.*

## STATUÆ.

Effinge mihi, divine Phidia,
Ingenuos Juvenes duos,
Qvi collectum humeris palliolum
In nudum Patrem averſo vultu rejiciant.
Ex uno gemini ſpirent lapide.
Ut cognatæ materiæ nexus, unanimes fateatur, ac Fratres.
Tam Religioſum par Fratrum,
Nec Argi oſtendent, nec Athenæ.
Nivea Paros materiam dabit:
Ut notus marmoris nitor, nitoris arcani ſit nota.
Pudibundos volo, & attonitos.
Vis tales fingere; lapideos finge.
Nam magni pudoris anteſignanus eſt pallor, ſtuporis rigor.
Capitalibus verò literis hoc adjice Lemma.

*Piis Fratribus,*
*Semo & Japheto,*
*Paternæ & famæ tutelaribus.*
*Quòd Parentis nuditatem profanis oculis verberatam,*
*Honeſto pallii oppoſitu ſanctiſſimè prætexerint.*
*Et infami deriſore objurgato,*
*Infamiam ſui Seculi deleverint:*
*Ac per ſuos etiam Nepotes,*
*Impuris Chami Nepotibus,*
*Tranſcriptæ impudentiæ mulctam irrogaverint,*
*Ob eamque rem munerati,*
*Prò injectâ veſte, regiam Chlamydem receperint:*
*Quot Filios tot Reges,*
*Orbis univerſi Regionibus diſtribuerint:*
*Alter Hebræorum, Romanorum alter Parens,*
*Hebraicæ Romanæque Eccleſiæ Protoparentes extiterint:*
*Humani demum Generis Servatorem*
*Progenuerit alter, alter coluerit.*
*Terrarum Orbis univerſus,*

*Pro-*

Digitized by Google

*Proſperæ Pietatis Imagine in exemplum datâ,*
*Lubens gratusque gratulatur.*

# ARPHAXAD

*Semi Filius.*

SALEM *Arphaxadi Filius.*
HEBER *Salemi Filius.*
PHALEG *Heberi Filius.*
REVUS *Phalegi Filius.*
SARAG *Revi Filius.*
NACHOR *Saragi Filius.*
THARES *Nachoris Filius.*

## CATALOGUS.

Qvicqvid ſexcenti Soles dedêre Sanctum,
Catalogus hic dabit:
Reliqva devoravit oblivio.
Servari debuerant germina, Servatorem germinatum,
Hæc illa renovati Orbis innocentia
In Arphaxado, Salemo, atqve Hebero;
Qvi ſuos ſibi montes pro metâ poſitos rati;
Tamdiu curis, qvamdiu curioſitate vacarunt.
Itaqve ſuorum litorum cunabulis appoſiti,
Ubi naſcebantur, creſcebant;
Ubi creſcebant, denaſcebantur.
Hoc beneficio diluvium profuit;
Qvòd erectis montibus, ambitionem circumſepſit,
Sed nimirum bonis ſtirpibus agnaſcuntur ſtolones.
Creverunt Chamitarum corpora animis majora;
Nam peſſima ſtatìm adoleſcunt.
Crevit proinde ſpatii neceſſitas, & imperii fames:
Finitimiqve vocabuli authoritate,
Jus & Vis pro eodem accepta;
Tunc orti legiſlatores cùm mortuæ leges:
Tunc ſcripta Jura, cùm proſcripta Juſtitia.



Digitized by Google

Hinc nata Militaris diſciplina, Ars moriendi.
Eòqve inſolentiæ ventum,
Ut glorioſius haberetur Cælum aggredi, qvàm mereri,
Ac Deum adoriri, qvàm adorare.
Obſtitit Numen audacibus cœptis,
Faceto & inſigni commento:
Dum patriam Hominum vocem
In ignota comminuit idiomata.
Tyrannidis miniſtra lingva eſt:
Hanc Deus multavit, cùm mutavit.
Solvitur enim mala Reſpublica, cùm dividitur.
Profuit hoc tamen Orbi ſupplicium:
Dùm enim repentè Barbari,
Inter tot lingvas viderentur elingves;
Inutili jam convictu,
Inhoſpitum hàc illàc qvæſitarunt hoſpitium.
Diſtributa ſunt igitur cælitùs exilia qvæ colerentur.
Qvâ neceſſitate
Naves, mobilia Mortis domicilia, compactæ.
Hinc Maria Monſtris, Sylvæ Feris, ereptæ.
Deniqve unâ ex Chaldæâ
In Regiones omnes traductæ Coloniæ;
Et animatus eſt Orbis.
Solus Heberus, Hebræorum Pater, & Iſagógus,
Patrium Solum, vocemqve retinuit;
Et in pectoris ſacrario,
Natale idióma, ad divini oris Oracula conſervavit.
Natus Hebero Phaleg:
Cujus nomine lingvarum diviſio memoriæ conſignata.
Succreverunt Revus, Sarag, Nachor, & Thares:
Qvorum laudes ſiluit Moſes,
Ne magni Abrahami laudibus obſtreperent,
Itaqve de Abrahamo ut loqvamur,
Cæteri ſileantur.

ABRA-

# ABRAHAMUS

*Tharæ Filius.*

## NARRATIO.

Abrahami geſta narro, Viator audi.
Hic in Chaldæâ natus,
Cùm inter Siderum cultores, Authorem Siderum coleret,
Patrium Cælum amittere maluit, qvàm adorare.
Profugus igitur & palabundus,
Ut famem averteret, propè famam evertit.
Nam Conjugis ſpecies Abramo periculo fuerat,
Niſi Abrami ſolertia, Conjugi ſaluti fuiſſet.
Uſqve adeò mala ſarcina eſt pulcritudo.
Eò igitur perfugiens, unde profugerat;
Ex Ægypto in Cananitidem redux,
Aram poſuit, qvietis arrham.
Lothum habuit Fratris Filium;
Cui, permixtis divitii, commercia nexuit.
Societate creſcunt opes; ſed opibus decreſcit ſocietas.
Crevere cum prædiis famuli, cum famulis rixæ.
Nec geminum Solium, unum capiebat Solum.
Itaqve cùm affinitas confinium non pateretur,
Terram partire maluerunt qvàm corda.
Sed hæc humanarum rerum neceſſitas;
Sociata augeri, aucta dividi, diviſa perire.
Ergo amœniſſimam Pentapoleos Regionem
Tyranni qvatuor populantes,
Lothum abducunt.
Perierat Loth, niſi Patruum habuiſſet;
Qvi Servis trecentis ſub vexillum collectis,
Tot Hoſtias, qvot Hoſtes jugulavit.
Qvis jam trecentos narret Lacones,
Qvi non ſe numerant, ſed æſtimant?
Plus egere Abramo duce totidem vernæ.
Unam illi repreſſere aciem, hi qvatuor oppreſſere.
Adeò facilè militant, qvi Deum habent commilitonem,
Sic inter Mortales Abram floruit, ſed mortalis.

Infe-

Digitized by Google

Infelix erat felicitas, qvæ non habebat hæredem,
Nam, vanâ Nominis illecebrâ,
Abramus erat, non Abramus:
Pater videlicet, ſine prole.
Erogare illi omnia noluit Deus,
Ut aliqvid eſſet qvo Deum rogaret.
Rogando, Iſmaelem orbitatis ſolatium ex Ancillâ ſuſcepit,
Sed nondum ſatis.
Invidioſa erat Conjugis ſterilitati, Ancillæ fœcunditas,
Liberis egebat tanta Fortuna, non Liberis.
Itaqve, ut nihil jam à Naturâ deſideraret,
Nihilqve Naturæ deberet,
Rogando, de ſterili Conjuge Iſaacum ſuſcepit,
Sed carò emit tam carum pignus:
Ipſum qvippe ſenectæ gaudium,
Suâ jubetur dexterâ jugulare,
Lucroſo nimirum periculo.
Nam pro ſobole oblatâ, ſtellarum numerum æqvaturus,
Ex Abramo fit Abrahamus:
Ex inani Patre, multorum Pater.
Qværis qvàm magnus fuerit?
E ſinu metire.
Omnes probos gremio excipit,
Exceptos omnes, Beatos facit.

# L O T H

*Abrahæ Fratris Filius.*

## TOPOGRAPHIA.

*Sulphurea, Viator, quam cernis Lacuna, Pentapolis fuit.*
*Quinque olim Regibus beata ſedes;*
*Nunc fumoſum famoſi Cupidinis buſtum, ſuas faces experti,*
*Inverſis hujus ignibus reſoluta nubes,*
*Imbres in flammas verterunt.*
*Ut contra Naturam laſcivitum non dubites,*
*Naturæ legibus ità perverſis.*

*Nam*

*Nam contra Naturæ inimicos, inimica fœderantur Naturæ,*
*Ignis, & Imber.*
*Sic flendos inter luſus,*
*Igneâ procellâ afflati Cives omnes,*
*Præpoſterè arſerunt, ut amarunt.*
*Imo, geminato miraculo,*
*Ignis ex aquâ fluxit, mox aqua ex igne.*
*Ambuſtam quippe Regionis faciem*
*Pigrum delevit Mare; vero nomine Mortuum;*
*Cocyto ſimile, unde orta Venus.*
*Ita profanæ Urbes poſt incendium naufragæ,*
*A Vulcano mortem, à Neptuno tumulum habuere,*
*De more;*
*Nam Cupidinis flammas, lacrymarum ſequuntur undæ.*
*Nulla igitur hic Ceres, nec Cereris Comes;*
*Caſſæ tantùm fruges,*
*Et poma præſtigioſo colore blanda,*
*Experientium fauces putri eludunt favillâ.*
*In exemplum Voluptatis, quæ foris virida,*
*In pœnitendum mox cinerem vaneſcit.*
*Lætior illa Inſula, Lothi ſedes ac domus fuit.*
*Qui ſolus æruginoſo ſeculo purus, igne non eguit;*
*Soluſque ſuperfuit incendio.*
*Hunc ſuavi cum Uxore, ac Gnatis duabus,*
*Angeli de Hoſpitio grati vindicavere,*
*Lege datâ, ne Patriam à tergo reſpicerent,*
*Adeò divina judicia humanis oculis interdicunt:*
*Vel averſa Venus miſerationem demeretur.*
*At Fœminæ illiciuntur vetando: augente voluptatem periculo,*
*Hæc, clivo in iſto reſtitans, dum ſe vertit,*
*In Lapidem vertitur ſalſum,*
*Digna ſigillaria, quæ inſulſis mittantur.*
*Hoc in Monte, abſtruſus reſpiraverat Loth,*
*Filiarum comitatu; Uxoris jacturam leniente.*
*Sat felix, quod cariora flammis exemerat:*
*Neſcius heu puellarum ſinu pejora incendia foveri;*
*Quæ diù clauſa, ruinam faciunt.*
*Hæ ſe Virorum generi ſuperſtites ratæ,*

Qq Vir-

*Virginitatis tædio, maternum Thalamum ſcandunt.*
*Nimirum feſtivæ hilaritatis ſpecie Genium ſoluturæ,*
*Pleniores calices Patri propinaverant:*
*Ut Veneri lenocinaretur Bacchus, & ignis in igne fureret.*
*Hinc nefandæ Bacchantes, ebrii Genitoris implexæ amplexibus,*
*Fædis Liberalibus, fœdiora miſcent Floralia.*
*Oh, poſt illum Salem, adhuc fatuæ Sorores!*
*Debuerant Matri conformari:*
*Quæ niſi eſſet Statua, nunc fieret.*
*Verum eſt quod ajunt, lethalem floribus vitem;*
*Cum Virgineos necuerit flores.*
*Infelix Genitor, cui flammâ ſervatus?*
*Ignem fugit, & ſecum tulit in dolio.*
*Felix tamen, quod geminâ inter ſtupra caſtiſſimus;*
*Salvâ honeſtate, Filias fecit Matres.*
*Nam clamdeſtino Vini philtro obſtupefactus;*
*Baccho, Nocte, Somno, ter cæcus;*
*Inceſtum furantes Filias non ſenſit.*
*Ut non abſurdè aſſeratur Somnus Paſiphaæ Maritus,*
*Cum & inceſtificus eſſe poſſit.*
*Licet hoc etiam miraculis adnumerare,*
*Carneam Statuam, dormiendo gignentem.*
*Ergo utraque concepit rivalis Soror;*
*Et utraque Fratrem peperit.*
*Quorum alter Moabitis, alter Ammonitis, nomen fecit,*
*Olim Iſacidis infeſtum Genus,*
*Quale tali thalamo ingignitur.*
*Perge Viator.*
*Citrà fabulam tres fabulas tenes,*
*Phaetonta, Nioben, Myrrham.*

# LOTHI
## UXOR.
### METAMORPHOSIS.

*Quam ſtupes muliebrem Statuam*

*Tanto*

*Tanto artificio fictam,*
*Artifice caruit.*
*Genita fuit, & ſine ſcalpello ſculpta,*
*Et, quod impenſius mirere,*
*Olim ſpirabilis, & loquuta.*
*Brevi; Fœmina fuit.*
*Dicerem, eſt:*
*Niſi prodigium videretur,*
*Fœminam eſſe, & tacere.*
*Gorgonium vidiſſe illam putas?*
*Aut Ciconum fontem bibiſſe?*
*Erras: Se ipſa finxit.*
*Nam contra Divinum præſcriptum*
*Dum Patriam ſpectat, ſe amiſit.*
*Sola igitur Mortalium, nec Imagines egens, nec Sepulcri,*
*Ipſa ſuæ ſtupiditatis Imago,*
*In ſemitâ hæret.*
*Et in ſuâ Statuâ tumulatur.*
*Licet igitur intra Metamorphoſes numeratur*
*Fœminam ex verâ fictam:*
*Imò nunc veram, quia fictam.*
*Nam quid in Fœminis videas, niſi fictum?*
*Itaque mentiri ſolita, ſeipſum mentitur.*
*Mortua Vivam ſimulat, vel Viva mortuam.*
*Magis mirere,*
*Quod inſulſa, ſalſum migravit in lapidem:*
*In ſale mortua, quo viva carebat.*
*Sic ſolent Fœminæ: ſapiunt cùm pereunt.*
*Ah fuge hunc Salem, ſi ſapis, Viator.*

# I S A A C

*Abrahæ Filius.*

## TRAGOEDIA.

Adeſte Cives,
In Monte Moriáh Tragœdia dabitur,

 Cui

Cui nihil ſimile dedere Athenæ.
Idomenæus, & Agamemnon fabulæ ſunt:
Et ſi confero, mihi frigent.
Protaſin aget Numinis Internuncius;
Qvi Iſaacum patriâ jubebit dexterâ immolari,
Diſtrahetur infelix Pater inter filii vel fidei jacturam;
Aut incredulus futurus, aut crudelis;
Atqve ut totas ærumnas ſecum tractet,
Ad ignotam procùl Aram peregrinabitur;
Ut ſingula per veſtigia gladium parans,
Locum omnem horreat, dum locum ignorat:
Toties enectus anteqvam necet,
Epitaſin aget Iſaacus;
Spes Patris, ac timor: Cæli munus, & muneris pretium:
Tot victimis à Patre expetitus, nunc Patris victima:
Qvem Deus fœneratus eſt Puerum, ut repeteret Virum.
Uterqve procedet ſuorum myſteriorum Sacrifer:
Hic ligna geſtans, qvibus inardeat;
Ille facem, qvam Poſteritati ſubjiciat.
Nam totius Populi Caput de capite periclitatur.
Jam ad mæſtam Cataſtaſim venietur,
Hanc uterqve perſolvet;
Dum Arâ poſitâ, compoſitâ ſtrue,
Diſcet Puer ad ſe pertinere illum gladium.
Ambigeres, flebilior ne Sacerdos, an Victima ſit,
Niſi qvòd mollius eſt amanti,
Mortem impetrare, qvàm imperare.
Jam in ore primo ſtat Anima:
Jam gladium alter, alter jugulum nudat:
Jam Morti acerbiſſimæ nihil deeſt,
Præter id qvod Mortis acerbitatem adimit, Mors ipſa.
Sed Cataſtaſis horrorem læta excipiet Cataſtrophe:
Dum momento eodem,
Imperium Deus, ferrum Genitor, revocabit.
Itaqve ad fortunatum Rebeccæ connubium ſervato Puero;
Fœdus Aries pro ſuccidaneâ Victimâ Aram imbuet.
De more Numinis, qvi bonis minatur, malos perimit;
Sic Iſaacus iterum natus, Abrahamus iterum Pater,
Uterqve Actor, corollam ferent.

Agetur

Agetur Tragœdia ludis verè Olympicis,
Modos facient Cæleſtes Chori,
Spectante Cælo, Actore Homine, Authore Deo.
Qvi veræ cædis progymnaſma, ficta in cæde meditatus,
Eodem in Monte Filium immolando, Tragœdiam explebit.

# J A C O B

*Iſaaci Filius.*

## M O N I T A.

Habes, Viator,
Tot in Jacobo documenta, qvot geſta.
Hic in ſterili conjugio divinitùs impetratur.
*Diſce per vota qværere qvod optas:*
Nam magnum aliqvid porrigit Cælum, cùm flectitur.
Jam gemino tumente fœtu, Jacob optimus, Eſau peſſimus,
Feliciſſimamq́ ſimul, & miſerrimam fecere Matrem.
*Diſce qvàm finitimum Virtuti ſit vitium;*
Cum Mali Bonis agnaſcantur.
Sed ò prodigia! Rixantur Pueri anteqvam prodeant;
Et gladiatoria Palæſtra uterus eſt.
Tumulus eſſe poterat, ſi magna odia poſſent latere.
*Diſce qvàm præmaturè ſe prodant pupillorum ingenia.*
Ergo ex pellibus in aciem deſcendunt: ex utero in Orbem.
At primas obtinuit Eſau, hærente ad calcem Jacobo.
*Diſce commune rerum fatum,*
Ut dignitates indigni rapiant, non ſervaturi.
Vagus enim Venatur Eſau, rabidâ inſtinctus fame,
Flatulenta edulia Sacerdotio paciſcens,
Fit ex Domino Verna.
*Diſce qvàm ſtolida ſit improbitas:*
Nam irretitus ſuamet arte venalis venator,
Dùm ad eſcam involat, libertatem amittit.
Conſpiravit in Jacobi gloriam
Matris acumen, & Patris cœcitas:
Dùm Pius Impio ſimilis,
Paternæ dexteræ ſubrépens, primatum ſubripit,

Et Eſau capitur dum Feras capit.
*Diſce tua jura ingenio promovere:*
Humaniùs enim Mentis acie vincimus, qvàm Ferri,
Jam Fratris iras ut fugiat Jacob, Patriam fugit:
Et ſolicitudines per ſolitudines mulcens,
Exitium declinat exilio.
*Diſce quàm arduum ſit Fratres componere, niſi dividas.*
Magnus ex odio Jacobi labor; major ex Amore,
Rachelis conjugium,
Unam videlicet ſervitutem, ſeptenni ſervitute mercatur,
*Diſce Amoris nequitiam, qui Sapientes dementat.*
Impoſuit Jacobo Labanus,
Dum pro pulcherrimâ, lippam ſuppoſuit,
Bis igitur ut nubat, bis ſervit:
Et liberos ut acqvirat, libertatem amittit.
*Diſce quid avaro fidas, ſi ſangvinem ſudoribus vendit,*
Sed opportuna Soceri importunitas Genero fuit.
Nam ſterilem invenit pulcram, deformem frugi,
*Diſce humanarum rerum vices.*
Spem fallit ſpecies, utilia ſunt qvæ vilia.
Infelix igitur Rachel; ut prolem pariat, vota concipit;
Felix niſi litaſſet.
Nam animam ſimul, ac Beniaminum enixa,
Vitam amiſit, cùm dedit.
*Diſce quàm noſtra nos prodat Cupiditas,*
Perierat niſi páreret: periit qvia peperit.
Jam Natorum ac Pecudum Gregibus auctus Jacob,
Soceri auget invidiam.
*Diſce quàm magnum ſit infortunium magna Fortuna.*
At malum malo mutatur,
Dum à Socero lapſus, in Fratrem relabitur.
Sed inter furem ac furentem medius,
Illum dolis vincit, hunc donis.
*Diſce quàm ſecura munimenta ſint munera,*
Nam ferro invictos, auro vinces.
Ultima reſtabant tentamenta Virtuti.
Soceri aſtu, Fratris æſtu inconcuſſus,
Natorum flagitiis concutitur.
Cruento Joſephi ſpolio deceptus,

Fictam

Fictam cædem veris lacrymis luit.
*Diſce, multiplici ex connubio plus doloris quàm ſolatii progigni.*
Rediit tandem felicitas ſera, ſed ſeria.
Lætâ enim ac tragicâ agnitione,
Dum Benjaminum repetit, Joſephum reperit.
Itâqve inter Filios duodecim, oſcula & Animam dividens,
Ingenti felicitati ſuccubuit.
*Diſce Virtutis leges, Viator;*
Verè ut gaudeas, diù lugendum.

# TRIBUNI XII.

## *Jacobi Filii.*

## SOMNIUM.

*Suavis futurorum interpres Somnus,*
*Vel Joſepho ad Cœlum rapto,*
*Vel Cœlo ad Joſephum delato,*
*Talibus Oraculis puerile pectus implevit.*
Huc nobilis Infans,
Signiferum illum Orbem, Phœbi Phœbeſqve curriculum, vide;
Ubi Aſtra duodecim, tempeſtates alternant.
Veſtræ familiæ vides Emblema.
Hic Signorum Princeps, ac vernæ fœcunditatis antiſtes,
Aureo vellere nitens *Aries*, te tibi oſtendit:
Cui Primigeniorum dignitatem
Naturâ negatam Virtus dabit:
Cùm ex famulo Princeps,
Ægyptum ditabis, ab Ægypto ditabere.
At ille toroſus, & aratro ſacer *Bos*,
Iſſachar eſt:
Qvi oneris qvàm honoris patientior,
Vectuta vectitans, juge perferet jugum,
Jam *Geminorum* Fratrum nodus Benjamino aſtruit.
Vero Philadelphiæ exemplo:
Unico tecum animo, qvia ab unico utero.
Jam verò ſub æſtuoſum Tropici limitem
Refugus latibulans *Cancer*,

Nephtha-

Digitized by Google

Nephtalis eſt, à recto retrogradus.
Nec ſervile ingenium mirere, de Servâ naturâ.
Cernis ſubinde jubatum radiis *Leonem*,
Magnanimum, victor, ſtrenuum caput?
Hæ Judæ dotes;
Qvi nomen Genti, ſceptrum Regibus, Meſſiæ natales dabit.
*Virginem* verò,
Solivagum, ſeverum, ſed caſtum Sydus,
Ad Levim referas.
Qvem pudicitiæ amor ultorem libidinis faciet:
Ac Tribu ſoloqve dimotum, aris Temploqve admovebit,
Danum æqviſſimum Judicem, *Libra* præſagit:
Qvæ noctem diemqve, hoc eſt pœnas & præmia,
Pari lance ſuſpendit.
Cerniſne *Scorpionem* illum truculenter blandum;
Ore innocenti, nocente cauda?
Simonis perfidiam notat:
Qvi vel ſuo proditor nomini,
Paci verba, dexteræ telum aptans,
Credulo Sichem, citius jugulato qvam jugato,
Nuptialem ipſam facem ſupponet.
Nec melius ex *Centauro* præſagium.
Hic humanâ ſpecie, eqvinâ laſciviâ biformis,
Rubeno reſpondet.
Tantæ humanitatis, ut tuo funere pollui nolit:
Tantæ laſciviæ, ut Patris thalamos ultrò polluat,
Æqvè pius dum Fratres ſervat,
Ac impius dum Fratres gignit.
Pari igitur præmio pœnâqve dignus,
Primigenius naſcitur, Primigenia amittet.
Fuge; fœdiſſimum *Capricornum* cum Gado conferas:
Deformes, ſed uniformes.
Nam Martis ille ac Maris turbator,
Campos cædibus, freta tempeſtatibus aſperat:
Hic, Sociorum qvietem movebit;
Ditiones ſeditionibus agitabit.
Contrà verò,
Regius hic Miniſter *Aqvarius*, Azeri ſchema eſt,
Qvi de gregali ad Regalem ſedem vocatus,
Regum

Regum animos tractabit, iras mulcebit.
*Piſces* demum, lubricæ Maris animæ,
Zabulonis ſortem pingunt.
Qvi piſculentam ſortitus oram,
Divitias ac delicias comparabit.
Hæc veſtræ Fortuna Domus;
Cœli Filia, Cœlo nixa, cum Cœlo duratura.
Qvid enim Cœlum, niſi Myſteriorum Pictura?
*Hæc vaticinatus Sopor, evanuit.*
*At experrectus Joſeph,*
*Suo Somnio Fratres fecit inſomnes.*

# MUNDI JUVENTUS.
## DUCES.

# JUDAS
## JACOBI FILIUS.
Chriſti | linea.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| *Ex Levi.* | *Joſeph.* | Phares. | *Ex Dan.* | *Ex Eſau.* |
| *Juda fratre.* | *Juda frater.* | \| | *Juda fratre.* | *Jacobi fratre.* |
| \| | \| | \| | \| | \| |
| *Moſes, & Aron.* | *Joſues.* | Eſron. | *Samſon.* | *Job.* |
| | | \| | | |
| | *Gadeon.* | Ramus. | | |
| | | \| | | |
| | *Jephtes.* | Aminadab. | | |
| | | \| | | |
| | | Naaſon. | | |
| | | \| | | |
| | | Salma. | | |
| | | \| | | |
| | | Booz. | | |
| | | \| | | |
| | | Obed. | | |
| | | \| | | |
| | | Jeſſe. | | |



Digitized by Google

# JUDAS

*Jacobi Filius.*

## ETYMON.

Tertium vides Orbis Parentem, Viator.
Qvi Fati conſilio nomen à Laude ſortitus,
Gerendorum præſcium, geſtorum pretium,
Id meruit adultus, qvo donatus eſt infans.
Ergo ne ſilentium rapinæ damnetur,
Suum Judæ Etymon pro præconio reſtituo.
Animum illum celebra magnum, ſtrenuum, juſtum;
Qvalem poſcebat Mundi Juventa.
Magnitudinis fuit.
Qvod Patri ſe Vadem pro Benjamino devovit:
Certus, aut raptum reducere, aut raptorem.
Strenuitatis, qvod hoſtiles ſectas hoſtiliter inſectatus,
Bella exercuit pro venatu.
Juſtitiæ, qvod ignoti inceſtus ſe conſcium noſcens,
Brevem luxum diù luxit.
Has ut laudes unico vocabulo conſtringeret Fatum,
*Judam* vocavit.
Migravit in Stirpem tanti Nominis teſſera:
Nam Judæ Tribus, Tribuno ſimilis,
Juſtitia, ſtrenuitate, magnitudine cæteras vicit,
Hæſit Nepotibus avita gloria pro ſtimulo.
Qvi ne Nomini impares arguerentur,
Numini pares eſſe debuerant.
Eodem tituli augurio Regia dignitas fulſit:
Qvæ Primogeniti annis debita, indebita vitiis,
A Rubeno ad Judam, ab Evirato ad Virum, transfúgit.
Adeò facilius eſt nanciſci Reges, qvam naſci.
Hujus Imperio nullum majus.
Nam longâ perpetuâqve Regum lineâ decurrens,
Deniqve in Dei humeris ſedit.
Ità Judæ Solium fuit altius Sole,
Nec cæco Providentiæ myſterio,
In *Juda* Nomine infandum Dei Nomen invenies.

Addi-

Addito *Delta*, qvod *Januam* ſonat.
Nam Divinitati ad Mortales ingreſſæ,
Judæa Virgo Janitrix fuit, & Genetrix.
Qvanta hæc Judæ Gloria, qvòd ſui Author Authoris,
Numen numeris inter Nepotes, & Judæus dicatur Deus?
Sed, heu miſeræ vices?
Tanti Nominis laudem ſimile Nomen inficiet.
Surget *Judæ* Antagoniſtes Judas.
Hic Numen edet, ille prodet:
Sanctumqve os putri violans oſculo,
Suummet Nomen contaminabit.
Dediſce Viator avitos jactare Faſtos.
Hominum eſt Virtus, non Nominum.
Nam totidem literis Meſſiæ Patrem appelles, & Parricidam.

# JOSEPH

## *Jacobi Filius.*

## EULOGIUM.

*Dulces Rachelis primitiæ Joſeph,*
*Ut primus evadat, undecimus naſcitur.*
*Egregium aliqvid meditante Naturâ,*
*Qvæ tot exemplaria delineavit, ut unum abſolveret,*
*Paternæ virtuti, maternæ pulcritudini compar:*
*Ut impares Fratrum mores de ſuo Typo corrigeret,*
*In ſopore Vigil,*
*Pingente Somno, futuræ dignitatis expreſſit imaginem,*
*Sed periculoſa res eſt eminere.*
*Per cognatum livorem*
*Vivus humatur, exhumatus divenditur.*
*Infelix Puer,*
*Vel perimatur ne imperet, vel ſervetur ut ſerviat,*
*Bis infelix,*
*Ab Eunucho emitur, ut ſerviat Fœminæ,*
*Ter infelix,*
*Purus impuræ ſervit, ingenuus captivæ:*



Digitized by Google

*Nam liberali mancipii ſpecie Domina capitur.*
*Hic inboneſtum thalamum fugit:*
*Sed voto repugnat forma, pudore aucta.*
*Itaque inverecunda procaciùs proſequitur verecundum.*
*Hic Domino, quam Dominæ obſequientior, fugit:*
*Illa denique, impudentiâ impudicitiæ ſuffragante,*
*Arrepto pro Juvene palliolo,*
*Indicium criminis inſonti objicit.*
*Quid multa? favor ſequitur ream, reatus inſontem.*
*Itaque liberalius ducens Joſeph,*
*Servili còmpede, quam berili amplexu conſtringi,*
*Carcerem ſubire maluit, quàm mereri.*
*Sed Virtus quicquid intrat, condécorat.*
*Læta ac mœſta ſomniante Pharaóne,*
*Ut ambages ſolvat, vinculis ſolvitur;*
*Anguem diceres per latebras tractum,*
*Ut exiret nitidior.*
*Ægypti Fata denuncians, Ægypto præficitur.*
*Nemo enim melius proſpicit malis, quàm qui proſpicit mala.*
*Itaque ore affirmato, re firmato præſagio;*
*Nunc ferax, nunc ferox tempeſtas,*
*Septennem fertilitatem, ſeptenni ſterilitate devoravit.*
*Nepos nimirum Naturæ, cùm prodigit, décoquit.*
*Hinc optimus Promus-Condus Joſeph,*
*Frumento gravidas Pyramides pandens;*
*Calefactâ annonâ promit, quod tepente condiderat.*
*Ita Ægyptiæ Pyramides, jam ſepulcra, mox horrea,*
*Ægyptios alunt quos tumulabant.*
*Tunc Aſiâ in Ægyptum emendicante,*
*Frumentatores Fratres agnoſcit Joſeph;*
*Pia Fati Talione:*
*Ut ab eo vitam emerent, quem vendiderant.*
*Dulciorem tamen agnitionem ſimulato facturus jurgio,*
*Ceu furto deprebenſo, ceu fures comprebendit;*
*Pari violentiâ amorem pectore, carcere Fratres, includens.*
*Sed lubrica res eſt Amor,*
*Medullis coercitus pupillas rumpit:*
*Cæcusq; per oculos viam rimatur.*

*Lætas*

Digitized by Google

*Lætas igitur liquatus in lacrymas Joſeph;*
*Suis ſe proditoribus prodit.*
*Cœlum diceres illam Domum, Aſtris duodecim lætam.*
*Sed ſine Sole, dum ſine Patre:*
*Qui demum accerſitus, totam Fortunam ſerenavit.*
*Omnia recuperaverat præter Patriam.*
*Huic oſſa legavit pro Oraculo:*
*Ubi, poſt obitum peregrinatus, tandem quievit.*
*Semel mortuus,*
*Bis tumulatus,*
*Ter fletus;*
*Quater felix.*

# P H A R E S

*Judæ Filius.*

## P R O D I G I A.

Adoleſcens quem cernis, Phares eſt:
Matris inceſtu, Patris adulterio ſatus:
Parentum dedecus, Nepotum decus.
*O Prodigium!*
Duos fleverat Viros, eosque Leviros Thamar,
Tertio deſponſa Fratri, & fraudata,
Ne orbitatem fleret,
Fraudulentâ libidine, ab Judâ Socero Prolem furatur.
Nam pellax Pellex,
Proſtituto corpore, non vultu,
Filium concepit Mariti Fratrem, ignota Nothum.
*O dirum Prodigium!*
Obſcuri ſceleris palam convicta Meretrix,
Accuſatore utero, Socero Judice, ad flammas trahitur:
Ut Veneris crimen Vulcanus plectat;
Et flammam expiet flamma.
Sed productis ſcortationis præmiolis,
Sigillo, ſudario, baculo;
Reum Judicem convicit Rea.

 O im-

Digitized by Google

*O implexum Prodigium!*
Sanctum adulterio miſceri, adulterio Sanctum gigni,
Imò unico adulterio bis adulter Judas,
Crimen geminat:
Qvippè unico inceſtu, geminos gignit,
*O probroſum Prodigium!*
Gemello inſtante partu,
Exertam Zaræ dexteram purpurâ diſtingvit Obſtetrix;
Purpuratam dexteram in uterum revocat Zara:
Et poſterior Phares oritur prior.
*O divinum Prodigium!*
Qvid monſtri ferunt hæ vices?
An purpureum vinculum,
Ut Ægyptiæ captivitatis omen, exhorret Infans?
An penitus in uterum reſilit,
Ut purpuream Regni Notam oſtendat Fratri,
Cui divinæ Stirpis Authori debentur primæ?
An qvòd Auroræ plagam ſignificet Zara,
Purpuream Auroræ Notam coruſcat,
Ut Solis inſtar procedat Phares?
An gemini Populi præpoſteræ notantur ſortes;
Nam qvi legem prior accepit,
A legis actis manum retraxit.
*O felix Prodigium!*
Nemo utilius peccavit, qvàm Thamar:
Nam legitimâ areſcente Judæ Prole,
Tota Judæorum Regum Sylva
De ſpurio hoc Stolone propagatur.
Pio Providentiæ Conſilio;
Ut decolor Hebræorum purpura
Haberet unde erubeſceret:
Et Regali Throno oppoſitus Thamaris Thorus,
Tyrannicum typhum excuteret.
*O maximum omnium Prodigium!*
Regia Chriſti Gentilitas hoc probro ſuperbit;
Et Virginei Partus Aviæ, jactantur inceſtæ.
Nam Chriſti Genitores ex Thamare dicuntur Nati.
Sive id augendo Divinorum Natalium ſplendori:

Nam

Nam fœdiore in nebulâ clarior elucet Iris,
Sive minuendæ ſeveritati:
Dum criminum Vindex, criminoſos invenit ſuos.
*O læta Prodigia!*
Abi Viator, & Spera.

# J O B

## *Eſau Pronepos.*

## MONOMACHIA.

*In Arenam, ô Cives!*
*Gemini congrediuntur Athletæ;*
*Orientis alter, alter Occidui Solis Imperator;*
*Job, & Dæmon.*
*Simplicem illum videbitis cum multiplici Hoſte pugnantem,*
*Illum ſemper eundem; hunc ſemper alium:*
*Qui formâ carens, formas alternat.*
*Sed proderit Jobo adverſarii varietas,*
*Toties unum triumphaturo,*
*En, mollium Sabæorum ſpecie ſimulatus Hoſtis,*
*Jobi Boves prædatur,*
*Hæc prima Dæmonis velitatio, Robur enervare deliciis.*
*Sed irrito eventu,*
*In flammam mutatur flammarum hoſpes.*
*Et Cælo cadens ubi ſtare non potuit,*
*Incendit quàcunque incedit;*
*Et paſcentes oviculas igni depaſcitur.*
*Hinc Magicum Chaldæorum agmen mentitus,*
*Camelos cum rectoribus corripit.*
*Suſtinet hanc jacturam divinus Pugil,*
*Qui opibus impeditior quò ditior,*
*Æquè beneficum vocat Numen, ſive opes afferat, ſive auferat.*
*Sic prædonem angit, dum de prædâ non angitur,*
*Hactenus proluſit aggreſſor: jam propiùs,*
*Ut Regiam evertat in ventum vertitur:*
*Nil enim aulâ nocentius vento.*

*Omnes*

Digitized by Google

*Omnes turbat hic turbo præter illum cui nocet;*
*Qui ruinas inter infractus,*
*Lætiore Cælo fruitur dum tecta ſubsidunt.*
*Sed majores ciet lacrymarum nimbos hic ventus.*
*Dulcem Senis Sobolem inter epulas ruina ſepelit.*
*At facilius Terram movet, quàm Jobum:*
*Qui ruente Familia ſuſtinere poteſt orbitatem.*
*Spoliato quid ſupereſt? Vita.*
*Hanc Tortoris Imagine, cruciat, non rapit:*
*Ut intra corpus, & cadaver medius,*
*Job vitam optet, vel Mortem.*
*Job neutram curat*
*Et ante Numen cadens Æmulum ſternit dum ſternitur.*
*Debellaverat; niſi defeſſus Antagoniſta,*
*Deteriorem ſibi vicarium ſufficeret, Fœminam.*
*Viro igitur Uxorem delegat;*
*Quæ poſtremam ſuis malis imponere manum ſvadeat;*
*Et Mortem Morte antevertere.*
*Beneficam crederes hanc Maleficam, niſi eſſet Uxor,*
*Cui luxus eſt, debili marito carere.*
*Detrahit hanc Pietatis larvam Mariti pietas;*
*Ac lingvam lingvâ retundens,*
*Vivere mavult, inviſus Conjugi ac ſibi;*
*Totieſque Hoſtem verberat, quoties ſpirat:*
*Et nihil amaturus præter Deum, Mortem etiam odit.*
*Nam poſtremis in malis,*
*Fortius eſt Mortem arcere, quam arceſſere.*
*Jam inter rapinas & ruinas nudus, palmam tenet.*
*Sed ipſam in palmam victus involat Dæmon:*
*Et ultimos conatus adhibet, amicorum probra.*
*Hi tantâ virtute amaris ſalibus reſperſa,*
*Famoſis carminibus Victoris famam corrumpunt.*
*Habet hanc felicitatem noviſſima calamitas,*
*Quod invidiam extingvit: hoc uno invidenda.*
*Job omnium miſerrimus, invidos habet amicos,*
*Nimirum Poetas,*
*Tam malè mordaces, ut vel ulceroſum mordeant.*
*Adeo inter Aulicos, Virgines Muſæ laſciviunt.*

Evicit

*Evicit extremum hunc laborem ſtrenuus Job.*
*Qui contemptus & contentus, Hoſtes Hoſtiis luſtrat.*
*Hic toto Cæli Theatro plauſus excitus.*
*Nec minore præmio, quàm prælio,*
*Regno, Liberis, Opibus, duplo Auctior,*
*Suos ipſe luctus cecinit:*
*Et calamitates calamo felices fecit.*

# E S R O N

*Phareſi Filius.*

RAMUS, *Eſroni Filius.*

AMINADAB, *Rami Filius.*

## AULICISMUS.

Aulam eſſe Auram,
Triumviratus hic docet;
Aulicæ Fortunæ levitatem expertus;
Quæ cum Eſrone proceſſit,
Cum Ramo ſtetit;
Cum Aminadabo receſſit.
Nemo igitur Eſrone felicior Aulicus.
Nam cùm injuriâ Sideris depulſa Ceres,
Aſiam, atque Africam fugeret;
Et arerer, qvicqvid araret:
Eſron in Ægyptum receptus,
Regnante Amoſi Pharaone, Proregnante Joſepho Patruo,
In ſolivago Thebaidis ſolo cælitum vitam vixit:
Urbicas delicias nactus inter Agreſtes.
Candida enim felicitas mapalium fumo non tingitur.
Senſit Colonorum innocentiam Canopi Tellus;
Qvæ regali Judæorum vomere exculta,
Vota frugibus anteivit,
Ac nihil debuit Nilo.
Certavit cum agrorum fœcunditate agricolarum fœcunditas,

Nam exiguus Iſraëlitidum cœtus
Prodigioſâ ſuperfœtatione implevit Ægyptum,
Dubitas quantâ vi ſoboleverint?
Una Judæ Tribus quinos in Ægyptum deduxit Pueros.
Intra octogeſimum luſtrum,
Septuaginta millia bellatorum diduxit,
Adeo clementiâ Principis propagatur Reſpublica;
Et Favonius conceptui favet.
Hactenus cum advenâ Eſrone velificata felicitas,
Cum Ramo indigenâ, ſubſiſtere cæpit.
Nam ab Amoſi ad ſuccedaneos Pharaones
Ægyptio deſultante ſceptro;
Joſephi merita cum Joſepho funeravit oblivio.
Hoc Aulæ ingenium:
Malefacta in ſaxo, Benefacta in aqvis ſcalpuntur;
Et cum beneficiario interit beneficium.
Tantam igitur Judæorum fortunam
Seqvuta, ut ſolet, invidia:
Cui omnia ſuſpecta, niſi deſpecta.
Noviſſimæ igitur calamitati ſervatur Aminadab,
Male Regnante Amenophi:
Qui Regiam Judæ ſtirpem, luteo miniſterio defixit,
Additis operarum Cenſoribus.
Qui, crebriore quæſtione quàm quæſtu,
Ceſſantes inceſſerent;
Ut infelix Populus operam, aut animam ageret.
Hæc Tyrannorum Natura;
Divitias rapere quas donent, timere quas dederint?
Ac ditatos calcare ne calcitrent,
At innoxiis nihil noxium,
Semineces Hebræi, & vivaces,
Baſilicæ inſtar herbæ, creſcunt per jurgia.
Qvamqvam doloris auctarium eſt
In ſterili fortunâ fœcunditas.
Horruit Pharao feracem hanc Excetram;
Contra quam gladio niſus,
Fœmineos Hebræarum fœtus vivere jubet ad Venerem,
Maſculos vetat.

Æquè

Æquè iniqvus dum perdit, ac dum parcit:
Comite ſemper crudelitatis laſciviâ.
Infelix omnino Aminadab,
Qvòd non citiùs aut ſeriùs naſcitur.
Nempè, cùm Hebræa libertas,
Ægyptum attigit aut reliquit,
Imò omnium feliciſſimus,
Qui tantum infortunium fortiter tulit.
Miſerum enim eſt, miſerum eſſe neſcire.
Age Aulice:
Tres horum ætates compone, Aulici ætatem habebis.
Cui mendax fortuna,
Primum applodit, mox ſupplodit, demum explodit:
Qvod ſi Aulæ vicibus, Principum vices accedant;
Sis licet cautus, non vitabis has cautes.

# MOSES

*Levi Nepos.*

## EXEGESIS.

*Hactenus Homines Natura genuit, nunc Deos.*
*Provectiori Mundo ingenium crevit,*
*Novi Regis odio flagrante,*
*Nova Hebræorum ſpes naſcitur, Moſes,*
*Ortu, Vitâ, Obitu.*
*Intra fidem, ſupra opinionem.*
*Utero exactus flumini traditur;*
*Ut lethes eſſet pro lavacro.*
*Sed jacturâ caruit hic jactus.*
*Mergi non poteſt ſpectata pulchritudo.*
*Inter papyros hærentem ac biblos*
*(Jam tum Biblia meditabatur)*
*Regia ſpectans Puella;*
*Optat, educit, adoptat, educat.*
*Sed lubricum Aulæ culmen ingenuit,*
*Fratrum oſores peroſus,*



Digitized by Google

*Ægyptio confoſſo, Ægyptum deſerit.*
*Obſcuro ſeceſſu, ſucceſſu illuſtri.*
*Nam Ovium Paſtor, mox Hominum,*
*Dilecto Populo deligitur Princeps.*
*Primus Moſi labor, Hebræorum libertatem rogare:*
*Sed à Tyranno.*
*Fruſtra nimirum rogantur, quibus aures in oculis.*
*Manu igitur quàm linguâ, facundior,*
*Ut aures audiant, oculos terret.*
*At quos Deus obfirmat, plectas faciliùs quàm flectas,*
*Hebræos cedente Mari incedentes,*
*Vado ſequitur Pharao,*
*Sed in undis demerſus, memori elemento pœnas dedit,*
*Quas naſcenti Moſi decreverat.*
*Sic ſuis artibus pereunt Tyranni.*
*Tanta pro ſuis fecit Moſes, plura pertulit à ſuis.*
*Nam ſternax vulgus promiſſas ad ſedes eductus,*
*Angitur dum agitur;*
*Sanctumque ductorem, ut ſeductorem criminatur,*
*Adeò nec Probi immunes à probris.*
*Profuit Moſi Paſtoritia:*
*Didicerat cum Brutis vivere.*
*Quanta in contumaces miſſa beneficia, & amiſſa?*
*Liquitur invito de Pumice non ingratus ingratis liquor:*
*Virgâ lapides molliente, non Homines.*
*Sapit ſiti admonitis amarus nuper aquarum hauſtus:*
*Nec linguæ amaror melle depellitur.*
*Tota condiendis altilibus ancillatur Natura:*
*Sed rabida ora munus mandunt, munificem mordent.*
*Caneſcunt dulci rore concreta gramina:*
*At delicata Mancipia incipiunt faſtidire delicias.*
*O veſtro luto lutulentiores?*
*Nil diſſolutius ſervo recens ſoluto.*
*Nam ſervitutis impatiens, libertatis incapax,*
*In ſervitio libertatem amat, in libertate ſervitium.*
*Duras igitur ut cervices emolliat Moſes,*
*Ad Tonantem ſcandit per fulmina;*
*Leges rogaturus, quas irroget.*

*Sed*

Digitized by Google

*Sed divino è cultu Deo ſimilis reverſus,*
*Geminas facie faces ejaculatus,*
*Jumenti Cultores Jumento ſimiles reperit:*
*Qui paſſim ſtrati,*
*Legem detrectant, obtrectant Legislatori.*
*Adeò periculoſum Antiſtiti gregem deſerere,*
*Etſi Deum adeat.*
*Jam verò iteratis oraculis,*
*Ter alius, & ter idem,*
*Civile, Militare, Pontificium Jus edens;*
*Proceres, Duces, Pontifices,*
*Foro, Caſtris, Templo conſtituit.*
*Omnium ditiſſimus,*
*Deum in Arcâ poſſedit.*
*Omnium doctiſſimus,*
*Divina geſta Commentariis excepit.*
*Omnium ſtrenuiſſimus,*
*Stationes quaterdenas annis totidem metitus,*
*Viam per avia vel invenit, vel fecit.*
*Quin ipſe Belli Dux, & bellica machina,*
*In Monte fixus,*
*Hoſtem dejicit, dum manus erigit.*
*Populo denique tot per clades traducto,*
*Primum ac poſtremum optati ſoli conſpectum rapiens,*
*Patriam amiſit, cùm vidit.*
*Hoc tantum humanum fecit, quod defecit.*
*Morientem nemo vidit,*
*Mortuum nemo invenit,*
*Tumulum nemo exexit:*
*Si Deus moreretur, ſic moreretur.*
*Quis Moſem neget Pharaonis Deum?*



Digitized by Google

# AARON

## *Moſis Frater.*

## PARÆNESIS.

*Adeſte Præſules, Paucis vos moneo.*
*Cecidi; nemo fidat: Convalui; nemo diffidat.*
*Ego Pontificum Princeps, & Principum Pontifex,*
*Moſis frater, imo lingua fui.*
*Nam quo alteruter carebat, ab alterutro ſumpſit.*
*Illi ego linguam, ille mihi manum ſuffecit.*
*Uni omnia nunquam conceſſa.*
*Sed ego nimio indulgentior,*
*Vulgo Deum Deo meliorem flagitanti, Dæmonem dedi.*
*Inaurium auro flammis domito, Monſtrum conflavi:*
*Ut aurium dolore oculi reſipiſcerent.*
*At nimis imperitè aureum formavi, ſi coli nolebam:*
*Cum aurum colàtur vel informe: & Numus pro Numine ſit.*
*Materiæ pretio vilem addidi Jumenti ſpeciem,*
*Ut Numen darem colentibus ſimile.*
*Sic circa Vitulum vitulanter laſcivi;*
*Et Paſtores ducuntur à Pecude.*
*Itaque in elemento eodem, Deum Moſes, ego Dæmonem reperi.*
*At nemini ſuum artificium pluris ſtetit.*
*Lenius Authorem torſit Phalaridis Taurus,*
*Quàm meus me Vitulus.*
*Nam ſemel illi gemuit, ego ſemper.*
*Finem ludicri luctus excepit:*
*Dum Vulcano redonatus eſt Vitulus,*
*Et flamma ſcelus delet quod fecit.*
*Tum, verſo in medelam veneno, Idóli Cineres in aquis ſorbui.*
*Ut Bacchi facinus eluerent lymphæ,*
*Itaque ad oculos tranſmiſſo piaculo, meum Idólum efflevi.*
*Hinc, ultore Levitarum gladio Populum depopulante,*
*Toties cado, quoties video cadentes.*
*Ut triceſies millies peream, triginta millia pereuntium ſpecto.*

*Sit*

Digitized by Google

*Sic populus Antiſtitis culpâ,*
*Antiſtes Populi pœnâ, torquetur.*
*Illi ſanguinem fundunt, ego lacrymas,*
*Heu quot lacrymas?*
*Nullas ad Filiorum funera mihi ſepoſui,*
*Vidi infelix infelices pueros,*
*Profano igni adolentes, ſacro igne adoleri.*
*At exhauſtis meo crimine oculis,*
*Nihil inveni quod ſupra alienum crimen efflueret.*
*Supererat pro ſolatio dignitas: hac etiam ſpolior in Monte Hor:*
*Et Pontifex de Ponte dejicior.*
*Mors denique dolores omnes oneratura,*
*Optata litora proſpectantem oppreſſit,*
*Obii à Patriâ extorris, quam oculis tantum tenui.*
*Credite Antiſtites,*
*Lubrica res eſt praeeſſe.*

# NAASON

*Aminadabi Filius.*

## EXEMPLAR.

Lege, attende, mirare:
Principis Tribus Princeps Naaſon,
In Principum exemplar eſt poſitus.
Hic fortiſſimo Atavo fortior Atnepos,
Primus ab Ægyptio luto pedem extulit,
Novæ fortunæ Protoplaſtes.
Moſi obſequutus, non Pharaoni:
Qui cum Hebræos, nec amare vellet, nec amittere,
Amiſit quos amavit,
Graſſante per tenebras Cæli gladio.
Adeo auguſtum Imperandi augurium eſt, Deo parére.
Primus morante acie ad Orientem metatur;
Caſtrenſis vigilantiæ documento:
Ut Solem cadentem ultimus,
Naſcentem primus adſpiciat Princeps.

Pri-

Primus Sanctuarium in Caſtris recepit,
Aggregatâ in contubernium Leviticâ Tribu:
Ut Hoſtiarum cædes, Hoſtium cædi proluderet.
Alterno enim fœdere,
Religionem Princeps, Religio Principem ſervat.
Primus in procinctu Martem laceſſit;
Non receſſurus niſi victoria receptui canat.
Præpoſterè nempe bellatur,
Cum Dux ab agmine ducitur, non agmen à Duce.
Primus ad Erythræum trepidante Turba,
Inſolens vadum dividui maris intravit:
Et mendaci ſe credidit Elemento.
Dumque illi Rubrum pelagus pallidi ſpeculabantur,
Hic Deo fretus, fretum deriſit.
Tanta hæc fiducia, ut anteceſſorem Angelum anteceſſerit.
Nam attonitum mare intrante Naaſone,
Anteſignana Columna ponè aciem receſſit.
Vel quod angelo audentior fuerit Princeps,
Vel quò Principis exemplum melius prælucerct.
Aſſurgit inambulanti reverens unda:
Aqueo cæmento ſtipans altrinſecus viam.
Hic terram pro fluctu, fluctum pro litore inveniens,
In undarum lubrico ſuam ſpeculatur ſoliditatem.
Neſcias utrum magis mirere,
Stantes undas, an euntem Ducem:
In mari conſtantiam, an in Principe obſeqvium:
Exili virgâ indomitum domari Mare,
An Mare ſine Mari, à Nautâ ſine Navigio, transmitti.
Sanè hinc didita fama, Regalem purpuram meruiſſe Naaſonem,
Quòd Purpureum fretum calcaverit Primus.
Habetis exemplar Principes: incipite, quæ præcipitis.
Malè imperat, qui imperat tantùm.

SALMA

Digitized by Google

# SALMA

*Naaſonis Filius.*

## GRATULATIO.

Gratulor tibi, Principum feliciſſime Salma,
Hoc primum, quòd cæco errante populo
Genitus es in deſerto.
Nihil deſerto illo fœcundius;
Ubi peregrinatus ſtatim ac natus
Patriam in exilio habuiſti, exilium in patriâ.
Magis gratulor, quod legem per fulgura dictante Deo,
In lucem veniſti:
Et Cervulæ inſtar, tonante Cœlo ſoluta eſt Parens:
Juſtum igitur non mirer, cui cognata jura,
Nec fortem, cui tonitrus increpundia,
Habuiſti cæleſtis alumnus nutricia Sidera,
Et Manna pro mammâ:
Unde dulciſſimi tibi mores,
Nam alimentum, eſt indolis elementum.
Nec dulcia defuere viatica donec viarum acerbitas,
Penuariam donante Cælo, ut domicilium.
Hinc inſtar Cæli, in agitatione firmiſſimus,
Quadraginta dierum iter annis totidem produxiſti.
Non tuâ ſed blaſphæmi populi culpâ,
Qui pede uti linguâ errabundus,
Tamdiu à rectâ, quandiu à recto deviavit,
Planè Peripatetici, qui ſapientiam condiſcunt ambulando.
Quid lubrica illa monſtra commemorem?
Neſcio anguesne flammeos, an flammas anguineas vocem,
Antiqui ſanè Serpentis germina,
Qui Tartari Salamandra utitur non aduritur:
Neque enim decentior carnifex furioſorum linguis,
Quàm furiarum Colubræ, debebatur.
Tu verò ſupplici prece peſtes illas repreſſiſti:
Quâ nulla promptior excantatio:
Ut reciproco ictu



Digitized by Google

Linguæ anguibus, angues linguâ mulctarentur.
Macte tuâ illâ constantiâ,
Quæ tot per funera nuſquam periit.
Nam cæteri ex Ægypto digreſſi
(Præter unum, aut alterum)
Ante confectum iter, itinere confecti ſunt.
Ita, populoſa illa ſolitudo, vitioſorum cribrum,
Tot aucta cunabulis quot ſepulcris,
Alterum accepit populum, alterum dedit;
Melioremque dedit quàm accepit.
At quantâ virtute
Solâ ferri tui Acie aciem univerſam tutatus,
Adverſus adverſos primum ſemper telum torſiſti:
Ac tribus & triginta proſtratis Regibus,
Meſſiæ annos victoriis totidem prænumeraſti?
Clareſcit tua fama Hierichontis incendio;
Quam Urbem orator & explorator ingreſſus,
Viciſti ut vinci poſſe vidiſti.
Vindicatâ manubiarum loco Raabâ,
Hoſpitali fide maritalem fidem ſupplente.
Meretrix meritiſſima
Quæ Servatorem progigneret, cujus Progenitores ſervarat.
Ergo tibi gratulor quòd primus, quòd ſoſpes,
Primam & ſoſpitem promiſſæ telluri appuleris Tribum.
Integra Genitorem manebat hæc palma,
Ut metam præciperet, qui ſe præmoverat.
Sed eam bipertire viſum ſuperis,
Ne tanta Parentis gloria inglorium faceret Filium.
Itaque illi Erythræum, tibi Jordanis fuit prætentandus;
Qui retrocedentibus undis vadum reliquit,
Nimirum, virtuti cedere, docile flumen à mari didicerat.
Terge tam purâ lympâ ſudores tuos,
Et malis recreare poſt mala.
Nam amara, memorando dulceſcunt,
Et aures mulcet quod oculos terruit.
Fruere partis deliciis invictisſime Salma.
Quo Auſpice, bellari cæptum & debellari;
Quo Duce, hoſtes omnes ceſſerunt, aut receſſerunt;

Quo

Digitized by Google

Quo Reduce, Judæa Tribus centum Urbes ſortitur;
Quarum indigenæ, tuo admoniti gladio,
Vacuas ut relinquerent ſedes, Tartarum implevere.

# JOSUES

*Ex Joſepho.*

## TRIUMPHUS.

*Egregium Triumphum inſtrue Silo;*
*Victor incedit Joſues,*
*Hierichontina præcedunt tubæ,*
*Ut Accedenti Victori accidant Urbes.*
*Eximio triumpho non portæ panduntur, ſed mœnia.*
*Diſtingvat Cohortium ſigna ſalubre Tetragrammaton* JESUS;
*Vincendi teſſera, Victoris titulus, Victoriæ tutela.*
*Hoc enim ſervatus quo Servator,*
*Tartaro formidines feſtinavit.*
*Idumæorum ſuccedant manubiæ:*
*Quorum terga dumtaxat vidit,*
*Officium fuit ſpoliaſſe fugaces, & armis graves.*
*Nam timidorum arma prædatorem vocant, non hoſtem.*
*Prima inter fercula Sinæ Montis occurrat ſpecies:*
*Ubi cum Moſe Empyreus Pyrauſta Joſues, in igne vixit:*
*Nimirum pravæ Naturæ franguntur leges, cum Divinæ conduntur,*
*Quas ſolus Moſes dedit, ſolus Joſues ſervavit.*
*Hinc duorum terga ferentium premat immanis Botrus:*
*Oſtentui datus,*
*Cum quadraginta annorum itinere, quadraginta diebus exhauſto;*
*De Gigantum tellure*
*Fruges retulit, colonis ſimiles.*
*Olim tam colonos meſſurus, quam fruges.*
*Ergo tergemina Gigantum Henacinorum capita*
*Contis præfixa geſtentur;*
*Quibus robur rubori fuit.*
*Nam viros, non à viribus voces, ſed à virtute,*
*Volo etiam acervum lapidum plauſtro vehi:*
*Ingratam ingratus memoriam;*

*A quibus penè exanimatur dum territos animat,*
*Adeò timenda eſt timidorum audacia.*
*Tum Madianitarum procedant Trophæa;*
*Quos ad Moſis inferias mactavit inferis:*
*Medio Balaami capite, exertâ linguâ:*
*Quam præſtigiator Prophetes, ſuo jumento ſtolidior,*
*In imprecationes conatus, in preces reſolvit:*
*Hinc Jordanis imago, ſi licet ſimulari, producitor.*
*Qui à Myſtis geſtatum, & Myſteria geſtantem Arcam*
*Veneratus ac veritus*
*Stuporem inter & metum, ſimul ſtetit & fugit.*
*Hiericho inter ſimulacra victarum Urbium præcedat:*
*Quæ tubarum ſono turbata,*
*Saltantem Joſuæ contremuit.*
*Septem præterea Urbes graviori Marte deletæ,*
*In imagine tantum vivant.*
*Sæviendum enim erat, aut ſerviendum.*
*Flagrent ante currum pro facibus Sol, & Luna;*
*Qui pridem gradarij, quam ſtatarij Planetæ,*
*Ne victoriam morentur, morantur diem.*
*At Gabaonitæ, catenata mancipia, currum trahant.*
*Nam callidè vitam pacti, catenas in lucro ponunt,*
*Turrito curru immineat Victor,*
*Hæreditario Moſis diademate radiatus;*
*Ut noctem illuſtret, excæcet invidiam.*
*Triumphalem Senem laureatæ ſequantur Tribus,*
*Nemine juventam excedente.*
*Solus enim cum Calebo Joſues*
*Ægyptum vidit, & Judæam;*
*Carcerem, & Metam.*
*Pompam excipiat cæleſtis Arcus,*
*Sic Inſcripto faſtigio.*
Jeſu ſervatori,
Dictatori virgineo,
Africano, Aſiatico.
Quòd ad Palæſtinas delicias vindicato Populo,
Tyrannis tribus & triginta, igni, ferro, cantu, proſtratis:
Totidemque Regionibus tributim diviſis:

San-

Sanctuario in Silunte collocato;
Ut Deus quieſceret nunquam quieverit.
Sen. Popul. Q. Hebr.
Portam Trophæis inſignem aperuit.
V. O.

# SAMSON

## *Ex Dano.*

## IDEA.

*Adeſte Juvenes, quibus Robur, & Cupido,*
*De vobis utriuſque Ideam, Sámſonem,*
*Alcidis coætaneum, Alcidi ſimilem, robuſto & forti:*
*Mox Cupidinis mancipium, Cupidini ſimile, cæco & nudo.*
*Hic de ſterili germinat:*
*Quo miraculo vel Jacob, vel Eſau naſcitur, nihil medium.*
*Nazarenus Nazareno dicatur; lecto á floribus titulo.*
*Avarum nempe munus, Vitæ autumnum Deo dicare, non florem.*
*Ne temulentia tumentem faciat,*
*Fonte puro fallere ſitim jubetur:*
*Ut bibentis imaginem reddente lymphâ,*
*Se ipſum noſcere aſſueſcat.*
*Contra pugnaces divino robore afflatur Puer:*
*Nil enim Hoſti nocentius quam innocentia.*
*At Martius ille ſpiritus capillis illigatur:*
*Ut ſcias, quàm caducum ſit donum juvenile robur,*
*Cùm tenui admodum de filo pendeat.*
*Ad Hoſtium cædem conſecratus,*
*Odia Philiſteorum, ab Philiſtearum amoribus incipit.*
*Incircumciſum connubium firmante Deo,*
*Ut Marti facem ſubjiciat Cupido.*
*Primus Samſonis labor, qui primus Alcidis,*
*Leonem immaniſſimum ſternere.*
*Dulciore tamen victoriâ,*
*Ferinas inter exuvias, mellificium invenit:*

*Et Leonis hiatus, Hominum ſepulcrum, mox Apium nidus,*
*Feritate in dulcedinem verſâ,*
*Convivali ænigmati materiam dedit:*
*Quo enodando Convivæ perfidam Sphingem adeunt,*
*Samſonis Conjugem.*
*Hinc novus Juveni labor.*
*Qui male ſoluti problematis amarum pretium ſoluturus,*
*Philiſteos triginta occidit; & Hoſtium ſpolijs Hoſtes induit.*
*Sic ingenio victores vincuntur viribus;*
*Et dolos ſequitur dolor,*
*Hinc nova malorum Hydra;*
*Nam injuria vindictam, vindicta injuriam provocat.*
*Samſonis Uxor cognatam cædem adulterijs ulciſcitur.*
*Ut non mirere mariti ſecretum vulgaſſe, quæ ſe ipſam vulgat.*
*Nil enim Fœminæ arcanum, cui nihil ſanctum,*
*Samſon trecentis Vulpibus faces ſubligat:*
*Ludicro initio, flebili eventu.*
*Nam incendiariæ animantes per ſegetes ſparſæ,*
*Famem cum flammis ſpargunt,*
*Hoc incendio adoletur Adultera;*
*Et Cereris facibus ad Proſerpinam ducitur.*
*Sic Vulpina ingenia plectuntur à Vulpibus.*
*Sed alij ex alijs nectuntur labores.*
*Nam ſociali perfidia, Philiſtinis proditur à Tribu Juda:*
*CHriſti ſpecimen non daret, niſi à Judâ proderetur.*
*Sed vinculis repente exutus,*
*Aſelli mandibulâ Cataphractorum cervices terit.*
*Nullum enim vile telum in virili manu.*
*Quin eâdem clava gemino clara miraculo,*
*Vincenti telum, victori fontem miniſtrat;*
*Saniem emaculatura quam ſuderat.*
*Nimis felix jam Samſon, niſi ſua Gloria ſuperfuiſſet,*
*Sed tantam famam libidines infamarunt.*
*Et hic labor Herculeis adnumeratur.*
*Gazeæ Meretriculæ amplexibus illaqueatus,*
*Philiſtinis deſtinatur ad prædam.*
*Monettrotem diceres, Puellæ in gremio captum, ſed impuræ,*
*At exitu inopinato declinavit exitium.*

Urbis

*Urbis compagibus felici niſu revulſis,*
*Portarum fores foras portavit,*
*Sic Sirenum præſtigias ſemper effugiat;*
*Quæ vorant quos vocant.*
*Sed amoris impotens, labores mutat non vitat.*
*Tertiam Omphalem amavit Dalilam.*
*Alcide fortior dum toties vincit;*
*Effœminatior dum toties ancillatur.*
*Mulierculæ igitur fidem auro decolorant Philiſtini;*
*Exploraturi unde vinci poſſit amaſius:*
*Atque, ut Martem capiant, Venerem captant.*
*Hic procaces hoſtilis Amicæ rogatus eludens,*
*Nervos, rudentes, trabalem clavum diffringit:*
*Semper captus, & liber.*
*Sed ſagaciſſimus Quæſitor eſt Fœmina.*
*Blandè torquendo verum extorquet.*
*Tergiverſari difficile eſt,*
*Cum Apparitor Cupido faces admovet.*
*Hic ſæpe decipiens, ſæpius deceptus,*
*Ne ſuos amores contriſtet, Virtutem comis implicitam prodit.*
*Secto igitur per fraudem capillo, robur avolat,*
*Et qui Leones ſtraverat, à Lupâ ſternitur.*
*Coortis undique inſidijs, enervis in nervum mittitur,*
*Et oculis orbatur, quos in alienâ fonte perdiderat.*
*Sic ex Alcide Oedipus, fruges terendo conteritur.*
*Hoc tantum felix, quod ſe miſerum non vidit.*
*Redijt tandem ad Samſonem virtus, cum Samſon ad Numen:*
*Crevitque mens cum capillo.*
*In Veneris Templo Cyclopem ludere juſſus nec larvâ egens,*
*Labefactis columnis Templum impellit;*
*Et Spectaculum perimit Spectatores.*
*Sic ſua inter Trophæa moritur Samſon;*
*Odijs felicior quam amoribus.*
*Hoc tamen egregiè,*
*Quòd Veneris Idolum moriendo comminuit:*
*Eamque perdit quæ perditur:*
*Cujus inſidias vidit cùm oculis caruit.*
*Tu ne ſerò videas,*
*Samſonem vide, ac perge.*

BOOZ

Digitized by Google

# BOOZ

*Salmæ Filius.*

OBED *Boozi Filius.*

## MYSTERIUM.

Booz Cananitide Raabâ ſatus,
Moabitidem duxit Rutham,
*O Myſteria!*
Mirum quod ex Meritoriâ caſtiſſimus naſcitur,
Et pauperculam ducit æratus.
Magis mirum,
Quod legis peritiſſimus legem violat.
Nam cum divinis tabulis cautum ſit,
De alienigenis naſci Hebræos,
Ne de profanis naſcantur Sancti,
Hic Uxoriam obſcuritatem ex maternâ continuans,
Alienigenæ Filius & Conjux,
Contra legem genitus, genuit contra legem,
Quodque fas omne ſuperat:
Nefaſtus uterque Hymenæus
Per avitos Meſſiæ faſtos ſerpit:
Et infelicium tedarum fumo tantam nobilitatem denigrat.
*O Myſteria!*
Quot involucris divina conduntur!
Callidus legis Interpres Booz.
Legislatoris ingenium aſſequitur, dum à lege recedit,
Erit cùm Cæleſtis aliquis naſcatur Booz,
Ex Meretricula Synagoga;
Qui alienigenæ nubat Eccleſiæ,
Illam Rabaam, hanc Rutham meritò voces:
Hanc igitur Sponſam luto perlitam, diluet:
Fame enectam, ſacris frugibus alet:
Ad pedes jacentem, in Regni ſolio collocabit:
Mendicam dotabit, ditabitque.
Hæc effœto Conjugi Obedum gignet;
Gaudente Noema, congaudente viciniâ.

Expi-

Digitized by Google

Expirante nimirum Chriſto, vivet Chriſtianum Genus,
Cælitum voluptas, Divinitatis Deliciæ,
*O Myſteria!*
Hæc in arcanis habe Viator, ac perge.

# GEDEON

## *Joſephi Nepos.*

### ARGUMENTUM.

*Quid inani cythara aucupio aures illigas Orpheu ?*
*Ex Hebro ad Hebræos diverte:*
*Altius Hymni Argumentum dabit invictus Gedeon,*
*Tibi coævus,*
*Hoc cantu, non aerias, ſed empyreas Aves mirabere.*
*Magnas Viri virtutes pange, poſt magna vitia.*
*Optimus ex contrario concentus.*
*Strophen dabit Gedeonis ignavia.*
*Nam pridem vecors, trementia vexilla tremuit;*
*Et cum hoſtilibus telis certavit fuga.*
*Addita ſegnitiæ impietas.*
*Male audiit quod Deum non audiit.*
*Nam Victoriam ſpondenti Numini,*
*Fidem negat, niſi majora fide prodigia videat.*
*Ergo flamma & imber ad Gedeonem legantur;*
*Utroque dignum Nuncio Auditorem,*
*Qui divino minus ori, quam ſuis oculis credit.*
*Poſt hæc dedecora,*
*Antiſtrophen ex virtutibus verte:*
*Plaudente ſibi Providentiâ, cum hæc illis mutat.*
*Cane ut divina vi vocis contra Madianitas egreditur.*
*Quos à Moſe deletos,*
*Unde vixerint neſcias, niſi à ſuis tumulis.*
*Adeo mala gramina nunquam benè pereunt.*
*Hic ex trepido intrepidus,*
*Univerſos jam provocat, qui ſingulos formidabat.*

*Itaque è Sacerdote Miles,*
*Deì cultor, mox ultor;*
*Cultrum ſanctè, gladium fortiter, vibrans;*
*Mortuam pietatem impiorum mortibus ſuſcitavit.*
*Verſo jam nomine Jerobaal,*
*Adorato Dæmoni fucum fecit.*
*Nec ſimules, quàm exiguâ manu tot capita ſparſerit.*
*Centum & triginta Madianitarum millibus*
*Trecentos objecit, ſed viros;*
*Ne ignavia fugam augeret, numerus diſciplinam minueret,*
*Militum virtutem aquando exploravit:*
*His ſelectis,*
*Qui fluvium manu legunt, non proni lingunt.*
*Nam linguâ fidentiores quam manu, arcentur Bello.*
*Hos tubis armatos in aciem ducit:*
*Tam Deo fidens, ut victoriam canat dum pugnat.*
*Tum face & gladio armatos producit:*
*Nam virtus in exemplum poſita, micat dum dimicat.*
*Terrentur ſtolato agmine Madianitæ,*
*Certis velut exequiis;*
*Gladio cædem, face funus ominante.*
*Ita lymphatis terrore & errore animis,*
*Ceu Cadmæi Terrigenæ, inter ſe gladiis tranſigunt;*
*Et mutuatis moribus cadunt.*
*Malorum enim concordia in diſcordiam deſinit.*
*Hic victoriam premens,*
*Hàc illàc fugat quos fugerat.*
*Reges duos lictorum ſecuribus ſubjicit:*
*Quos puerilem gladium indignantes, dignatur ſuo.*
*Glorioſus planè victor,*
*Qui Reges necando, ſuperbos facit.*
*Nemine ſuorum amiſſo, neminem hoſtium ſervavit.*
*Stirpitus vellendi erant impii.*
*Numquam enim alii mores fuiſſent, niſi alii Homines.*
*Hoc ergo vindice, verè pereunt Madianitæ:*
*Nullumque ſtante Gedeone Idolum ſtetit.*
*Lætam hanc Antiſtrophen lugubre excipiat Epos:*
*Nam tot inter palmas,*

*Unum*

*Unum ſupra ſeptuaginta ſuſcepit Liberos,*
*Magis felix, ſi uno minùs fœcundus.*
*Unus nimirum Abimelech,*
*Ut Patriam proderet, Fratres perdidit:*
*Pater namque ſceptrum fregit cùm rapuit,*
*Sic bonis inviſus,*
*Paternæ memoriæ invidiam fecit.*
*Heu miſeræ Patris laudes natorum notis,*
*Hîc hilares modos ſuſpirio rumpe.*
*Humanarum rerum ſtylus eſt,*
*Læta triſtibus finire.*

# JEPHTES

## *Joſephi Nepos.*

## MONIMENTUM.

*Lege Viator, ac luge.*
*Miſeranda memoria hanc Aram complectitur,*
*Jephtes Galaadita,*
*Invito Deo ſatus, adulterô nimirum thalamo:*
*Contra leges natus, nullis legibus vixit.*
*Fratrum convictu depulſus, latronibus convixit.*
*Tanto profectu, ut latronum Princeps evaſerit.*
*Quippè in vitiorum ſcholâ, brevi ſuperatur Magiſter.*
*Ære ſuo levis, ære alieno graves accerſit;*
*Qui ne ſolvant, rapiunt; & peccant, ne pœnas luant.*
*Ferocem Juvenem flammavit temeritas,*
*Non tam prædâ, quam prædandi periculis læta.*
*Ammonitarum armis Galaaditas prementibus,*
*Ad profugum Jephte confugit Patria.*
*Et de more vulgi, utroque immodici,*
*Regem flagitant, quem noluerant ducem.*
*Exuerat is Patriæ amorem, non Filiæ;*
*Quæ unica, tota erat Domus,*



Digitized by Google

*Huic dotalem gloriam cumulaturus,*
*Totam belli molem ad ſe recepit;*
*Regiam inſulam pactus ſub pugnam:*
*Quo linteo nullum mollius bellico ſudori tergendo.*
*Ita bellum ſine regno ſubiit, ut Regnum ſubiret ſine bello.*
*Pium igitur purumque duellum voto auſpicaturus:*
*Quicquid reverſo primum occurrat,*
*Pro victoriali piaculo huic Aræ ſpondet.*
*Heu pietatis improvida ſimplex impietas!*
*Hoſtiam magis horrebit, quam Hoſtem.*
*Ergo ſive irâ, ſive indulgentiâ Numinis, vicit.*
*Ammonitas nec paci, nec bello paratos, momento expugnavit:*
*Urbes viginti ſimul obſidere cœpit, & cepit:*
*Longos victori gemitus feſtinante victoriâ,*
*Jam Patriæ redonatus, & voti reus,*
*Nil ante Filiam pro foribus vidit,*
*Geſtientibus Puellarum choris prægeſtientem.*
*Ah quæſtuoſam morti lætitiam!*
*Hunc illi victoriæ finem hoſtes voviſſent.*
*Tùm nivali oſculo Natæ libato,*
*Ceu ſupremum ſpiritum ore legeret;*
*Vicimus, inquit, Filia: nimio victoriam mercati:*
*Tuo nempe ſanguine.*
*Illa non vitam rogare, ſed ſpatium:*
*Nam mori mollius fit morâ.*
*Bimeſtri ergo ejulatu in ſurdas cautes eliſo;*
*Quo, ſibi Præfica, ſuas anticipat nænias,*
*Huic ſe demum Aræ votivam ſiſtit.*
*Æquè imprudens obſequio Puella, & Imperio Pater:*
*Niſi Pontificis ignorantia, utriuſque culpam minueret.*
*Aſtat jam cum intrepidâ Hoſtiâ*
*Trepidus Sacerdos Pater.*
*Nam dolorem hic promendo auxerat,*
*Illa plorando conſumpſerat.*
*Jam, ne quid non ritè fiat, lingvis favetur.*
*Hærent in Virginis vultu Juvenum vultus:*
*Nam deſperata pulchritudo acriùs movet;*
*Et ſolis inſtar, major videtur cùm cadit.*

*Cælum*

Digitized by Google

*Cælum ſpectat ſpectata Puella:*
*Cujus lacrymas aſtantium oculi ſpargunt.*
*Jam neci devotam componens Genitor,*
*Ferro jugulum invictæ Martyris delibat:*
*Et ſemianimis ſuper exanimem cadit.*
*Vorant Virgineum corpus mundiſſimæ flammæ:*
*Cœloque inferunt, quò feruntur.*
*Cætera ſanctè ritèque peracta:*
*Niſi canentium numeros innumeri gemitus fregiſſent,*
*Hunc bello finem impoſuit*
*Nimis liberalis prædo, Sanctus Jephtes,*
*Pugnare doctior quam vovere.*
*At trepidæ Virgines, ne ſimili Patrum voto illigarentur,*
*Aram hanc immortalibus literis inſcriptam,*
*Annuo ejulatu circumlatrant.*
*Grajæ etiam Muſæ, quia Virgines,*
*Facti Invidiam*
*In Agamemnonem Coætaneum rejecerunt.*

# JESSE

*Obedi Filius.*

## CLAUSULA.

Agmen claudet invictiſſimus Iſai:
Ducum palmes, & Regum radix.
Avitam bellicæ præfecturæ virgam
Sudoribus ita rigavit,
Ut cædendis ſceptris ſylveſceret.
Bethlehemi Patritius,
Patriam fecit Deo dignam.
Primævus in Philiſtinos gladium acuit;
Quos, uti cotem virtutis, reliquerat Deus.
Nam arma bello, milites pace franguntur:
Et hoſte mortuo, pugnant ſodales.
Sacræ militiæ authoratus,



Digitized by Google

Pro Sanctuario Sanctus bellavit.
Quod vel amiſſum, in ejus pectore inveniſſes.
Miles fuit ſine militum vitiis;
Qui victoriæ Cupidi, è Cupidine victi,
Fœdiores referunt plagas quàm inferunt.
Emeritus, conſilio pugnavit.
Utilius enim reguntur bella, quam geruntur,
Cùm galeâ canicies eſt.
Ubi telis nil amplius valuit,
Filios pro telis in hoſtes miſit,
Qui tergeminas manus Patri ſuffecere;
Et tricorporis inſtar Gerionis
In triplici corpore, ter unus pugnavit;
Atque ſedendo vicit!
Quæris quâ virtute natos habuerit?
Natu minimus, Gigantum maximum vicit.
Quæris quâ ſpecie?
Deſpectior, imperio dignus eſt viſus.
Hæc tanta felicitas
Jeſſeum pectus impetu ingreſſa,
Animam expulit.
O Mortalium voluptas nocens!
Hæc cogita Viator!
Et ſedens interjunge,

MUN-

# MUNDI VIRILIS ÆTAS.
## REGES.
# DAVID
## JESSE FILIUS.

Chriſti | linea.

Salomo.

*Ex Joſepho* Roboam. *Ex Juda*

*Samuel.* Abias. *Suſanna.*

Aſa.

Joſaphat.

Joram.

Ochozia.

Joas.

Amaſia.

Ozia.

Joathan.

Achas.

Ezechia.

Manaſſes.

Amon.

Joſia.

Eliacim. *Joachas.* *Sedecia.*

Jechonia.

# DAVID

## *Jeſſe Filius.*

## ADINATON.

A Ducibus ad Reges venio.
Crudam Mundi juventutem maturuiſſe, indicat purpura.
Coacervatæ tamen cum dignitatibus curæ:
Ubi enim curæ niſi in curia?
Solem circumnectens corona, nimbos minatur.
Coronatorum primum ſpectabis Davidem:
Omnium feliciſſimum, & miſerrimum.
Felicitatis hoc habuit maximum, quod ex minimo crevit.
Hoc ipſo miſerrimus, quòd ingentes ærumnæ invenere felicem.
Jugulatores paterni gregis leones infans jugulat.
Ipſo infelix triumpho.
Nam citra infantiæ ludrica, dura exorditur à teneris.
In prætextâ chlamydi candidatur.
Hoc ipſo non invidendus, quia præmaturè invidendus.
Carneum Philiniſtorum propugnaculum Goliam ſternens,
Uno lapide Rempublicam fundat.
Sed victoriam potius, non præmium,
Plus odii lucratur quam gloriæ:
Et optimo inter aulicos argumento, diſplicuit.
Entheatum Saulem cytharâ mulcet;
Utroque Arcu felix, ſeu fila impellat, ſeu tela.
Sed Erynnes irritat dum temperat.
Nam lyrâ ludens, haſtâ pene confoſſus,
Ineluctabiles gemitus à cantu exorditur.
Inter Getheos Aulicos recipitur profugus.
Sed Regi carus, non Satrapis;
Ut inſanos fugiat cogitur inſanire:
Tam Regali conjugio ſuperbit Opilio:
Sed Philiſtinorum præputiis empto, Pronubam habuit Libitinam.
Judæ & Iſraelis Diadema,
Ex gemino unum, ſuo capiti implicuit.
Sed Saulis ac Filii ſanguine gemmatum,

Quos

Quos ardentiſſimos hoſtes ardentiſſimè amans,
Vivos fugit, mortuos deflet;
Mœſtus ne vincat, & quia vicit:
Sic mutuis vulneribus, ſanguinem victi, victor lacrymas fundit.
Omnium hoſtium vidit funera;
Quos vel ipſe, vel Deus, vel ipſi ſe, confecere.
Sed plura ſuorum vidit,
Triduanâ peſte, trienni fame, perenni bello.
Ut flebile lucrum fuerit, amiſſis civibus urbes capere.
Reges omnes finitimos aut ferro vinxit, aut fœdere.
Sed externis liber, inteſtinis obnoxius:
Æquè infelici Marte, ſive vincat ſive vincatur.
Pacem peperit tandem: ſed bello pejorem.
Nam pondere armorum liber, amorum vinculis captus,
Cupidinis Matri mancipium datur.
Tum ex adultero homicida,
Raptâ Conjuge, Maritum ſuſtulit.
Multiplici conjugio lætus, non Filiis:
Quorum alter Sororis ſtupro, alter Novercæ inceſtu,
Bis infelicem fecere Patrem.
Tum diriore ultione quam crimine,
Stupratorem inceſtificus vetante Patre necat; dolente necatur.
Ut neſcias flebilior ne Patri contigerit injuria, an vindicta.
Inornatam Hieroſolymam capit, captam ornat.
Ut miſerrimæ Urbi ſalubrius nihil contigerit, quam vinci.
Sed Sanctuario Urbi donato,
Templum Sanctuario donare cavetur:
Cruentæ dexteræ munus horrente Numine,
Ut Davidis victoriæ eidem exoſæ fuerint à quo imperatæ.
Tandem ſeptuagenario major exceſſit:
Sed clarior ſi citiùs.
Nam frigidus, imbellis, attritus;
Quaſi ex illo Davide nihil retinuerit David,
Imperium ſenex depoſuit, quod meruit infans;
Et infante invalidior, decenni Filio ſceptrum commiſit.
Hoc uno feliciſſimus eſſe poterat,
Quod Hominum ſtrenuiſſimus:
Hominum ſapientiſſimum genuit:

Niſi quòd prævisa Filii nequitia morientem mori coëgit,
Hem qualem in Purpurá felicitatem ſpectes,
Si Principum feliciſſimus, miſerrimus fuit.
Quanquam hæc Regum conditio eſt;
Felices facere, non eſſe felices.

# S A M U E L

*Ex Joſepho.*

## E P I T H E T A.

*Qui hic conditur,*
*Uno ſignari nomine non poteſt.*
*Aliud ſemper nomen meruit.*
Mœroris Filius, lætitiæ Parens vocetur.
*Nam Novercæ æmulatione Matrem habuit,*
*Lacrymarum clepſydrâ mores notantem.*
Speratus eùm deſperandus,
*Sterilem habuit Matrem,*
*Tantæ animæ deſperabat Natura æquare corpus.*
Conceptu acerbus, virtute maturus,
*Ipſe illatebratus utero ſanctitate luſtratur,*
*Ut divino ſpiritu prius reſpiraret, quam ſuo.*
Faſciis liber, voti adſtrictus,
*Nazareorum miniſteria Templo circumdat,*
*Officiis cum Deo, certante Matre;*
*Quæ in Templo impetratum, Templo despondet;*
*Et Liberum Deo reddidit ſervum.*
Obſequio cæcus, monitis oculatus,
*Incipit ventura profari antequam fari.*
*Ut uni Samueli nihil inopinum contigerit,*
*Nec Prophetam mireris ex Prophetide natum.*
Fervore candens, innocentiâ candidus,
*Circa propitiabilem Arcam excubias ducit,*
*Ut gemina Cherubin tertium mirarentur.*

Tem-

Templi cuſtos & Dei Templum,
*Divinâ conſuetudine per ſomnum fruitur.*
*Pontificis vocem ſimulante Deo;*
*Ne aliam Pontificis vocem credas, aliam Dei.*
Pavore vacuus, Numine plenus,
*Pontificis Filiis extrema denunciat.*
*Qui ſacrificia libare doctiores, quam litare,*
*Lucem noxis, noctem luxu tranſigebant.*
Aſper monitis, dulcis moribus;
*Trepidum Pontificem intrepidè increpat.*
*Qui nimis indulgente in Filios cenſurá,*
*Raptores arguens, rapinas participabat.*
Prævîſu verax, proviſu velox.
*Cadente Pontifice, Pontificatum ſuſtinuit.*
*Sic dignitas Aaronitas defecit, cum digni Aaronitæ defecere.*
Vicennis Præfectus, centenario ſuffectus:
*Amiſſam Arcam Fœderis, renovato fœdere vindicavit.*
*Docuitque pœnas pœnitentiâ vitare.*
In pace pugnax, in pugnâ pacatus;
*Philiſtinos quieſcendo vicit.*
*Nam Cæli fulmina, populi gladios invocans,*
*Captos perdit, perdita capit.*
Æqui Judex, judicum æquiſſimus,
*Filios ſibi ſubſtituit.*
*Sed populo impoſitos, ſtatim depoſuit;*
*Ne juſtitiæ lances auro deprimerent.*
Populi Conſul, populo conſulens,
*Saulem Regem creat, inter malos meliorem:*
*Perunctо vertice, ad medelam.*
*Regius enim eſt morbus ſuperbiæ tumor.*
Zelo æſtuans, lacrymis madens,
*Saulis contumaciâ ſervatum Agagum diſcerpit:*
*Et à Saule ad Davidem gregis regimen transfert.*
*Nam timendi ſunt Reges; qui Deum non timent.*
*Omnium denique laudum compendium eſto,*
Quod omnium laudum compendium fuit,
*Itaque ne Malis convivat, tandem moritur.*
*Nec obtinet votum.*



Digitized by Google

*Nam Pythoniſſæ incentionibus fretus Saul,*
*Eadem pravitate mortuum quærit Samuelem,*
*Quà vivum oderat.*
*Sic Virtutem ſequentem fugimus, fugientem ſequimur.*
*Sed evocatus è tumulo Samuel,*
*Saulem ad tumulum devocat:*
*Et umbrâ territum ad umbras rapit,*
*Sic ſuis inventis obeunt curioſi.*
*Samuel igitur,*
*Bis ut vivat, ſemel moritur,*
*Semel ut quieſcat, bis moritur.*
*Tu ne quieſcenti obſtrepas,*
*Tace Viator, ac perge.*

# S A L O M O

*Davidis Filius.*

## S C Y L L A.

Triforme hoc Monſtrum,
Humano capite, fœmineo pectore, ferinâ Caudâ,
Scyllam putas? falleris:
Salomo eſt;
Sapiens Puer, effœminatus Vir, ferus Senex.
Hoc Puero nemo ſapientior.
Unus mortalium omnia ſcivit, nihil didicit.
Venit ad Juvenem Sapientia, quæ Juvenes fugit:
Sui ſecura apud pudicum:
Cui candor pro canicie.
Quod magis mirere, ad dormientem venit:
Muſarum ductore ſomno, qui Muſas fugat.
Itaque per occluſas fores, oculos, ingreſſa eſt ſapientia:
Vel hoc indito cæleſtis.
Nec venit indtaeta.
Sceptro manum porrexit Salomo, cûm cæteri ferulæ,
Ut dubites uter utri plus contulerit:

Nam

Nam per Sapientiam regnavit Puer, per Puerum Sapientia.
Prima imperantis cura fuit Patris ſepulcrum.
Tantâ Magnificentiâ, ut Patrem æternaverit tumulando.
Errant nimirum, qui ne degeneres arguantur,
Parentis famam extingvunt.
Non extinguitur fama, cùm deſiderantur extincti.
Eâdem pietate
Mortem patrio teſtamento legatam Joabo dedit:
Optimum Principatus fundamentum ex talium ruinâ.
Qualis enim Populus, ſi peſſimi Optimates?
Ex Rege Sacerdos, Templum dicavit.
Mundum voces, non Templum;
Spatiis tripertitum, plagis quadrifidum:
Annis totidem, quot Mundus ſolibus abſolutum.
Meritò igitur undecùmque delatæ opes;
Ut Mundum Mundus ornaret.
Hinc à divinis ad civilia; uti decet.
Urbem mœnibus, Regnum urbibus ſtipat:
Ut Populum cohibeat, quem auxerat pace.
Regiam & tribunal, gemmâ & oſtro conſternit:
Ne venalis ſpetetur juſtitia, quæ opes calcat.
Atque ut profugam revocet Aſtræam,
Aureos mores aureà in domo reſtituit.
Nuſquam lautius ſapientia ſedit.
Quâ Interprete, implicitas lites momento explicuit.
Illam præcipuè, de ſuperſtite Infante.
Qui cùm duas inter Matres, nullam Matrem haberet,
Utrique cadere juſſus; ut neutri caderet,
Amore indice Matrem invenit.
Eâdem Dictatrice Sapientiâ. Divina ſcripſit Oracula.
Cùm quicquid diceret Oraculum eſſet.
Hæc Regiæ fama Sapientiæ Reginarum ſcitiſſimam traxit:
Quæ majorem famâ, Regem mirata,
Plura didicit, quèm quæſierit;
Plura retulit, quàm obtulerit:
Nam Salomonem alterum in utero retulit.
Sed heu, quid Mortalibus tutum?
Tantum ingenium marcuit, cum maturuit.

Ut neſcias urrum magis mirere,
Senium in Infante,an infantiam in Sene.
Tantæ cauſa dementiæ, libido.
Nec mirum, ex Berſabæâ nato.
Septingentis conjugiis, trecentos concubinatus,
Innumerabilia ſtupra, conjunxit.
Amavit quotquot vidit;
Voluit quotquot amavit; habuit quotquot voluit.
Stupente Naturâ,
Quod fœminis omnibus unus ſufficeret, non uni omnes.
Sic effœminatus Salomo Sapientiam amiſit.
Veneris perfidiâ: quæ in alios non mitior, quam in Filium,
Amantes excæcat, ut Amorem.
Hinc Aſmodæi quàm Dei legibus obſequentior,
Suorum Idolorum Idola coluit;
Et Venerem veneratur venereus.
Ut non immeritò Venerem vocarint Luciferum,
Cùm alter colatur in altero.
Seqvuta, ut ſolet, luxuriem feritas:
Nam nimia liberalitas rapinis alitur.
Ergo, Regni opibus in gynæcéo profligatis,
Per graviſſima tributa amicos nudat, ut amicas ornet.
Quin per magicas artes aurum ſcrutatus,
Feralis æruſcator, vectigales Dæmonas facit;
Et Plutum quærit apud Plutonem.
Tot inter flagitia pacem amiſit pacificus.
Salomo; non jam Salomo.
Bellante Idumæo latronum duce,
Rebellante Jeroboamo tributorum quæſtore;
Per Mammonæ miniſtros, Mammonæ cultor affligitur:
Donec divino Numine afflatus Achias
Suum pallium, & Salomonis Regnum, diviſit.
Sic obiit inſanus Sapiens:
Hebræorum decus & dedecus.
Inops inter opes, ſterilis inter conjugia,
Unico de tot thalamis ſuſcepto Filio.
Nam nihil Veneri nocentius, quam Venus.
Primus è Chriſti Proavis Stygem coluit,

Et

Digitized by Google

Et primus intravit.
Indubio argumento: nam idóla poſuit, non ſuſtulit;
Et flenda leguntur, non fletus.
O ſaga Puellarum forma,
Quæ inſanire Sapientiam facit,
Et Hominem vertit in Scyllam.
Oh, ſi ſapitis, hanc Scyllam fugite.

# ROBOAM

*Salomonis Filius.*

## PARALLELA.

Inſano inſanus ſuccedit
Natus ex nondum inſano.
Mala exempla natalibus prævalent.
Uterque Regnum ſuſcepit;
Ille annis tantum, hic tantum ingenio, puer.
Sed juvenis Salomo ſenes audiit;
Senex Roboam juvenes audiit:
Sero erudiendus periculo,
Juvenili Senatu Regna ſeneſcere.
Pari libidine uxoria dedicant Idòla:
Sed ille Venerem, hic Priápum;
Effœminatus virilem.
Cujus Sacerdotio perfuncta Conjux, amat quod colit:
Tali numini melior Victima, quàm Sacerdos.
Pari amentiâ Conjugum gregem paſcunt.
Sed ille majorem, quia ditior.
Nam ſine Mammonâ friget Aſmodæus.
Pari levitate populum tributa gravant.
Sed ille molliùs, hic duriùs.
Nam rapacitati additis conviciis,
Bis Fera, ungui nocuit, & linguâ.
Pari in utrumque ſeditione, conſpirat populus ut reſpiret,

Sed

Sed ille turbas placavit, hic placando turbavit.
Nam Aduram tributis Præfectum,
Mulcendo cœtui delegat, quem mulgendo cenſui delegerat:
Qui magneticâ eadem facundiâ,
Lapides trahit, quâ aurum traxerat.
Uterque flevit Regni ſchiſma.
Sed ille adumbratum, hic verum.
Nam diviſo cum Religione Principatu,
Roboamo Judaicus, Jeroboamo Iſraeliticus ceſſit.
Nihil enim citiùs Regna ſecat, quam Secta.
Pari fato externos irritant Reges.
Sed ille procumbit, hic ſuccumbit.
Nam Ægyptius Pharao Seſoſtris,
Roboamum libertate, auro Templum, nudavit.
Adeò inteſtina diſſidia, finitimorum ſunt lucra.
Pari affectatione Templum ornant, non colunt.
Sed ille aureis, hic æneis donis.
Ut ex diſpari ærario noſceret,
Quàm citò Sæculi metallum degeneret:
Paria igitur vitia, par ſequitur pœna.
Cupidinis enim flammis ad Tartari flammas acti,
Alternis ſe ignibus cruciant.
Lite dubiâ, uter inſanior,
Qui ſapuit aliquando, an qui nunquam.

# A B I A S

*Roboami Filius.*

## EDICTUM.

Adeſte Cives, Advenæ, Convenæque.
Quòd Abias Roboami & Maacæ Filius,
Paternam impietatem, maternam libidinem retinuit.
Quòd ex malis malos geniturus,
Omnium mulierum vir, omnium virorum mulierem duxit,
More ut nomine Matri ſimilem.

Quòd

Digitized by Google

Quod ultimis ceris ſcriptus hæres,
Secluſo primogenito, nihilo melior evaſit;
Et legum vindex, vixit ſine lege.
Quòd veræ Religionis ſuaſor non ſectator,
Et fari promptior quàm facere,
Non percepit quæ præcepit.
Quòd juſtiore ferro, quam mente,
De perduelli Jeroboamo Victoriam naviter potitus,
Ignaviter eſt uſus;
Et quingentis millibus Iſraelitarum cælitùs necatis,
Idololatras conterere maluit, quàm Idóla.
Quòd Bethel, & Sichem ſchiſmaticas Urbes
Triumphator ingreſſus,
Fanorum aurum, non profanorum aras ſuſtulit:
Et prædatâ captivarum pudicitiâ;
Urbem luſtris implevit, non luſtravit.
Quòd partâ libertate
Bis-ſenis connubiis ſtatim mancipatus;
Gynæcéo citiùs quam Templo receptus,
Manubiis Sanctuario debitis thalamos cumulavit.
Denique, quòd octo ſupra triginta liberis undecumque genitis,
Paterna vitia pro patrimonio reliquit.
Hunc Hominem ingratiſſimum, impuriſſimum;
Initio Regni, vitæ medio, nequitiæ ſummo,
Lare & laureâ privandum,
Vitâ & Vittâ ſpoliandum;
Stygio ergaſtulo mancipandum;
Et Manium manibus, quos adoravit, adurendum;
SEN. POP. Q. CÆLESTIS
Atris calculis
Cenſet, Pronunciat, jubet.



Digitized by Google

# A S A

*Abiæ Filius.*

## ROGUS.

Projice odores in hanc flammam, Viator.
Aſa Rex Juda,
Primus Regale funus rogali luce radiatum
Afflatumque pigmentis, cupiit: nec immeritò.
Principum Phœnici tales debebantur exequiæ.
Hic Atavi Filius, non Patris,
Videntem audiens Azariam, Religionem reſtituit.
Optimus Patriæ Pater.
Matrem Priapejorum Antiſtitam Regno abdicavit.
Malorum enim principium ſunt mali Principes.
Maſculâ Venere effœminatos,
Qui ſubterraneo abſtruſo delúbro
Brutam libidinem in Brutorum ſpecubus exercebant,
Terrâ eductos igni tradidit: hac tantum dignos luce.
Nam Conſcientiâ Judice, mortem merentur,
Qui ſe tumulant, ut peccent; & pœnas de compendio petituri,
Latebras quærunt Inferis propiores.
Majore prodigio Priápum in Cedronem demerſit;
Qui ſubitâ gliſcente flammâ à torrente ipſo torretur.
Diceres Virgineum Chriſti pedem libaturas lymphas,
Ob impuræ imaginis attactum, igne luſtrari.
Dubito, aquis ne uratur Idólum, an aquas urat.
Minime novo miraculo.
Cùm Venus flamma ſit, aquis nata;
Et inter lacrymas ardeant amantes.
Diro certè ſpectaculo,
Terrentur Idololatræ dum torretur Idólum;
Et in flamma naufragium facit.
Verâ igitur nominis notâ Medicus appellatur,
Quod languentem populum ſanaverit.
Magna enim vulgi cenſura eſt Regis virtus.
Tantæ virtutis honorarium retulit, victoriam & pacem;

Imò

Digitized by Google

Imò in pace victoriam.
Nam decies centena Æthiopum millia,
Certum ſibi funus de colore ominata,
Paniçis terroribus divinitùs incuſſis,
Spernendo potius quàm ſternendo difflavit.
Volvuntur humi nigra corpora, ceu torres ſanguine extincti.
Fugiunt ad Orci flammas fuliginoſæ jam animæ:
Ac Furiis ſimiles ſibi advenas ſtupentibus,
Tartari tenebræ geminantur.
Sub alterum pacis decennium
Aſæ Baaſa, ut Roboamo Jeroboam fatalis hoſtis,
Victoriæ materiam intulit veriùs quàm bellum.
Quin aſportatis hoſticæ Ramæ ruderibus,
Gabaam & Maſpham, Regni propugnacula, exaggeravit.
Itaque inverſam triumphi ſpeciem vidiſſes,
Hoſtes dirui, mœnia duci captiva.
Nec omni tamen labe caruit: Salomonis genus erat.
Nam omnia Ethnicorum emaculavit cunabula,
Præter excelſa Fana,
Montibus ingenio altioribus nixa,
Ut intelligant Principes
Quanto periculo arces Hæreticis indulgeant,
Cùm tela vix èvolent quo impietas repit.
Iſraelem oppugnaturus, divina humanis auxilia poſthabuit,
Aſſyriorum fœdus toto ærario paciſcens,
Ab infidelibus fidem emit.
Prophetam indigno fœderi reluctantem, nervis præpediit:
Cives Prophetæ faventes gladio addixit.
Adeo intutum Reges carpere, vel optimos.
Æquâ igitur talione,
Trienni podagræ, felleæ bilis filiæ, cruciandus traditur;
Et qui Vatum pedes nervis arctaverat, pedum nervis arctatur,
At de crimine pœnam traxit, de pœnâ crimen.
Ad nobilem illam peſtem, medicis fortiorem,
Medicorum manus implorat, non Dei.
Ipſo ridendus nomine, dum Medicus eget medico.
Denique lectum pro eqvuleo nactus,



Digitized by Google

Membrifragâ torquente podagrâ, erratorum ſummam fatetur,
Reſumptâque virtute redivivus.
Odoratum hunc Rogum ſibi vivus compóſuit;
Ut Empyreum prælibaret in flammâ.
Nam Virtus non fragrat niſi dum flagrat.

# J O S A P H A T

*Aſæ Filius.*

## M I N Æ.

Veh tibi, Viator,
Si quid tibi conſcius, cenſorium hoc Solum calcas.
Inexorabilis Arbiter Joſaphatus, hac in Valle jus dicit;
Cui tanta veritas, ut nihil ignoret;
Tanta ſeveritas, ut nihil ignoſcat.
Integritatis teſtem do zelum,
Quo à ſtirpe revulſas effœminatorum reliquias excoxit.
Divini juris Interpres,
Legis tabulas in omnium pectora tranſcripſit è ſuo.
Meritò lapideas; ut lapidem rogent, qui lapidem violant.
Inſpectores utrique Foro conſtituit Æaco ſimiles:
Peccanti attentos, non precanti.
Quibus tam leve aurum, ut recti lances non flectat:
Tam grave ferrum, ut à recto deflectentes proterat.
Civium quippe ſecuritas eſt ſecuris.
Damnandi rigorem æquavit plectendi vigor.
Nam conſcriptis familiatim bellatoribus;
Regno arces, arcibus præſidiarios,
Præſidiariis præfectos impoſuit.
Ut omni aditu gladiis obſtructo,
Fugere cùm nequeant ſceleſti, ſcelera fugiantur.
Nec armis opus;
Si adſpectu Galaaditas vicit, Moabitas cantu.
Nam Hebræis modulantibus, in furorem acti hoſtes,
Inter ſe digladiantur:

Pari-

Digitized by Google

Paribuſque momentis illi canunt, iſti cadúnt:
Chordarum concordiâ cordium diſcordiam proritante.
Riſit Mors muſica tot Andabatarum paria,
Sono occæcata, ad numeros cadere.
Horruit Mars amuſicus, arcuum nervos lyræ nervis elúdi:
Et lyram inter arma numerari, ut inter aſtra.
Heu duræ minæ!
Quid faciet judex, ſi ſævit Cytharedus?
Veniet ſumma dies, die carens; cum Apparitor Angelus
Omnes antiſtare jubeat hoc Forum, cui omnia liquent.
Quod vadimonium nec favor excuſabit, nec lachrymæ;
Ne Mors quidem.
Nam ruptâ tellure, ſolutis Mundi compagibus,
Mors ipſa jure petitura, quód bonâ fide poſſidet,
Abſorptos evomet, ut reſorbeat.
Aderit Adraſtêæ miniſtra Erynnis:
Carnifex nimirum flamma;
Quæ luce eadem ſcrutetur impios, & comburat,
Ac ne quid inultum lateat, nil inuſtum relinquet.
Metue ſceleſte non cunctaturum Judicem.
Plus metue cunctantem:
Diu gravida nubes damnoſiùs parit.

# J O R A M

*Joſaphati Filius.*

## S E N T E N T I Æ.

Recurrit ad Joramum Atavi impietas,
Nam in aulico freto
Vitia fluunt, ut refluant.
Ante Imperium innocens viſus:
Octennio nequiter egit, quo imperavit.
Nam innocentiæ candorem immerita cruentat purpura.
Ad Regnum ſublatus Fratres ſuſtulit.
Nam Tyrannus ſanguinem ſitit quem timet:

 Num

Digitized by Google

Numquam lætus niſi dum canit exequias.
Addidit crudelitati ſodalem idololatriam,
Bis de Inferis optime meritus:
Quos auget, & adorat.
Quid enim colat niſi mortua, qui vivos odit?
Impietatis magiſtram audiit Conjugem.
Illam nempè Athaliam, Achabi mortalium ſceleſtiſſimi.
Nam ſæpè impietas eſt dotalis.
Uxorio exemplo citiùs raptus quam patrio,
Maſcula thura effœminavit.
Nam efficaciſſima ſuadendo oracula ſunt oſcula,
Ad inania pavidus, Heliæ minas non pavet.
Nam perituri Tyranni argumentum eſt
In ſecuris metus, in metuendis ſecuritas,
Vero igitur eventu, Judæam prædantur Arabes,
Nam Regum delicta Regnum luit.
Infelix populi conditio,
Quia premitur à Tyranno, Barbaris tradi;
Et diſperire, quia perit.
Inter hæc mala,
Regiæ Conjuges raptæ, Filii trucidati.
Itaque infelix cælebs & orbus,
Conjugum lecto, natorum letho funeſtus:
Flevit, à nemine fletus.
Nam populi mulſum, Tyranni lacrymæ.
Sic acerbiſſimæ morti ſervatus,
Animam cum viſceribus ponè regeſſit.
Ut intelligas quo loco mentem habeant ignavi.
Rogo demum caruit, non tumulo.
Hoc etiam præpoſterè:
Quòd igne fraudatus quem meruit,
Terram impetravit quam terruit,
Nam Tyranno maxima pœnarum est
Poſt obitum non lucere.

OCHO-

# O C H O Z I A

*Jorami Filius.*

## J O A S *Ochoziæ Filius.*

## AMASIA *Joaſi Filius.*

## S A X I F R A G I U M.

Tres haſce Statuas,
Inter Chriſti Proavos pridem collocatas,
Matthæus fregit dum tacuit.
Execratum Achabum, Matris Patrem,
Reſpicit hæc vindicta;
Cujus Nepotes, ad tertium uſque, diris voverat Vates.
Itaque, ne Chriſti Majores Achabi Minoribus miſcerentur,
Nepos, Pronepos, Abnepos
De ſacro Stemmate exulantes,
Nomine carent, & effigie.
His alia vita, non alia vitia.
Primus primâ, Medius mediâ, Ultimus ultimâ
Ætate defecit:
Ut ſciâs, animi eſſe crimina, non pili.
Omnes imminentem pueritiæ fugerunt gladium:
Primus hoſtilem, Alter maternum, Tertius ſervilem,
Parcente falce, donec ſcelera matureſcerent.
Omnes laude indigni, digna laude incepere:
Nam vana ſimulcra,
Primus diu non coluit, Ultimus coli vetuit,
Medius colentes occidit.
Omnes ad volutábrum reverſi, Idóla reſtituunt:
Hoſtilia Primus, aulica Secundus, paterna Tertius,
Omnes monitoribus aſperi:
Primus Heliam non arridentem deridet;
Tertius minanti Eſaiæ mortem minatur;
Medius Zachariam lapidum cultus exprobrantem,
Lapidibus obruit; Omnes

Omnes Rempublicam perdunt:
Primus poſtulatitio fœdere;
Alter emptitia pace;
Tertius voluntario duello.
Omnes Templum dedecorant;
Quod Primus deſerit, Secundus ſpoliat, Tertius ſpoliari pati.
Omnes conjurato ferro ignaviter ſublati:
Primus dùm latet. Alius dùm ſtertit. Tertius dùm fugit.
Omnes denique mali:
Non ita ut altero pejor alter,
Sed omnes omnium peſſimi.
Omnes igitur Matthæi calamo, ut Judæo gladio, confoſſi,
Nec inter vivos, nec inter extinctos numerantur.
Nam quos premit oblivio, non natos puta.

# O Z I A

*Amaſiæ Filius,*

## PARAPHRASIS.

*Hoc in tumulo non tumulo, jacuit non jacuit,*
*Vivum cadaver, Regis Agricola;*
*Qui victor victus, Deum ſprevit dum coluit:*
*Et vulneratus ut convaleſceret, moriendo convaluit.*
*Hunc vivos fugientem, Mortui timuerunt.*
Reſtitas ad hunc griphum, Viator? paraphraſin cape.
Hic eſt Ozia Rex Juda;
Qui urbana vitia in ſuburbio declinavit.
Rediit ſub hoc Principe ad ſuum exordium Regia dignitas:
Nempe ad Paſtoritiam.
Hic triumphali aratro terram domuit.
Unde mira fœcunditas;
Cùm trabeato Agricolæ vectigalior ſerviret Tellus:
Et Regiâ manu maritatæ gemmarent Carmeli vites.
Audiant Principes qui ex Urbium cinere aurum cribrant.
Veræ fodinæ ſunt ſulci:

Bù-

Digitized by Google

Búbus, non Hominibus graves.
Ibi vegetæ opes radices agunt.
Has Humaniſſima humus ſinu promit:
Quæ Hominum altrix, & alumna,
Rivis nutrita, frugibus nutrit.
Huic uni fœnerabantur antiqui Reges:
Quibus pro loculis erant ſcrobes.
Nunc Terram dedignantur Terræ filii:
Nec colere modò, ſed calcare:
Nam purpurâ interpoſitâ à ſe Matrem ſecernunt;
Eandem peroſi pro quâ dimicant.
Hinc Principum lubricæ opes, quia ſine radice.
Plutus à Cerere gignitur & Iáſone;
Segete & vellere:
Utroque, ſuccreſcente ſumentibus.
Rubiginem vomeri non indulſit, ſed neque gladio,
Utraque Martis materia, ferrum.
Utroque modo Terram ſubégit.
Philiſtinos, Arabas, Ammonitas,
Tam facilè ſub jugum miſit, quàm juvencos.
Gethum, Jabriam, & Azothum, hoſtiles Urbes,
Eodem vomere quo glebas, exaravit.
Pari luſu vulpeculis tragulas, & balliſtas hoſtibus, tetendit.
Eâdem arte ſegetum meſſor, & capitum,
Cereris falcem Morti commodavit.
Ità ex aruis ad arma, ex armis ad arua divertens,
Oleas meſſuit, quas ipſe conſeverat.
Sed utinam ne extra ſuas oleas,
Nimirum vanidâ victoriarum diſtentus aurâ
(Qui felicium eſt morbus)
Sacerdotali ſibi jure arrogato,
Sacro thure profanus ádolet.
Oh, quid agis mirrate Villice?
Te arratrum decet, non Ara.
Huic fumo ſucceſſit flamma, ambitioni iracundia;
Uno ſcelere bis injurius,
Cælum thure, thuribulo Myſtas exterret,
Non dilatâ verò vindictâ,

Zz Subita

Subita lepræ illuvies Regiam frontem populatur;
Et inſulæ locum fœdat.
Decebat talem Pontificem talis lamina,
Ut frontonis ſupercilium deprimeret.
Dicitur etiam Tellus ingenti fremitu trepidaſſe;
Exitura de centro, niſi ille de Templo.
O fluxa, Reges, gaudia!
Cum ipſum ſupra quod ſtatis, inſtabile ſit.
Atqui cum ſuâ Tellure tremens Ozias,
Extempló reſilit ex Templo:
Et Regno exauthoratus,
E vivis migrans, non è vitâ,
Marcido in corpore ſepultus, & inſepultus,
Solivagos intra penates lugendo conſenuit.
Diu expiravit vivum cadaver,
Serò moritur, jam mortuo ſimilis:
Et avito ſepulcro interdictus,
Agro tumulatur, quem coluit.
Adeò ſuperborum contactum vel Mortui pavent,
Habes griphi ſententiam,
Viator abi.

# JOATHAN

*Oziæ Filius.*

## LEGATIO.

Adeſto Fama!
Ad Principes te delégo;
Unico exemplo magna conſilia transfacturam,
Joathani Regis virtutes Regibus refer.
Ut emerito Patri ſuccedens Puer,
Feſſo Athlanti Alcides integer,
Ægro Parentis capiti ſuppoſuit ſuum.
Felix Genitor, qui vitâ peractâ vivens,

Suc-

Succeſſoris virtutes non ſperavit, ſed ſpectavit.
Felix Puer, qui paternæ frontis adſpectu, frontem remiſit;
Et humilitatis magiſtrum habuit tumorem.
Et, quis credat? unum caput alterius morbo ſanatum,
Adde ut Iſaiæ, Zachariæ, Oſeæ, Amoſi,
Nobilibus ſpectris admonitus,
Rectum iter inſtiterit,
Nam Veritas privatæ fortunæ bonum,
Ad Principes non illabitur, niſi è Cælo:
Non immeritò Jovis Filia.
Prædica, ut Numine uſus propitio,
Syriæ & Iſraëlis conjuratos Reges cohibuit.
Ammonitas ſemper cæduos feliciter cecidit:
Nunquam non lædens, nunquam læſus.
O militiam innocentem,
Ubi ad meliores partes applicante victoriâ,
Nemini nocebant arma, niſi nocenti:
Et rectior rectiùs collimabat.
Poſt militare, civile ſtudium exaggera.
Ut ſanctæ Urbis intùta muniit, dìruta erexit:
Nec molles fundavit Moles, ſed ſibi ſimiles.
Ut Dominus ex Domo, Domus ex Domino agnoſceretur.
Turrim Ophel evexit ſupra nubes;
Regiæ mentis Idèam ſemper ſerenæ.
Portam Templi ſpecioſam,
Æris & auri ornatu, nomine dignam fecit.
Specioſamne magis, an ſpatioſam?
Sanè totam Petri charitatem triumphali fornice excepit;
Quam recto veſtigio claudus ſeqvutus;
Ne torto pede ſpecioſum limen deformaret.
Narra ut hoc Principe,
Vomuit vetuſtas multo ſolidiora quæ exederat,
Ut collapſa nemo dixerit ædificia,
Sed ſponte inclinata, ut altiùs gliſcerent.
Celebra denique magnificentiam,
Quâ urbes Civibus, agreſtibus mapalia condidit.
Illas præſidio, hæc ſubſidio.
Nam mutuis gladii, & ligonis officiis,

Tuetur qui alitur, alitur qui tuetur,
Et arces pereunt poſt caſas.
Poſt hæc elogia altum ingemiſce,
Quòd hoſtibus ferox, ſuis blandior,
Objurgandæ ſuperſtitioni linguam non habuit.
Itaque glorioſiùs
Delubra ſolo, quàm ædificia Cœlo, æquavit.
Ut mirum non ſit,
Adulari populos Regibus, cùm Reges populis adulentur.
Adde igitur Principibus animos;
Ut à Divinis exorſi, degeneres increpent:
Joathani ejurato exemplo,
Qui fortia faciliùs fecit, quàm dixit.

# A C H A S

*Joathani Filius.*

## HISTORIA.

Amicitias beneficiis parari qui putat,
Hiſtoriam hanc legat.
Achas ad Judæ ſolium divinitus evectus,
Omnem lapidem movit quò Deum perderet.
Nam inter ſaxeos Dœmonas diviſo cultu,
Nullum ut faceret Deum, multiplicem fecit.
Parum fuit Deum obruiſſe lapidibus.
Eumdem importuno Oeſtro vellicaturus,
Muſcam Deum fecit.
Planè ſuos inter Deos numerandus;
Puſillus, Excors, niger, moleſtus.
Mirare Divini pectoris patientiam,
Quæ injuriam peroſa, non injurium; hoſtem prole auget.
Et quod optimum Dei munus, optimâ prole.
Hic ex beneficio maleficus,
Acceptum Filium Idólis comburit.
Timuit Orbis eumdem Rogum:

Tre-

Digitized by Google

Tremuit populus Thyeſteam illam coquinam:
Inventa eſt flamma, quæ aſtantes frigidos faceret.
Nefandi ſacrificii locus Gehenna,
Quæ Tartaro nomen dedit, ut exemplum.
Quippe infernus ignis
Nondum nomen invenerat ſatis horrendum.
Achas Plutone pejor, ignem dedit inferno pejorem.
Parati affuere Dei vindices,
Raſis & Phaceus, Syriæ & Iſraëlis Dynaſtæ:
Maluit tamen Deus contumacem contumaciter demereri.
Itaque Iſaiam Achaſo delegat,
Qui pro victoria ſpondeat:
Prodigium quodcunque daturus pro vade.
Et quo prodigia firmentur,
Dei Filium pignori pollicetur.
O Numinis patientia toties irritata, non irata!
Achas prodigia reſpuit:
Et Numen inter Nepotes dedignatur.
Puto Deum ipſum Gehennæ immolaturus, ſi naſci feſtinaret.
Spretis igitur Cæli copiis,
Aſſyriorum Regem mavult auxiliarium.
Sic mendax nemini credit, niſi mendaci.
Ac ne pretio careat tutela,
Totum ærarium, ſanctum, profanum, Aſſyriis profundit;
Vitamque pretio taxat.
Itaque quicquid rapere hoſtes poterant, donat:
Seſeque ſpoliat, ne ſpolietur.
Quin ſublatis exuviis Templum claudit;
Quaſi incluſo ac ſpoliato Deo, victor.
Riſit inſaniam Deus;
Et perfidum reliquit fœderatis plectendum.
Nam perditi, ipſi ſe perdunt,
Affuit ergo accitus Aſſyrius Thelegat-Phanaſarus;
Qui attritis Achaſi hoſtibus, ipſum attrivit.
Sic nocent auxilia malo majora,
Et bellorum nimbi detonant in authorem.
Putas Achaſum reſipuiſſe? deſipuit.
Ab ſuâ Muſcâ perfunctus, Damaſcenorum Idolo ſe devovet.



Digitized by Google

Itaque contra Syros, Aſſyrios implorat;
Contra Aſſyrios, Syrorum Deum,
Qui ne ſuos quidem ſervaverat.
Hic Divina patientia deſperavit;
Et ſervari nolentem ſemel perdidit.
Malè moritur inter utramque vitæ metam;
Et extra tumulum tumulatus
(Quis enim juſta faciat injuſto?)
Gehennæ aſſignatur, cui nomen fecerat.
Sic ei fiat qui beneficium in vitium torquet.

# EZECHIA

*Achaſi Filius.*

## INDEX.

Rerum ab hoc Principe geſtarum indicem cape.
Sub Romanæ Urbis natales naſcitur
Achaſi Filius Ezechia.
Sed ille ex optimo Patre peſſimus,
Hic ex peſſimo optimus, iterum peſſimum geniturus.
Sic teſſellata fortuna bona malis interpolat.
Sanctiſſimæ Parentis mores libavit, non Patris,
Quæ felicior Mater quam Uxor,
Pro votis Filium accepit, non Maritum.
Quintum ſupra viceſimum annum natus.
Florem ſceptro impoſuit, quem cæteri perdunt.
Primo Imperii anno Templum aperuit,
Quod nihil Sanctum vidit, niſi Regem.
Moſis etiam ſerpentem dejecit, olim ſalubrem, jam virulentum.
Poſtquam ſuperſtitioſis Aris concaluit.
Anno, & Animo eodem,
Sculptilia in Cedronem ſparſit; muſicos modos reſtituit.
Utrumque nexum: quid enim Cedron niſi mœror?
Sic populi lacrymas Idòla ſorbent;

Et

Digitized by Google

Et flente flumine, cives canunt;
Tot Pharaonibus demerſis, quot Idólis:
Merguntur incendiarii illi Dæmones:
Inferno ardore ex antiperiſthaſi geminato.
Et adorata illa ſaxa, adorantium ſcopuli,
Poſt animorum naufragium ipſa naufragantur.
Poſtero annò, diviſa Judæ ſtudia pro Concione componit.
Amphioni comparandus Orator:
Nam Urbem ille paravit, hic reparavit canendo.
Inſtante Paſchate,
Ad Solymorum celebritatem ſchiſmaticas alliciens Tribus,
Judæ Iſraelem conjunxit.
Ita Paſchalis Agnus, agnos fecit convivas:
Et fractis Idolis integrata concordia,
Poſt hæc, Salomonis de plantarum uſu commentarios combuſſit.
Jam enim ex horto, non è Cælo, ſalus quærebatur:
Et herbarum, non oculorum, expreſſo ſucco,
Membra curabantur non animi.
In illâ igitur flammâ ars mortua, ſpes revixit.
Utinam Coi Senis farcimina ad Ezechiæ manus veniſſet:
Sine carnificinâ homines convaleſcerent.
Auctis jam annis,
Aucta cum Sacerdotum pietate, laicorum liberalitate;
Condendis largitionibus Templi horrea laxavit.
Quis neget frugi eſſe virtutem;
Cum ſacra opera ſacras opes adaugeant?
Anno Imperii bis ſeptimo, qui ſemper Climactericus,
Ezechiæ virtus tentata.
Nam Aſſyrius Sennacherib Judæam evertens, & everrens,
Citius rapuit arces quam vidit,
Quæris quantâ acie?
Terra contecta; montes depreſſi, flumina epòta.
Sed armatorum tot millibus,
Trecenta & triginta talenta obſtitere.
Toti Ægyptiorum armamentario,
Totum Templi ærarium objecit Ezechia.
Nam ſacræ divitiæ eò ſervantur ut ſervent.
Fecerat hoc etiam Pater, ſed impare ſtudio.

Ille

Ille Templum timebat, hic pro Templo.
Extremo eodem anno,
Aſſyriâ fide recrudeſcentibus Barbaris,
Infanda effutiente Sennacheribbo, ad pias preces confugit.
Felix certamen: linguâ pugnacem, linguâ vicit.
Minus dixi; dormiendo vicit.
Nam per tenebras cæcutiente Angeli gladio,
Aſſyriorum millia centum octoginta, ſomnus conſignavit Sorori.
Diriguit Sennacherib nocturnæ cladis ſpectaculo:
In patriâ, á Filio, ante Idola cæſus,
Qui patriam liquerat, pro Filio, contra Deum.
Anno victoriam ſublabente, dirùm ægrotat.
Tumente ulcere quò animus detumeſceret,
Lethum denunciante Iſaia, luget, ſubmittitur, convaleſcit.
O dulces lacrymæ, vitæ auſpices, vel inceptæ vel receptæ:
Primum naſcentium omen, ultimum pereuntium ſuffragium.
Anni igitur quindecim ad vitæ ſtamen aſſuti:
Illuſtri teſte, Sole,
Qui ſupra lineas decem retroactâ ſtyli umbrâ,
Viam & vitam redorditur.
Hem quid ſolidum in humanis,
Si ætas horarium eſt, annus linea, umbra vita.
Lethalis umbra, quæ lineas enecat, quotquot attingit:
Pariterque dum proficit, deficit.
Poſt menſes duos,
Babylonum Legatis divitias & delicias oſtentat:
Neſcius quàm rapaci populo illecebras.
Sed ò rigidam diſciplinam circa Principes.
Pro quantulo crimine, quantum diſcrimen?
Funeſtior intervenit Legatus Iſaias.
Qui in oſtentatiunculæ pœnam,
Jacturam opibus, capturam Liberis ominatur.
O lethales divitiæ, quas nec cælare tutum, nec proferre!
Sed ò vitales lacrymæ, vel cælatæ, vel prolatæ!
Ad præſentiſſimum hunc panchreſtum redit Ezechia.
Suis in oculis ſalubrem hunc ſuccum quærit,
Quo Numen emollitum, ita reſtincta.
O efficaces iterum lacrymæ!

Tacitæ

Digitized by Google

Tacitæ oculorum voces, & liquidi vocis oculi:
Nec fœcundus humor tantùm, ſed facundus,
Qui animum erigit dum cadit, & cadit ſine jacturâ.
Nam ſolam hanc mercem prodigere licet.
Exinde piſcinas, fontes, aquæ ductus,
Puto ſuarum imitamenta lachrymarum, aperuit.
Per quas denique animus enavit ad palmam,
Anno à ſuſcepto Imperio viceſimo nono.
Davidi non conferendus, ſed præferendus:
Nam majora fecit, minora deliquit.

# MANASSES

*Ezechiæ Filius.*

## EXOMOLOGÆSIS.

O Rerum Opifex, Reorum Opifer, Deus;
Adverte tandem æquas aures,
Clemens attrito, felix catenato, Rex Exregi.
Infanda mea facta ad rationem revoco.
Tu ſolus audi quæ ſolus ſpectas:
Aut ſpectare deſine, quæ piget audire.
Ille ego Manaſſes, Orbis Eoi Veſper:
Ut lucem fœdarem in lucem veni.
Conceptus, lethale nefas concepi.
Et hærente adhuc cortice, odiſſe cœpi antequam noſſe.
Jam de latebrâ proſerpens Vipera, hoſpitalem uterum torſi.
Felici hoc exordio mihi plaudens,
Quod nondum natus potui Matri nocere.
Alumnæ gravis ſarcina, papillas morſu tentavi;
Sanguinis avidior, quam lactis.
Circumciſus, impreſſum generis ſignum
Pro libidinis teſſerâ ſuſcipiens,
Dixi, hunc ſanguinem Veneri propino:
Infandus Infans, parvus ſed pravus,
Execrationes infrendens inter vagitus,

 Can

Candidum nihil habui præter ſindonem;
Hanc ipſam cruentaturus.
Deerat jam nocendi avido, nocendi facultas.
Hanc è voto feſtinavit fortuna,
Cum duodenni gladium commiſit.
Ita, nimis impotens, quia nimis potens,
Proceres terrui Puer: quò levior, eò gravior populo,
Qui citum diadematis fulgorem, ceu fulgur expavit.
Hinc divini, humani Juris immemor,
(Quid enim Manaſſes niſi obliviosſus?)
Unam mihi legem ſtatui, legem nullam ſervare.
Durus, Difficilis,
Rogari, invidiam, non rogari, contumeliam duxi,
Injuſtus, inhumanus,
Aliis omnia licere volui, aliis nihil.
Impius, perjurus,
Studio, & ambitu paterna exempla non inſtiti.
Puduit Regem bene agere de exemplo.
Anteire malos malui, quam bonos ſequi.
Hoc uno Patris ſpeculum,
Quod ejus imaginem reddidi ex contrario.
Proinde, ex tuo Templo,
Quæ ille intulit, ſuſtulit; quæ ſuſtulit, intuli.
Atque ut à te maximè ſejungerer,
Duo ſejunctiſſima conjunxi, atheiſmum, & ſuperſtititionem.
Excelſa diruerat Pater; refeci:
Ut altiore de prærupto contereretur, Religio.
Priapi aras ſuſtulerat; reſtitui:
Laſcivè ſimul, & ſacrilegè;
Ut dignitatem libidini adderem, adimerem Tibi.
Has inter ſordes volutus, ſauciari potui, non ſatiari.
Planetarum ſectator, quia errantium,
Eorum ſimulacris Templi atria ſtipans,
Inveni quo Tua Tibi ſidera fierent odioſa.
Auſpiciis, & aruſpiciis attentior quam Tibi,
Avium pennas, & pecudum fibras
Veraciores duxi, quam Tuas tabulas.
Hoc minime falſus,

Quòd

Digitized by Google

Quòd Brutis ſtolidiorem me cenſui, dum Bruta conſului.
Striges, Ariolos, Magos, Pythones colui.
Te ut Orbe depellerem, Dœmonas evocavi.
Itaque, quo irreligioſior eſſem,
Religionem mutavi, non ſuſtuli.
Aſtra, Lapidem, Bruta, Furias,
Quidlibet eſſe Deum paſſus, dùm Tu non eſſes.
Senior factus non ſanior,
Ab impietate ad crudelitatem prorui.
Nam calcanda erat poſt Divinitatem humanitas.
Credulitate crudelitati ſuffragante;
Hoſtes opinatus omnes diſſimiles;
Ferus vt timerer, & quia timebar,
Hoſtium numerum auxi, tollendo.
Prophetarum voces cum ſpiritu intercluſi.
Iſaiam Socerum ſerrâ diſſecui.
Denique adamantinam cordis duritiam flammis exploraturus,
In valle Gehennæ Filios combuſſi.
Lætus, quod nec Avo molliorem me invénit illa flamma.
Tot ergo ſcelerum cumulis impuli Patientiam tuam,
Ut perditus videreris, niſi me perderes.
Viciſti proinde, ne vincerem;
Immiſſo Babylonico, ut Tyrannum Tyrannus plecteret.
Qui tam citò vinctum, quam victum,
Me, meos, mea, ad fœdum hoc ergaſtulum abduxit.
Ah ſatis pœnarum habes, Victor,
Dum inter opima catenatum numeras Regem.
Non Tu innocentibus pœnitentiam delégas,
Quæ reatum necat, non reum;
Et in ſolutum imputat crimina, cum numerantur.
Meum jus urgeo; ad hanc provoco:
Suffragante ipſa ſcelerum multitudine.
Poſſibile non erat tanta committi, niſi ab inſano.
Exere ſplendido miraculo vim tuam,
O bone, & parcendo exercite.
En ut ventoſà victoriâ tumens Hoſtis,
Vernaculorum te tuorum deſertorem ridet, & vivit.
Ex uſu non eſt ſcelera mulctare ſceleribus;

Et externos recreare tuorum pœnis.
Redde heù conſpectum mihi beatæ Urbis;
Ubi Reges peccare ſolent, & pœnitere.
Ululabo ubi deliqui.
Sanguinis rivos lacrymarum rivis exſtergam:
Exulabit Idolorum populus, urbe donatus:
Et exemplo corruptos, exemplo corrigam.
Hæc oravit Manaſſes, & Regno redditus votum explevit.
Atque ut diutiùs doleret, nemò diutiùs regnavit.

# A M O N

*Manaſſes Filius.*

## SYMBOLUM.

O Spes fallaces!
Intempeſtivè concuſſi iſti flores,
Intempeſtivè ſepulti ſymbola ſunt;
Amonem florentis ævi Principem,
Infrugis hic Hortulus condit.
Qui de paterno exemplo,
Inter vitia & virtutes ætatem diviſurus,
Pœnitendi fiduciâ, pœnitenda commiſit.
Templo Idòla, latibulis ſtupra, Urbi funera,
Velut fœnori intermiſſa reſtituens,
Ut probè ſeneſceret, improbè adolevit.
Sed heu; claudicante ſpe velocior Mors,
Conjurato aulicorum ferro,
Vota cum vitâ ſuccidit.
Itaque ſpe florens, non virtute:
Inter flores jacet, ſed frugiperdas.
O Spes fallaces!

JOSIA

Digitized by Google

# JOSIA

*Amonis Filius.*

## EPINICIUM.

*Jo Triumphe!*
Idolorum Everſor curuli feretro effertur.
Hic eſt ille Joſia,
Quem ſupra trecentos annos Natura parturiit.
Jam tum enim fatidicâ voce præmonſtratus,
Idolis operantem Jeroboamum ſolo nomine tremefecit.
Nondum natus, jam notus:
Vel natus ante Parentes.
*Jo Triumphe geminate Cives!*
Hic ille Cenſorius Infans.
Qui ſupercilio contractâ morum licentiâ,
Rempublicam octenni ſibi commiſſam octennio compoſuit.
Itaque Davidem ſeqvutus, anteceſſit:
Nam David bonos invenit, hic fecit.
Adeo parvi intereſt parvum corpus!
Quin ad illum delegatur Jeremia, ad puerum puer.
Seneſcentis Reipublicæ argumento, cum Virtus repueraſcit.
*Jo Triumphe iterate Cives!*
Hic ille divinus Ædilis,
Quo Templi diruta reſarciente,
Amiſſum legis volumen inter ruinas inventum.
Tanti duxerant impii Templum diruere:
Mortuam rati legem, ſi liber humaretur:
Vel libera ſcelera, ſi lex lateret.
Itaque poſt Joſiam exhumata lex lucem vidit:
Et in eodem ſcrobe virtus revixit.
Imò in Joſia tota revixit:
Nam vitia cæteri vel induxerunt, vel indulſerunt:
Solus hic mortalium nec commiſit ſcelera, nec permiſit.
*Jo Pæan!*
Hic ille zelator Adoleſcens,
Qui monente Prophetide,

Toties rediviva ſimulacra in cinerem ſoluit,
Et plebejis tumulis inſperſit:
Ut à mortuis diſcerent tandem mori,
Senſere Manes pulverem illum gravem:
Pluſque Dæmonas combuſſit ille cinis, quam ſuæ flammæ.
*Jo Pæan geminate Cives!*
Hic ille intrepidus Adoleſcens,
Qui nefanda Fanorum nemora incendens,
Nocentes umbras, & hoſpites Lupas abegit.
Eodemque incendio Solis quadrigas fulminavit,
Novum aſtropoplectum ridente populo,
Dum Phaethontis Pater, Dei ſedes affectans,
Phaethontis ſupplicium tulit
Et ex fabula Hiſtoriam fecit;
*Jo Pæan iterate Cives!*
Hic ille aſſertor Juvenis.
Qui Juda, & Iſraele flammis expiato,
Vanos Antiſtites ſuiſmet aris impoſuit,
Suppoſita Idolorum ſtrue:
Ut quale Numen colerent ipſi ſentirent,
Mutatis igitur officiis,
Adoletur qui adolebat, & ab Idòlis uruntur Vates!
Quâ victimâ nulla melior, quia nulla pejor,
*Jo Victor dicite Cœtus!*
Hic Principum Protomartyr,
Noviſſimo incumbente Reipublicæ Fato,
Irati Numinis telum ut frangeret, in ſe reflexit:
Dum impluentibus Ægyptiorum telis devotum pectus oppoſuit.
Sic ante Pharii Nechaonis os in quadriga confoſſus,
Spiritum Tartaro formidabilem in Tyrannum efflavit.
Neſcio an occumbendo vicerit, an vincendo occubuerit.
Occumbit certè, non procumbit, qui ſedens moritur,
Ita ſuo ſanguine trabeatus,
Eodem curru Mortem in triumphum traxit:
Et feretro pro Feretrio ſpolia ſua deferens,
Ad Mauſolèum, veluti ad Capitolium, proceſſit:
Primuſque poſt obitum triumphavit,
*Jo Victor, Jo Pæan, Jo Triumphe!*

ELIA-

Digitized by Google

# ELIACIM & JOACHAS

## *Joſiæ Filii.*

## REVOLUTIO.

Extrema Regni tranquillitas extremam cladem minatur.
Die inclinante grandior floreſcit Iris,
Crevit ad ſummum Hebræa felicitas Joſiæ nixa:
Quo ſubducto univerſa corruit: invidente Aſiæ Africa,
Quæ purpureo Mari diviſæ, Judeæ ruinis coïvere.
Spectabat ad Eliacimum Regia dignitas.
Hanc Joachas rapuit natu minor.
Ah puer infelix! rapinam timebis,
Cur inauſpicatum ad Imperium involas,
Unde mitior te natura ſepoſuit, naſcendi mora?
Torpedo Judaicum ſceptrum eſt: tangentes manus nodabit.
Itaque ex ſecundo primus, ex primo poſtremus,
Regnum pervertit, quia prævertit.
Hunc Pharao, à Fratre accitus, catenatum rapuit,
Ridente Ægypto mancipia redire ex Regibus,
Qui ex mancipiis abierant Reges.
Ita poſt ſexdecim Soles quæſita ſceptra,
Poſt tertiam Lunam amiſit.
Breve Regi ſpatium, Tyranno longum, Civibus nimium.
Explevit igitur iras Eliacim.
Sceptro potitus jam cariore, quia rapto.
Rediit ad illum infula, ſed & infulæ fatum.
Aliis per Pharaonem imperat, illi imperat Pharao,
Cui Tributi taxatur: hoc uno pretioſus.
Atque ut libertum ſe noſcat, non liberum,
Alio donatus nomine, Joachim vocatur, non Eliacim.
Quid illi relinquent cui nomen eripiunt?
Regnum itaque ſub Rege impetrat:
Cum idem ſit impetrare quòd amittere.
Egit tamen Ægypto pro maleficiis grates,
Dum deformem Idolorum coloniam ex Ægypto traducens,
Polluit quæ Pater ſanxerat.

Uriam

Uriam ferro, Jeremiæ librum rogo deſtinat:
Ferro deſtinandus; non rogo.
Imò ut dites ad Ditem trahat,
Gemma & anulis Dæmones includit: bis Idóla.
Nam gemmæ Dæmonum Filiæ, concepto Dæmone Matres fiunt.
Heu carò venales opes! quamdiu gemet has gemmas?
His anulis catena nectitur.
Hunc Nabucodonoſor infido infidus,
Deceptum vinculis implicuit:
Implicitum ferarum ſpecubus incluſit.
Incluſum ferarum faucibus objecit.
Aliquis ergo prætereuntium dixerit,
Hic moritur Tyrannus præmortuo nomine.
Qui vivus jacuit in tumulo: mortuus vixit extra tumulum,
Hunc Matthæus à Chriſti Genealogia ſecuit,
Ne feram pro homine inſereret,

# SEDECIA

*Eliacimi Frater.*

## SORTITIO

*Excidit infelix par Fratrum,*
*Quorum alterum fera, alterum furor abſumpſit.*
*Te verò, Sedecia, tertia Sors manet,*
*Utrâque pejor:*
*Movente Regalem urnam Fortunâ.*
*Jechonia Eliacimi filio Babylonem abducto,*
*Nepotis ſceptrum à victore impetrabis.*
*Æquè in Nepotem durus, in Hoſtem mollis,*
*Ut illum ſpolies, huic ſervies.*
*Mutato etiam nomine, ex Mathania Sedecias,*
*Juſti nihil habebis præter nomen.*
*Toties direptam Urbem diripies:*
*De pauperum penu Idòla recreabis hoſtilia:*
*Præſcias Vatum fauces obſtringes:*

Quaſi

Digitized by Google

*Quaſi fatum tuum in Vatum pectore concluſurus,*
*Sed divino conſilio conſilium adimitur.*
*Deo ſimul & Chaldæo fœdifragus,*
*Tributi jugum dum excutis, ſub jugum cades.*
*Nabucodonoſore noviſsimâ expeditione graſſante,*
*Hieruſalem, per te non Hieruſalem,*
*Claudetur, incendetur, ſolo æquabitur.*
*Tu tot inter mortes mortem non reperies.*
*Miſerius enim eſt miſero animam trahere, quàm tradere.*
*Reductis brachiis Babylonem trahere catenarius Canis.*
*Manu & oculis captus; oculis & Liberis orbus.*
*Planè inter pudenda impudens,*
*Cum oculos amiſeris, pudoris ſedes.*
*Itaque cum Babylonium tibi carcerem Ezechiel minetur:*
*Tu Babylonem te viſurum neges:*
*Uterque divinabitis.*
*Cæcus Urbem in Urbe non videbis:*
*Verus Sedecias, Juſtitiæ ſimulacrum, quia cæcum,*
*Peribis tandem veteranum mancipium:*
*Et acervo ignobili additus,*
*In tanto Patriæ rogo, rogo carebis.*
*Nam ſceleribus clarus, rogi luce non eges.*

# SUSANNA

*Helciæ Filia.*

## ADMONITIO.

*Adeſte Nuptæ, Innuptæque:*
*Quarum Virtus in pulcritudine, non pulcritudo in Virtute,*
*Docebo quam ſpecioſum damnum ſit ſpecies.*
*Suſannna fui, ex Regiâ domo in Regiam domum ducta.*
*Quâ formâ fuerim, ex nomine habes.*
*Quid enim Suſanna, niſi Roſa?*
*Florum nempe Regina, & Reginarum flos,*
*At nimium felix eram ſi forma defuiſſet:*
*Quam perdere dum metuo, penè me perdidit,*



Digitized by Google

*Babylone captiva,*
*Colebam hoc qualecunque corporis decus:*
*Unum captivitatis ſolamen, uni Conjugi.*
*Itaque nudam me nemini oſtendi, niſi thalamo, & fonti.*
*Occluſis pomarii foribus: nec Solem arbitrum paſſa,*
*Quem, meridie curioſiorem, nemus arcebat.*
*Addebam membris lympharum nitorem;*
*Liberatoque capillamento,*
*Aureas undas comarum, argenteis fontis undis mergebam;*
*Ut fontem in fonte diceres.*
*Neque ſpeculo opus: in ſpeculo natabam;*
*Tergente ſimul, & imaginem reddente rivo:*
*Qui blando ſuſurro membris adulatus;*
*Non tàm lavabat, quàm laudabat.*
*Inepta, quæ fugax donum fugacioribus morabar undis;*
*Nec lubricâ ex imagine, formæ inconſtantiam novi.*
*Proh ſancte pudor, quid uſque ſecurum?*
*Falſum eſt à fucis tutam eſſe Roſam.*
*Latebant inter virgulta amaſii duo:*
*Angues in herbâ.*
*Hi Popularium Seniores erant, & Judices.*
*Quos, vel inter algentes aquas, urebam:*
*Ignara puellarum faciem eſſe facem.*
*Erumpunt ex inſidiis amantes hoſtes.*
*Horreſco vulnificos vultus.*
*Aquis membra ſubmergo;*
*Sed perſpicui latices me produnt, ut vitrum Roſam.*
*Sinum crinibus obduco, ſed crines eventilant aura;*
*Quæ ſpirando, in me conſpirant.*
*Dubitas omnia conſpiraſſe in flagitium? rivales fœderantur.*
*Fruſtrati precibus, terrores addunt:*
*Et maximum innocenti malum minantur, calumniam.*
*Ego inter vitæ aut virtutis diſcrimen,*
*Quid agimus (inquam) Suſanna?*
*Corpus eluis, & animam pollues? Vale potius Vita.*
*Hæc mecum exigens, clamo.*
*Altiùs illi clamant, & crimen regerunt:*
*Impermiſſam Venerem cum pubere adultero.*

Ego

Digitized by Google

*Ego cauſâ melior, patrocinio pejor,*
*Inter Parentum lacrymas, & vulgi convitia;*
*Seminuda & ſemianimis, ad ſupplicium trabor.*
*Jam ſaxa parabantur, adulteris debita,*
*Ut eadem legis & mulctæ materia ſit.*
*Et aliquis elato jam lapide, lapidi ſimilis bæſit.*
*Nam pudor extremus decorem augebat.*
*O pudicitia, ut ſervantem ſervas!*
*Quis credet? Concionem moratur duodecennis puer:*
*Qui utrumque ſeorſum teſtem de criminis loco ſcitatus,*
*Utrumque diſcrepantem invenit:*
*Et mendacio mendacium detectum.*
*Dulcius nihil radiat quam Veritas, ut nubem fregit.*
*Mutantur populi voces.*
*Siccine (inquiunt) captivus furit, captivos ferit Cupido?*
*Poſt Patriæ incendia,*
*Sceleſtiores flammas Babylonem attuliſtis?*
*Hypocritæ, perjuri, ardentes nives.*
*Quid de nobis æſtiment hoſtes,*
*Si Optimates peccant, Judices pejerant, Senes laſciviunt?*
*Quid multa? Mutatur Rerum ſcena,*
*Deſultant vincula à me ad Senes.*
*Ego ad thalamum ducor, illi ad flammas:*
*Ut bene ardeant, qui male arſerant.*
*Sic puer fœminæ, Suſannæ Daniel,*
*Innocens innocenti, ſubſidio fuit.*
*Diſcite meo periculo, Puellæ,*
*Eſte formidoloſæ, ut formoſæ.*

# JECHONIA

*Eliacimi Filius.*

## THRENI.

*Nondum Hieroſolymæ deferbuerat Cinis,*
*Cum buſto inſidens Jeremia,*
*Lamentabili hoc fremitu Patriam conclamavit.*

O Solymæ, ò adyta, ò lætæ colles Sionis!
Haeccine illa beata Urbium Mater,
Quam Ævo coævam ſpoponderat Deus?
Quid ergo diuturnum, ſi æterna pereunt?
O Regiæ opes chaſmatum ſimiles,
Quæ vaneſcunt dum lucent!
Cecidit, cecidit ſuperba Regia pinnis coronata;
Nihil jam niſi funus, & fumus.
O fumum ſemper Aulæ moleſtum!
Quò rediit excelſa Templi moles,
Angelorum colonia, Cæli ſuburbium?
Evertitur mortali manu divinus ille labor:
Et nemini polluto impunè penetrabiles penetrales,
Homicidæ perſultant flammæ:
Eodemque elemento profanatur ſanctuarium, quo luſtrabat.
Ubi vaſa? ubi ſacra? ubi fontes?
Ignavi fontes, & naturæ obliti,
Ignem non extingvunt, quam culpa ſuccendit,
Ubi menſa? ubi ara?
Ubi lampas, æterni Solis æmula?
Jam nihil eſt niſi lampas una, totum Templum,
Quas litatura inibis preces infelix turba?
Altiora votis incendia ſunt,
Cui ſupplices feretis palmas linteati Senes?
Abiere Angeli Templi Indigetes,
Ipſa Sion in flammas abiit.
Poſtremò, crematâ Domo, abiit Deus.
O avida ignis potentia!
Quam nobis Patriam linquet, qui exulem facit Deum?
Quo congeſtæ opes? quo exóticæ merces, ò Cives?
Quo armillæ? quo veſtri mundi, ò Puellæ?
Præda ſunt inter incendiarium, & incendium diviſa.
Incumbit ſpoliis prædator ignis;
Qui avarus juxta & prodigus,
Quicquid rapit, momento decoquit;
Et alumnus nequam, alentem perdit materiam!
Quin cum ſuis flammis de prædâ rixatur miles:
Plerumque raptus dum rapit.

Eheu;

Eheu; parum eſt gazas diripuiſſe.
Unda flagrantibus, ſpiritus vivis; terra extinctis eripitur.
Solem ipſum eripiunt undante fumo:
Et auram patriam repetunt per ſingultus.
Ah dolor! quæritur Urbs à Civibus, ab Urbe Cives:
Pereunt nitentes illi Principum cœtus,
Gemmantes pueri, cana maturitas,
Flos Sionis, virgunculæ.
Hic hoſtili ferro ſuccubuit: ille incubuit ſuo,
Hic Patriæ fatum ſeqvutus, flammis exarſit.
Condi non poterant tot cadavera niſi Urbe inversâ.
Sed heù ſuperſtitum pejor conditio,
Quos inſtans victor præagit.
Gaudete ſub Patriæ cineribus ſepulti Cives,
Non obſcuræ umbræ in tanta pyra.
Lugendi ſunt qui vos lugent.
Rapitur extortis ordo, fuligine ac favillâ ſordidus:
Quas indigenas opes legiſſe tantùm licuit,
Ut Urbis fatum in fronte circumferant.
En, ut inter Patriam, & exilium teſtitant,
Incerti utrum malint.
Itaque in illo incendio Patriæ amor periit.
Trahuntur hoſtiles per urbes indigna pompa.
Exercitus olim, nunc turba.
Trahuntur captivæ Matres, & alumnos trahunt,
Vinculis antequam faſciis obvolutos.
Pari ludibrio corona, & cydaris inter fercula eunt.
Pari ſeqvuntur opprobrio Sedecias & Saraias,
Rex & Pontifex:
Hic ex lachrymis, ille ex vulnere cæcus:
Qui olim diſcordes, ſolâ catenâ conveniunt.
Nunc ſe Babylon in Cælum tollit ſine ſua mole.
Sparguntur hàc illàc Palæſtina ſervitia,
Pudore confecta, vel pedore.
Quondam etiam juxta Babylonicum Euphratem conſidunt,
Ut ſuam imaginem pavitantes, ſe ipſi crucient,
Hic mœſtas inter mortes canere juſſi,
Barbaros ejulatus ſacris numeris confundunt.



Digitized by Google

Hoc etiam Babylonem decebat idioma,
Ah Puer infelix Jechonia!
Ibis tot intra ſpectra deſtinatam in caveam:
Malus Populi cuſtos, cuſtodiâ dignus.
Hunc ignem fumus incendit tuus.
Flagrabunt alii flammâ, tu infamiâ:
Octo ferè luſtris compedes atteres.
Matrem, Conjuges, Filium,
Triſtem ærumnarum comitatum,
Inter infima Tyranni miniſteria numeraturus.
Ah fœda conditio!
Plus Domini te pudebit, quam ſervitutis.
Ille, ille victor tuus Nabucodonoſor,
Novâ & ſtolidâ metamorphoſi jumentis aggregatus,
Novum brutum, bruta terrebit.
Ut intelligas quàm diſpari Domino ſervias,
Tu vero Patriæ confector,
Ætatis quartæ cardinem inſiſtens,
Judæorum Regum miſerabile agmen claudes.
Hoc omnium miſerrimus,
Quòd illis Regnum ſupervixit, Tu Regno,
Heu fleas Viator, & iter ſiſte.

MUN-

Digitized by Google

# MUNDI SENECTUS, SOLITARII.

# SALATIEL JECHONIÆ FILIUS.

Chriſti | linea.

Zorobabel.

Abiud.

Eliacim.

Azor.

| | | |
|---|---|---|
| *Ex Levi.* | Sadoc. | *Ex Levi.* |
| *Eſdra.* | Achim. | *Mater Machabæa.* |
| Jeſus Siracides. | Eliud. | Razias. |
| Eleazar Protomart. | Eleazar. | Matathias. |

Judas. Jonatas. Eleazar. Simon.

Joannes Hircanus.

SALA-

# SALATIEL

*Jechoniæ Filius.*

## ISAGOGE.

Pando tibi quintum Atrium; Viator ſubi.
De Chriſti Proavis,
Nullum ſubinde Reum viſurus, quia nullum Regem;
Nullum occiſum, quia nullum homicidam.
Mundi ſenectus ad infantiam rediit.
De impiorum oſſibus nati ſunt Sancti:
Cadmæi prodigii teſte Ezechiele.
Uſui fuit Solymorum incendium:
Nam deſpumante ſuperbiâ,
Ex illâ uſtrinâ liquitur aureum purum Seculum.
Pro limine Salatielem offendes.
Quam latentem ſcintillam patrius fovebat cinis;
Ut novo Seculo auſpicium faceret.
Fortis, magnanimus, in ſervitute ſibi imperavit,
Hoc ipſo fœlix.
Nam adverſa Adverſis adverſa non ſunt, ſed Averſis,
Vis ſcire quid pro Populo fecerit? flevit.
Quid enim poſſet aliud Princeps mancipium?
Sed ejus lacrymæ Chaldæorum merſerunt imperium;
Tria quæ cernis proſtrata Monſtra,
Tres ſunt Tyranni, quos flendo confecit.
Cernuus hic, & ſemiferus;
Nabucodonoſor fuit, quondam Magnus, nunc brevis.
Qui Judææ & Ægypti ruinis amplificatâ Babylone,
Sua geſta miratus, hominem ſe negavit, nec fuit.
Nam verâ lycantropiâ Feris permiſtus,
Ulifſeæ fabulæ famam arrogavit.
Quæ enim Cyrce, niſi ſuperbia?
Sic ferus Homo, vel humana Fera, ſeptennium tranſigens,
Formam cum mente recepit.
Et qui bellua fuit cùm ſe Deum credidit;
Jam belluam ſe credens, homo fuit.

Qui

Digitized by Google

Qui adjacet Evilmerodachus eſt,
Initio Imperii major viſus,
Ut matutini Solis augetur ſpecies,
Illudente oculis Nebulâ.
His Salatielem vinculis eductum Regiæ præfecit.
Faſtuoſâ nimirum pietate;
Quòd famulitium faſtidiret, niſi Regale.
Sed blanda utcumque initia atrocibus actis corrupit.
Maleficus, Malefidus, Maledicus, Maledictus.
Ut á Nabucodonoſore ſatum credas, jam verſo in Feram.
Hunc igitur Leviri telo confoſſum,
Tertius ſequitur Balthaſſar.
Patribus ſimilis, quia degener.
Quem Daniel odoratus, Leænam vocavit:
Nec maſculum quippè, nec mitem:
Inter fœminas virum, fœminam inter viros.
Hic impietati ludibria miſcens,
Sacris Templi calicibus, Belo Dœmoni propinavit;
Talem apud convivam brevi cœnaturus.
Nimirum ebrius erat antequam biberet.
Heu quam de proximo junguntur merum & mœror?
Aperta manus, operto vultu, ferale decretum ſcripſit:
Adeo malis Principibus nemo propalam vera denunciat.
Tribus notis exaratur:
Ut trium literatum non dubites virum.
O benevolens Providentia!
Mediâ ex Perſide vocati vindices, Darius & Cyrus,
Gynde amne ligonibus mulctato,
Et infractis cornibus humiliore;
Ebriam Babylonem incendunt.
Unius noctis fato periit antiquiſſima urbium!
Hieroſolymæ ſemper æmula, tandem ſimilis:
Quam Sol cadens nimiam vidit, oriens nullam,
Quæris unde irruperit Victor Cyrus,
Per Euphratis alveum:
Hebræorum fortaſſe lacrymis auctum.
Verè ut dicas, Hebræos Chaldæorum flammis,
Chaldæos Hebræorum aquis arſiſſe.

Ita ſeptuagenariâ captivitate ſolutâ,
Ut lætus ad Proavos iret nuncius,
Mori feſtinavit Salatiel.
Plaude Viator, ac perge.

# ZOROBABEL

*Salatielis Filius.*

## MYTHOLOGIA.

Cæcæ Babylonis infelix hoſpes,
Si novum cordis Templum Deo deſtinas,
Zorobabelem ſequere.
Cujus etiam nomen triumphatam Babelem
Ut caudam, raptat,
Hunc Templo excitando Cyrus excitat.
Meritò Cyrus, hoc eſt Sol.
Quid enim Numen niſi lumen,
Quo amoto mens Babylone cæcutit?
Hic Judeæ Prorex (nam Regnum amiſerant)
Annoſæ captivitatis analecta in Patriam ducit.
Et è tanto numero vix quinquaginta chiliades ſeqvutæ.
Sic ſolet; multos ſervitus diſtinet, plures ſervitutem:
Tu è paucis eſto.
Hieroſolymam ingreſſus, Urbem in Urbe non invenit.
Ne Templi fundamenta quidem reperta.
Heu, quàm non perfunctoriè pereunt,
Quos Deus exaugurat:
Scalpente flammâ etiam infoſſos.
Septimo menſe lætitiæ ſacro,
Operans Jeſus Pontifex, Aram accendit, & animat.
Quis enim ſine Jeſu algentem refoveat ſpiritum?
Nuſquam lætior ignis emicuit.
elementum facem Templo attulit funebrem, & natalem.
Itaque Numinis ira,
Ut nobilem illam flammam vidit, extinxit ſuam.
Zachariâ & Aggæo Conſulibus,

Eze-

Digitized by Google

Ezechiele Architectô,
Ipſo novilunii cardine, Templum fundat.
Dum nocturna Cœli lampas, tenuior, quo propior Soli,
Patria decrementis incrementa redorditur.
Nam primum creſcendi auſpicium, coram Numine imminui.
Hæc inter ſolemnia,
Pari pietate, affectu diſpari,
Ovare juvenes, lugere ſenes.
Illi novæ molis ſpectaculo, hi antiquæ memoriâ.
Dubites, natale in funere, an funus in natali, celebretur,
Eximio documento;
Ut culpam defleas, etiam reparatam.
Sed hem, priſco anathemate tacti Samaritani,
Hebræorum Templum commune volunt, aut nullum.
Zorobabel nec nullum vult, nec commune.
O qui pietatis arcem moliris!
Talem fuge Societatem,
Ubi nequitia in commune, odia privatim:
Quæ omnium deterrima, quia inteſtina,
Ardere neſciunt, niſi totam pietatem reſtinxerint.
Ergo mali Fratres, ut Cyri munificentiæ obſtruant,
Megiſtanas & Satrapas commovent.
O noxia pietati politica conſilia!
Quid refert pium eſſe Regem, ſi impius Satrapa?
Injuſtum Regem mavelim, quam Conſulem.
Nam nocere ille poteſt, hic docet.
At Zorobabeli inſtantia non deeſt.
Regio ærario præcluſo, ſuum pandit.
Talem Celerem optaſſet Romulus.
Felix, qui à ſuis opibus opem quærit.
Age quod potes, quod agis poteris.
Adjuvat facientem Deus.
Pejore decreto ſævit Cambyſes poſt Cyrum.
Nam ille creſcere Templum vetat, hic ſtare.
Suo in ſulco tumulatum Templum, ad foſſam rediit.
O nubila, & obſita Dei conſilia? Quid hoc eſt?
Ruere Templum ut ſurgat, ſurgere ut ruat?
Neſcio ruinam optet, an Templum.

Ah, vide quanto in quæſtu ſit pœnitere.
Iteratos lapſus permittit, ut crebrò attritus, ſolidior ſurgas.
Nimirum, diu in exordio laborat virtus:
Sæpè ad fundamenta redeundum.
Cambyſi Hiſtaſpes ſucceſſit Darius:
Qui facunda Zorobabelis legatione commotus,
Tonantis Regiam reponi jubet.
Vis altum proficere? ora.
Dura molliunt calentes preces.
Exurgit jam Templum; luculentius quò lentius.
E parietinis vivunt parietes; ut è cadavere corpus.
Nunquam graviores lapides ſenſit Tartarus.
Nam pondere expenſo, inſidentem agnovit Deum.
Sic ævum riſura molitio, quadriennio coronatus.
Satage ò piger;
Dum calet divinus favor, opus matura.
Brevis mora æterna tollit.
Functi demum labore, feſtivos eunt in plauſus,
Et nova vox *Alleluja* circumſonat.
Nimirum voluptatum ſumma eſt Deum recepiſſe,
Qui ſui hoſpitis hoſpes, domum implet ac Fabrum.
Templo abſoluto,
Diù vixit, nihil egit Zorobabel.
Minora agere noluit, majora non potuit.
Nam ſatis egit, qui Deum recepit.

# A B I U D

*Zorobabelis Filius.*

## GENETHLIACON.

Naſcere fortunatiſſime Abiud.
Omnes tecum opportunitates naſcuntur.
Primus extra Babylonem naſceris;
Ut Meſſiæ Nobilitatem reſtituas.
Nato Templo naſceris; prima votorum materia;
O quanti locatur Numini Domus!

Pius

Pius Genitor lapides dicavit, Liberos recipit;
Verus Deucalion ex lapidibus Prolem.
Naſcere Heroum ſanguis; tecum Patria naſcetur.
Jacuit ad hunc uſque diem Hieroſolyma:
Et Dei hoſpites hoſpitio caruere.
Redditi erant Patriæ cives, non civibus Patria.
Qui poſt exilium exules, domicilium habebant, non domum.
Naſcere felix Civis, naſcitur tecum Neemias;
Qui auſpice Artaxerxe, vere Longimano, quia munifico,
Novam Hieroſolymam dabit.
Frement Samaritæ, naſcentibus muris mortem minati.
Inſtabitis nihilominus audaces Fabri,
Trullâ, & gladio utrinque diſtricto;
Ut ſacram operam altera peragat manus, altera protegat.
Cadent invidi ſurgente muro;
Suo ſanguine Cæmentum maceraturi.
Ut miraculo ſit, Civitas Pacis Bello nata.
Naſcere feliciſſime puer.
Videbis prodigium annuâ memoriâ celebrandum,
Cùm luſtrante Urbem Neemiâ,
Et abditam Sanctuarii flammam vindicante,
Aqua pro igni reperta:
Quâ reſperſi aræ lapides ſponte flagrarunt.
Gemino itaque miraculo,
Ignis Filia lympha inimicum Patrem genuit:
In bellicæ præſagium gloriæ,
Ex adverſario clareſcentis.
Naſcere Muſarum voluptas; quæ tecum renaſcentur.
Nam divinus Scriba Eſdra, obliteratas reſtituet literas.
Prodi ergo in lucem fortunatiſſime Abiud,
De tua famâ ſecurus.
Felix qui Seculo naſcitur ſcriptoribus fœto.

# ESDRA

## *Ex Levi.*

## ADMIRANDA.

*Audi & mirare, Viator.*
*Hic eſt ille Cæleſtis Chirogogus Eſdra,*
*Legum peritus, & lator.*
*Qui de ſuo Marte Aſtræam terris redonavit.*
*Nam de mentis Theſauro,*
*Adamantinæ memoriæ commiſſum Pentateucum depromens,*
*Jus divinum repoſuit.*
*Perierant Moſis commentaria pereunte Urbe.*
*Imò perierat Moſes apud immemores.*
*Quin ſuæ originis oblitus Orbis,*
*Aut ſemper ſibi natus videbatur, aut nunquam.*
*Tanto itaque reparatore Heroum geſta revixere:*
*Et ipſe revixit Mundus, dum ſuos legit natales.*
*Hic etiam ſepultam ſcribendi artem reſtituit.*
*Perierant Humanæ artes cum ſcriptoriâ.*
*Nam devinctis Babylone manibus,*
*Nulli legabantur characteres, niſi ſervis inuſti.*
*Itaque ſapientiâ gravidum pectus,*
*Nil parere poterat vitale,*
*Cùm ingeniis obſtetricare deſierant paginæ.*
*Ferebantur ad aures leviſſimæ auræ,*
*Et verba per auras moritura.*
*Hic veloci dexterâ fugientia verba moratus,*
*Acuto calamo in tabella defixit,*
*Liquidum ævum duratura.*
*Certarit cum loquentis linguâ ſcribentis manus.*
*Novoque miraculo,*
*Audiit oculus quod præpetes digiti loquebantur.*
*Quale portentum? in fertili pagellarum æquore,*
*Muſarum agello,*
*Nigerrimum notarum ſemen committi;*
*Quod aratum calamo, ſepiâ rigatum,*

Le-

*Legendam doctrinarum meſſem feſtinet,*
*Majore oſtento,*
*Inſcrutabilia cordis ſecreta fidâ in paginâ præproperè pinxit,*
*Quæ ad amicos mitterentur longo tractu ſepoſitos,*
*Ut libri cortice involutus animus*
*Flumina Oceanumque trajiceret.*
*Heu tamen pleriſque lamentabilem artem,*
*Quibus calamitas calamus, & atramentum tormentum!*
*Sed dira provocantibus imputentur*

# E L I A C I M

*Abiudi Filius.*

AZOR *Eliacimi Filius.*

## D I A L O G I S M U S.

Quis hic? *Aliquis.* Quis Aliquis? *Nemo.*
Nemo ne ſi aliquis? *Aliquis, & nemo.*
Solve Hoſpes hos logos.
*Audi Viator, & tace.*
Hæc miracula patrat *Humilitas*, vera Thaumantis,
Sapientum magiſtra, nil ſcire docens.
Hæc ſuis elementariis in arcanum ſevocatis,
Ubi nec tuba fremit, nec turba,
Illud Pythagoreum inſuſurrat,
*Silere, & ſileri;*
*Infra ſe omnia ponere, ſe infra omnia:*
*Denique ſe intra nihilum totos claudere.*
Ita nemini notos niſi ſibi,
Suo nihilo ut philoſophali palliolo involvis;
Ac *Sophos* demum proclamat, cum nihil ſciverint, niſi nihil.
Hæc Meſſiæ deſtinata educatrix,
Ipſum nihilatura, qui omnia fudit è nihilo,
Pædagogiæ experimentum in Proavis facit,
Quos latebreſcere jubet;
Ut ignotus ex ignotis naſcatur Deus.

Pro-

Proinde reliqua Meſſiæ Gentilitas, ad Joſephum uſque ſiletur!
Nam priſtino ſplendori donatâ Urbe, ſplendorem ipſi ſuum fugére;
Et populari Principatu ad Pontifices miſſo,
Vacatione obtentâ, ad Virtutem diverterunt.
Ut propinqvum divini Solis ortum non dubites,
Cum magna ſidera condi incipiunt.
Primi Eliacim & Azor in hac Tacitorum Academiâ conſcripti
Numinis more ſecum habitarunt.
Imo ne ſagaciſſimæ maris Fama quieſcentes odoraretur:
Veſtigia virtutum confundentes,
De ſuis geſtis nihil conſtare voluere, niſi nihil.
Ac ne aliquid vixiſſe viderentur, tempus arctarunt in nihilum.
Supererat ſolum nomen, magnus virtutum index, & vindex;
Nam Eliacim, redivivi Numinis triumphum,
Azor, Numinis auxiliarem ſonat.
Sed hoc ipſum humilitatis artificium fuit.
Quæ tot laudes ut minueret, in anguſtum coëgit:
Totam panegyrim uno vocabulo adſtringens:
Quaſi nihil fuerint, niſi nomen: hoc eſt, nihil.
Adde quod ſuum ipſi nomen peremerunt.
Nulli enim ſtemmati inſertum, oblituit in nihilo:
Donec ab Arcanorum Præfecto Matthæo,
De Cæli Archivis tranſcriptum, cum redivivo Meſſiâ revixit.
Itaque ut *Nemo* viderentur Eliacim & Azor,
Anomalos ſe nuncuparunt ſilentio.
Perbibe hoc dogma Viator. *Ama neſciri.*
Fulminat invidia quos tonat Fama. Ah nimis multa!
Pulverem ſparge, atque abi. Tegi iſti volunt, non legi.

# S A D O C

*Azoris Filius.*

## E C H O.

O verboſæ Famæ laconica Mima, Echo:
Quæ in hac ſpeluncâ, inter Sadoci pulveres, exanimis vivis:
Noſti ne tanti Viri coætaneum Alexandrum? *Andrum.*

Ar-

Argutè in faſtuoſum græciſſas:
Debuerat, nomine teſte, Hominem ſe noſcere, non Deum.
Orbem tamen implevit Alexandri nomen. *Omen.*
Nimirum uterque Alexander Aſiæ ominoſus.
Sed alter Græciam in Aſiam, alter Aſiam in Græciam rapuit.
At unde illi Propago? *Pago.* Pellâ videlicet oppidulo.
Ut mirer anguſtum fuiſſe Orbem, tam anguſtè nato.
Strenuum tamen Genitorem jactat Philippum. *Lippum.*
Verbo dicis. In Patris oculo legi poterant Filii mores.
Quid enim gigneret exoculatus, niſi Cupidines?
Cœca illum ſanè furiabat ebrietas. *Ætas.*
Crudam inquis juventam, cui violentia & vinolentia.
Qualis igitur Græciæ vox fuit,
Cùm primum Claſſicum inflavit Macedo? *Cedo.*
Mirum ni furenti Filio cederet Patria.
Jam qualis contra Syriam adventus? *Ventus.*
Sanè ventus: nam celeritatem comitante ruinâ,
Vi & raptim dominatur. *Minatur.*
Sic eſt. Victoriarum helluo, bella ſerens ex bellis,
Dum captis dominatur, minatur capiendis:
Nam vix Tyrum potitus, ferro deſtinat Hebræos. *Reos.*
Reos: nam commeatus ei denegaverant, qui poterat capere.
Quid agerent ergo Sabbatarii?
Adverſo Numine militarent? *Litarent.*
Id actum. In vota & expiationes itum.
Sed age: quodnam litando fragrantius thus? *Juſtus.*
Sadoci nimirum lacrymæ: nam Sadoc Juſtum ſonat.
Hic ergo ſolivagus, lacrymis pro thure ſubſtitutis,
Iratum demulſit Numen plorando *Orando.*
Bene. Nam diſertus Orator eſt, deſerti fletus.
Sed interim portas attigerat Magnus. *Agnus.*
O Prodigia! Jaddi Pontificis occurſu,
Alexander agnus fit ex leone.
Nam fulgurante JEOVÆ nomine hebetatus
Subſtitit ad eximiam frontis notam. *Notam.*
Pridem notam. Nam quieſcenti monſtrata, victoriam ſpoponderat,
Itaque terram petens, Vatem adoravit Judæum. *Deum.*
Imò. Nam certum Numen in Vate vidit.



Digitized by Google

Quid ergo pretii tulit Deum nactus patronum? *Thronum.*
Meruit, inquis, Imperium Perſicum Græca pietas.
Sed dum Orbes optat, Orbem amittit;
Et ille Magnus ſepulcrum ſubit exſile. *Sile.*

# A C H I M

## *Sadoci Filius.*

## V I C E S.

Tu quoque modeſtiſſime Achim,
Taciturnæ Humilitatis propoſito latens,
Ingenti hac virtute virtutes omnes operuiſti;
Ut nemo vixiſſe te ſenſerit.
Hanc tamen unam, quâ cæteras tegis, nunquam teges:
Cùm hoc ipſum appareat, quòd non appares.
Nec latuit tuum certè Seculum:
Quo fortuna, dulcibus acida intermiſcens,
Alternis riſit, ac flevit;
Ut nec gaudia continere poſſes, nec lacrymas.
Fleviſti hoc primum, quod annuente Alexandro,
Antipontifex Manaſſe, Samaritanum Antitemplum dicavit.
Potuit diſcordiæ Templum vocari,
Ubi vota votis, & victimæ victimis adverſæ,
Sionis cultum geminando minuerunt.
Ibi cruentus ille pecudum & civium mactator,
Flammâ dignior, quam flammeo;
Arâ erectâ, rebellium Aſylo,
Docuit Tyrannum tutiùs imperare rixantibus;
Et Hebræos perdere per Hebræos.
Nam Reſpublica navigium eſt:
Integrum natat, diviſum mergitur.
Recreaſti te nihilominus vindictæ ſpectaculo.
Ipſum quippe Mundi raptorem Alexandrum,
Herculis ſcyphus ſtatim necavit.
O lethum milite indignum!
Animam mero, non ſanguine purpuream, vomere.

Imò

Digitized by Google

Imò ſic mori debuit biboſus victor,
Bacchi & Herculis Æmulus:
Nam utrumque adverſarium expertus,
In Herculis cratére, à Baccho jugulatur.
Puto Clytus aliquis in illo ſcypho latebat.
O philotheſium cratérem, ſtellis donandum!
Probavit ſe ille ſcyphus Herculem, Tyranni cæde.
Hujus igitur magnitudo, in exiguum contracta cinerem.
Veſtræ locum fecit libertati.
Nam, ne Danielis vaticinio detogaretur,
Servi quatuor, in totidem fruſta Imperium lacerarunt trahendo.
Adeò Terrarum Orbis
Magno puſillus, puſillis magnus eſt viſus.
Heu! tanti ne fuerat ignota bella ſcrutari,
Ignorante victore cui vinceret?
At ecce novam lacrymarum ſcatebram.
Ptolemæus Lagis ſucceſſor,
Poſt brevem libertatem moleſtius vobis jugum impegit,
Nil Purpurâ voracius:
Hic purpuratus, poſt Ægyptum Syriam cupit.
Religionis imitamento ſacrificium prætendens.
Templum diripit.
Deerat hoc etiam miſeris, Regum pietatem timere.
Ad Aram eandem,
Populus pro latrone vovet, latro populum devovet.
O pertinax Hebræorum munificentia!
Se nudant ut Templum ornent, toties nudandum.
Quid erat aliud Sionius collis, quam Barbarorum fodina?
At ne avarus prædo videretur,
Si Hebræorum gazas, non ipſos raperet;
Centena civium millia catenis oneravit.
Itaque totum Ægypti ferrum, Judæi;
Totum Judæ aurum, Ægyptii ſecum tulere;
Sed triſtia lætis rurſum mutata.
Vacavit aliquando Africa monſtris.
Ptolemæo Lagidi, Ptolemæus Philadelphus ſuccedit.
Rudi eruditus, ideoque benignior.
Cujus beneficia proximus hic lapis ſervat.



Digitized by Google

# JESUS

## *Siracides.*

## MEMORIÆ

*Æternitati.*
*Ptolemæus Philadelphus,*
*Suaſore Phaleréo Demetrio,*
*Alexandrinam Bibliothecam unico libro cumulaturus;*
*Moſis volumen, ſcitoſque voluminis interpretes,*
*A Pontifice Maximo Eleazaro precatur.*
*Ut impetret, captivos donat:*
*Et Hebræus liber, liberos fecit Hebræos.*
*Quantum Phalereo debeat Eccleſia, videt.*
*Tot habuit ſtatuas, quot annus dies:*
*Tot meruit, quot æternitas annos.*
*Immò attoniti liberti, ſpirantes Phalerei ſtatuæ fuere.*
*Hujus officiis ingens miraculum vidit Pharos:*
*Duos & ſeptuaginta Interpretes,*
*In Erythréo litore domunculis diſcretos,*
*Patrium Bibliorum idioma, græcè vertere;*
*Tantâ ingeniorum conſpiratione,*
*Ut ne de ſyllabâ diſcordes reperti ſint.*
*Dixeris, aut tot manibus unum præfuiſſe caput;*
*Aut tot capita unâ ſcripſiſſe manu.*
*Unilingues fuere, quia unicordes.*
*Pretioſiorem unionem nuſquam viderat illud Mare*
*Unionum ferax.*
*Nova res, & miraculo ſimilis;*
*Inter Hebræos concordia, inter Græcos veritas.*
*Nimirum, aderat inter interpretes Jeſus,*
*Cujus nomine veritas ſibi conſtat;*
*Quæ ſemper eadem, atque una,*
*Hoc ſuus teſtatur Eccleſiaſtici liber,*
*Qui unus, omnibus conſonat, & omnia dicit.*
*Ex uno interprete, omnes diſce.*
*O docta capita! ſuâ ſcriptili papyro,*

*Quà*

*Quâ Pharii Reges coronantur, laureanda,*
*Nec improvidè librum edidere,*
*Ubi turrita Pharos fidum nautis lumen oſtendit,*
*Nam per fallaces Rabbinorum Syrtes,*
*Errore vario jactata ingenia,*
*Voluminis hujus lampas in rectam ducit.*
*Et Gentilitati naufragæ prælucet.*
*Huc proram obverte, & anchoram fige.*

# E L I U D

## *Achimi Filius.*

## ELEAZAR *Eliudi Filius.*

## CONSOLATORIA.

Deterrimò urgentur Sæculo ſanctiſſimi Heroes
Eliud & Eleazar.
Debuit tota nequitia ſe proferre;
Integra Inſtauratori materia.
Ad homines feſtinat ſalus, quia ſcelera ad metam.
Hoſtes pariter & carnifices inſtant.
Brevi, Martyrum Seculum eſt.
Quorum Sanguis Meſſiæ prælucet, Soli Aurora.
Barbarici ferri magnes, Templi aurum fuit;
Toties raptum, & rapiendum.
Infelix metallum: nullibi tutum, ne in Templo quidem.
Meritò pallidum, quòd ubicumque inſidias paveat.
Sacrâ hujus fame captus Seleucus, Heliodorum immittit;
Qui Angelorum flagello tactus, intactas opes relinquit.
Ac ni Onias oraſſet, invenerat latro pro loculis loculum.
Succedit Antiocho feliciùs:
Qui Oniæ Pontificatum licitantibus vendit:
Atque ut ſacra dignitas, dignitatem amittat,
Coronam ponit ſub coronâ:
Vileſcente Apice quod pretio emitur.
Tum direptam Urbem mortibus implet:



Digitized by Google

Octingentis Civium millibus intra breve triduum cæſis,
Totidem vinctis, aut ſubhaſtatis.
Feralis haſta, quæ turpius vendit, quàm ferit.
At fœdiora per Philippum & Appollonium præbet exempla.
Qui præmiſsâ pace bellis pejore,
Luce ſacrâ vacantem Theatro Populum contrucidant;
Et undante ſanie, naumachiam faciunt ex palæſtra.
O luctuoſum ludicrum, & feriæ inferiis proximæ!
Mala Ædilis Mors eſt; ex cædibus ludos facit.
Neque hoc ludicro contentus Antiochus;
Certante cum Theatri arenâ peremptorum numero,
Extritæ frontis Senem delégat.
Cujus ætas ſcribitur, ut vulpem de pilo noſcas;
Nomen ſiletur, ut totus pereat.
Antichriſtum citra calumniam voces.
Hic Aram caſtiſſimam probroſo inceſtans Idólo,
Hebræorum reliquias á patrio ritu deterret.
Gaude Pietas. Virtutes uti nubes, colliſæ fulgurant.
Videbis nonagenarios, fœminas, infantes,
Sacro etiam bello devotos Machabæorum Duces;
Libertatem retinere, non ſanguinem.
Vos verò integerrimi Chriſti Proavi,
Eliud, & Eleazar, in Bethlehem ſecedentes,
Exilium ferre maluiſtis, quàm mereri.

# E L E A Z A R

*Protomartyr. Ex Levi.*

## C O N C I O.

Hic ille eſt Longævus Levita,
Qui à Sene Antiocheno porcinam mandere juſſus,
Rogantes amicos ut ficto obſequio mortem fugeret,
Tali concione increpuit.
*Quod ſuadetis, amici, etiam hoſtis ſuadet.*
*Bonâ fide ad cœnam vocatis, quam Tyrannus parat.*
*Ego perjuris faucibus ſuillas dapes invadam,*

Hoc

*Hoc ipſo virulentas, quia proſcriptas?*
*Hoc ore leges violem, quo legem doceo?*
*Na, dignus ſim Bruto apponi, quod mihi apponitur.*
*At morieris. Quid ni?*
*Neceſſarium utrique malum minatur annoſus Tortor.*
*Solvendum ſemel hoc vitæ penſum:*
*Quod qui perendinat, Morti fœneratur, diu moriens;*
*Non æſtimat annorum meorum pondus,*
*Qui Morte me leviorem putat.*
*Nonaginta me illaqueant anni.*
*Hanc effugere nec poſſum velle, nec velim poſſe.*
*Veteranam Eleazari pietatem terga vertere?*
*Pulcherrimam vitæ fabulam extremo in actu corrumpere?*
*Sine fruge hanc frontem aravit tempus, niſi laureolam meto.*
*Quin ſi me intactum Fata præterirent,*
*Nunc occurrerem Fatis, ut patriis pro legibus caderem.*
*In hoc naſcimur, ut honeſtè cadamus.*
*Tunc dignum eſt mori, cùm indignus es mori.*
*At nimis durus videor? erratis.*
*Scabra cuti tenaciùs hærere ſpiritus ſolet.*
*Tamen hunc moriendi metum pellit peccandi metus.*
*Hic ipſe ſemimortuus confector meus conſtantiam docet,*
*Qui penè effertur, efferens me.*
*Cur ferre verbera hac ætate non poſſim, quâ ille poteſt infligere?*
*Tam contra ſenectæ mores crudelitas eſt, quàm fortitudo.*
*Pudor ſit ſi naturæ imbecillitas*
*Vitio ſuppletur, non virtute.*
*At non onerat novitas meum caſum.*
*Jamdudum in hoc ſum initiatus.*
*Sacerdos ſum: mei muneris eſt ſanguinem fundere;*
*Neque ſemper ferinum.*
*Quouſque minoribus victimis operor,*
*Ignavus Myſtes, & de alieno tantùm pius?*
*Tot Hoſtias feci, ut Hoſtia fieri diſcerem.*
*At ſimula; eſum finge, labris illude;*
*Obſequii imitatione circumſcribi Tyrannus poteſt.*
*Addamus & velle: quid hoc erit?*
*Amici ſimulationem ſuadent?*

*Vide.*

Digitized by Google

*Videte, ne fictus amor ſit, qui docet fingere.*
*Nil ſimulat ſenectus; ne ſe ipſam quidem.*
*Fidei colorem oſtendunt cani.*
*At Græcus proditor ſimulationem ſenectâ ſuâ dignam putat,*
*Poſt fidem perimens, imò per fidem. Eſto.*
*Nobis cavendum, ne Atticæ fidei ſimilem faciamus Hebræam,*
*Religio meretrix non eſt: Pigmenta reſpuit.*
*Peccat non ficte, qui ficte peccat.*
*Ignoratis, convivales amici,*
*Quales oculos in pectorum ſecreta Numen immittat.*
*Conſtat de commentario quid ſapiant impermiſſæ dapes.*
*Hâc rimâ mors inceſſit,*
*Brevi: obſequi neceſſe eſt, vivere non eſt neceſſe,*
*Malo eſſe eſca, quam tales eſſe eſtas.*
*Eamus Tyranne: nemo me trahet; omnes antecedam,*
*Mortem appara:*
*Bene cautum mihi eſt; non poſſum totus mori,*
*Virgas expedi:*
*Solum pulverem excutient, & hunc reparabilem,*
*Quate, ſeca, reſeca:*
*Vulnera ipſa vulnera:*
*Tanto ociùs hoc ſervitutis clauſtrum perrumpes,*
*Rempublicam fulcire integer nequeo, fractus potero,*
*Valete amici; aliquando laudabitis quod timetis.*

# MATER MACHABÆA

*Martyr. Ex Levi.*

## ICON.

*Muliebris hæc Statua, conſtantiæ Imago eſt.*
*De nomine nihil certum: miracula nomen non habent.*
*Atqui, miraculum eſt conſtans Fœmina.*
*Saxeam Niobem fortaſſe voces.*
*Nam Filiorum ſeptem funera proſpectans, ſic ſtetit.*
*Sed Niobes à Cælo, hæc pro Cælo diriguit.*
*Extincto grandævo Eleazaro,*

*Anus*

Digitized by Google

*Anus intrepida ante Antiochum ſiſtitur.*
*Hoc deerat ad Hebraam gloriam,*
*Ut colus numeraretur inter trophaa.*
*Contra legiones, Filiorum manipulum ducit.*
*Numerum ſonorum, atque concordem.*
*Hanc gladiatoriam familiam ſanctiſſima Laniſta erudit,*
*Una die ſpectaculorum hebdomadem prabens.*
Ite, *inquit*, ò meum agmen,
Hoc vultu quo Fœminam videris.
Docete non ſolas Lacænas viros parere,
Mei Liberi non eſtis, niſi eſtis liberi.
*Circumſtans Matrem ſeptena illa capita.*
*Hydram diceres ferri avidam.*
*Clarior nulla conſtitit inter Conſanguineos invidia;*
*De ſupplicii primatu rixantur.*
*Nec Mors timetur, ſed mora.*
*At ne perturbatè peccet Antiochus*
*Ordinem tenet in ſcelere.*
*A grandiori crudelitatem auſpicatur,*
*Ut iiſdem gradibus orba fieret, quibus fuerat Mater.*
*Aſtanti Puero cibos apponit, ab Eleazaro recuſatos,*
*Hoc ſufficit, ne attingat,*
*Averſanti linguam pracidi jubet.*
*Nam prima Tyranni cautio eſt in linguas.*
*Quid agis Antioche? ex linguâ calamum facis.*
*Cruentum hoc fruſtulum terram ſignans,*
*Fortiora ſcribet, quàm loquantur,*
*Poſt linguam manus poſtulatus,*
*Citius porrigit, quam jubetur.*
*Et hoc Tyrannicum eſt, manus formidare poſt linguas,*
*Cecidit ſub ſecuri ſecura dextera:*
*Mortua illa palma, palmam rapuit:*
*Et ſecta manus caleſte iter Fratribus indicavit.*
*Parum fuit indicaſſe, niſi veſtigia ſignaret.*
*Ergo etiam pedes amputanti porrigit:*
*Sine his citius perventurus quò tendit.*
*O vera Hermetis effigies, recti terminos ſignatura.*
*Sub hac mortalitatis ludibria, propoſiti tenax,*



Digitized by Google

*Totus & ſenſim obverſâ cute deglubitur.*
*Mortuos non cupit Tyrannus, ſed morientes.*
*Stupet triumphalis Ephebus ſe extra ſe exiviſſe;*
*Non alio ſenſu, quam ſi dormiturus ſindonem poneret.*
*Dicturus ſi poſſet,*
Non eſt in cute mea virtus: hanc numquam curavi.
Tene Barbare: nil habes mei niſi vaginam.
Hanc etiam amittes, ad me redituram.
*At ne ſic quidem mollitus, bulliente in olivo frigitur.*
*Si ſartaginem audis,*
*Neſcias, oleumne querulum gemat,*
*An ipſo in oleo tripudiet Martyr.*
*Nemo ſanè inter unguenta majore luxu diffluxit.*
*O dolorem voluptatum pleniſſimum!*
*Quid enim Martyrium, niſi beneficium malo animo factum?*
*Sic oleum & operam in primo Tyrannus amiſit.*
*Succedunt ordine reliqui;*
*Et exemplum capiunt, daturi.*
*Alterius oleum, alterius palæſtra ceroma eſt.*
*Singuli fraterno Martyrio donantur, & ſuo.*
*Omnes antiquæ veritati linguas immolant.*
*Omnes in fidei ſpecimen Deo dexteras donant.*
*Omnes ad Olympicam palmam ſine pedibus currunt.*
*Omnes ſartaginis oleo ad Regnum ſacrantur:*
*Unà omnes, ſeptemplicis inſtar lychni, Matrem circumſtant*
*Plus dico: omnes in ultimo ſpiritu loquuntur elingues.*
*Funduntque de ſartaginis tripode oracula,*
*Delphicis meliora.*
*Mirantur Græci tam ſolida Hebræorum effata.*
*Quibus nec ſuos Sapientes comparent, niſi numero.*
*Quæris num fleverit Mater?*
*Non plus quàm hic lapis.*
*Suas lacrymas alienis in oculis ridet.*
*Spectat ſuos Heroas, ſpectata Herois.*
*Se ipſam in ſingulis miratur:*
*Et ſingulos tuetur, dum intuetur.*
*Afræ volucri ſimilis, quæ alumnos obtutu format.*
*Sic uno die ſepties Mater, & Martyr:*

*Poſt*

Digitized by Google

*Poſt ſeptena Filiorum funera exarſit.*
*Et Planetarum numero addidit Firmamentum.*

# RAZIAS

## *Ex Levi. Martyr.*

## ETOPEÏA.

*Audi, Viator, inauditam ad libertatem viam,*
*Ducente Virtute, quà vitium eſt ſequi.*
*Sperabat Eupatoris Præfectus devinctam Judæam,*
*Si Raziam ligaret.*
*Hic ad catenas quæſitus, confugit ad ſuum gladium.*
*Sed non egit pro voto.*
*Anguſtiore aperto vulnere,*
*Quàm quo ingredi tota Mors poſſet.*
*Hoc more Mors eſt: cita invitis, ſera optantibus.*
*Ergo inſtante Coborte, ignavum objurgans ferrum,*
*De muro ſeſe permiſit.*
*Non eſt hoc ire, ſed præcipitare ad libertatem.*
*At eliſis retró cervicibus, ne ſic quidem moritur.*
*Puduit animam á tergo exire:*
*Vel tantæ animæ nullus exitus ſatis patuit.*
*Trajicit ſe per frequentiam fractus & integer;*
*Saxumque pro concione inſiſtens ſuggeſtui ſimile,*
*Trepidos Cives ad libertatem hortatur,*
*Ac ne verbis deſit pondus,*
*Sua ipſe viſcera de vulnere penſilia diſſipat?*
*Et plenâ manu ſupra populum ſpargit.*
*O vivacem fortitudinis naturam, quæ ſuis de vitalibus ludit?*
*Scrutatur ſecura dextera penetrales animæ ſedes.*
*Tot altè integumentis demerſa pectoris ſacraria,*
*Quæ nemo ſpectat impunè, manu ducit, & vulgat.*
*Vivis pectoribus calentes exuvias prædatus,*
*Laceratur qui lacerat, vulnus patitur qui facit:*
*Et palpitantia viſcera, ut non ſua frangit, ut ſua donat.*
Capite, *inquit*, Cives. Hæc meæ libertatis trophæa ſunt,



Digitized by Google

Hic animus ligari non vult; ne fibris quidem.
Vitæ nodos & ligamenta projicio.
*Quæ roſtra veriore declamantis facundiâ perſonuerunt?*
*Non hæc Suada medulla eſt, ſed medullarum Suada.*
*Superavit Actæi Senis vota:*
*Ille loquentium pectus de rimâ introſpicere optavit;*
*Hic, apertus Orator;*
*Non tam vocem, quàm vocis organa oſtendit:*
*Simulque ad Auditores verba mittit, & viſcera.*
*O felicem Populum, Augure libertatis Raziâ!*
*Qui ſuamet exta, ſacrificâ manu tractata, conſulens,*
*Omnia libera, & ſecura pronunciat.*
*Actum eſt de tua tyrannide Antioche:*
*Horum hominum ingenuitatem non coges.*
*Quid enim? Portas objicies?*
*Libertatis clavim manu tenent, pugionem.*
*Muros? Ad libertatem murus eſt gradus.*
*Catenas? Difficiliùs eſt ſua inteſtina proſcindere.*
*Jugum? Hæ cervices frangi poſſunt, non flecti.*
*Inediam? Poſſunt ſine viſceribus vivere.*
*Viſcera ipſa exiges? Ultro ejaculantur.*
*Puto etiam ſuos nervos arcubus ſufficient, ut te feriant.*
*Ah! quid Amore libertatis ingenioſius, ac ſævius.*
*Titiano immitior vulture, ſuum ſcalpit pectus.*
*Vis Amorem pingere?*
*Raziam in ſaxo pinge, ſua viſcera dividentem:*
*Eviſcerati Amoris ſymbolum eſt.*
*Errant qui Patriæ Patrem vocant hunc Senem;*
*Magnam Matrem veriùs dixerint:*
*Nam latè fuſis viſceribus Cives amplexus,*
*Omnes Liberos ſuos fecit.*
*Utinam inſperſilia hæc fruſta Civibus innaſci poſſent!*
*Nullum verius fortitudinis ſemen eſt jactum.*
*Voluit igitur poſt declamationem mori,*
*Ut integrum animum ſemianimi Populo legaret.*
*Atqui, tardante Atropo,*
*Vitæ ſuæ filum ipſe præcidit.*
*Nec Fato gratias debuit, ſed ſibi.*

MATHA-

Digitized by Google

# MATHATHIAS

*Ex Levi.*

## NEMESIS.

*O Cælitum ſtrenuiſſima Nemeſis,*
*Empyrii Numinis, & anxia Neceſſitatis Filia!*
*Dic quales aculeos Levitarum patientia ſuffixeris,*
*Ut Martyria Marte mutarent.*
*Scio, Poſt enormem Sanctorum ſtragem,*
*Solitudine in Civitatem ingreſſâ, in ſolitudinem fugerant Cives,*
*Quâ nulla infelicibus felicior patria.*
*Tu de Cæleſti prætorio delapſa Virgo,*
*Pontificem Mathathiam in cinere jacentem ſic accendiſti?*
Quid agis cinerarie Senex?
Hoc cinere Zelum ſupprimis, qui æternus eſt focus
Sacerdoti commiſſus?
Occidi cupis, cum liceat occidere?
O ingloriam fortitudinem, quæ pati tantum poteſt!
Ergo ut vivat Religio ſanguinem totum dabis?
Hoc ipſo peribit exanguis.
Cape in armatos arma.
Miſeri fiant, qui miſeros faciunt.
Sentiant hoſtes adhuc te vivum.
*Sine Populo Princeps, Pontifex ſine Templo,*
*Se, Filios, Familiam,*
*In ſacram militiam contra Tyrannos conſcribit.*
*Tu interim divina Nemeſis,*
*Pro belli ſigno, bellum dediſti;*
*Commiſſis alto in æthere flammeorum Equitum cohortibus*
*Aureis inter ſe armis dimicantium.*
*Indubio victoriæ auſpicio: quid enim auro inexpugnabile?*
*Horruit tua conſilia Tyranni Prætor Apelles.*
*Verſuſque ad crudelitatis alterum genus, clementiam;*
*Blandâ ſpe Mathathiam Idolis conciliare tentat, non minis;*
*Sed nihil ſperat, qui nihil timet.*
*Hic non Deum deſerit modò,*



Digitized by Google

*Sed nihil ſperat, qui nihil timet.*
*Hic non Deum deſerit modò,*
*Sed deſertorem Judæum, Idólis adolentem,*
*Ipsâ in Arâ jugulat:*
*Oppreſſurum quos impune aluerat ignes.*
*Tum ferrum in Prætoris pectus intendit, cujus òculos ſpreverat,*
*Ut peccandi author cum peccati miniſtro plecteretur.*
*O meritas vices!*
*Sacerdos Judici carnifex. Judex Sacerdoti fit reus.*
*Neſcio ad quem pertineant hæ victimæ.*
*Sanè Deo cadunt, à Dæmone rapiuntur.*
*Rediit ex his vulneribus in Religionis venas ſanguis.*
*Reſpirarunt Judæi ipſo flatu, quem Prætor exhalavit,*
*O quantulis ex rebus quanta pendent!*
*Calamitas & beatitudo, ſolâ pugionis acie diſtabant.*
*Succeſſu animoſior Pontifex,*
*Ad Dei partes Populum vocat.*
*Vox claſſicum fuit, vexillum pugio.*
*Egiſti ſub ea ſigna Aſſideorum Academiam,*
*Fortisſimum genus quia Sanctisſimum.*
*Græci ex leonibus vulpes, ad patrias artes confugiunt.*
*Aderant ſeptimæ lucis ſacra otia:*
*Tum feriatum Hebræorum Martem laceſſunt Barbari.*
*Heu miſera ignorantiæ conditio!*
*Judæorum plerique, ignavi quia ignari,*
*Sabbati quàm ſui tutela religioſiores,*
*Cædi malunt quàm cædere.*
*Tu increpitâ intempeſtivæ pietatis morâ,*
Surge, *inquis*, Mathathia: Sabbatum Marti conſecra.
Quietis dies eſt, non inertiæ.
Nec ulla dulcior quies, quam ſub Palmâ.
Ipſa Impiorum cædes
Feſtum diem faceret, niſi eſſet.
*Beaſti ergo te horribili ſpectaculo indignabunda Virago.*
*Fregiſti properante curru Græcorum cumulos,*
*Manente magnis in vulneribus orbitâ.*
*Ex eodem cruento gramine*
*Equis pabula, crinibus gramineam exhibuiſti.*

*Ac*

*Ac ne lætitiæ funalia deeſſent,*
*Templa cum Myſtis, Idola cum Idololatris, incendi jubes;*
*Nec citius jubes, quàm incenduntur.*
*Quicquid irreligioſum erexeras Græcia,*
*Ne adoretur, aduritur.*
*Tu inter illa incendia dirum ſubridens,*
Fruere, *inquis*, Antioche, promeritâ hac luce.
Potes jam vero cognomento Illuſtris fieri.
*Sic barbarum jugum excutit Mathathias.*
*In cujus unam domum, Judææ virtus tranſlata.*
*Tum fatali bello confecto, fato conficitur,*
*Palmas numeraturus, quas præmiſerat.*
*Tu ad Cœlum converſa, & mucronem lambens:*
Jo, *inquis*, Superi.
Nihil unquam dulcius bibi.

# JUDAS MACHABÆUS

*Mathathiæ Filius.*

## TROPHÆA.

*Parcite tantiſper undis laſſati Remiges,*
*Ne venerabile hoc litus illaudatum recedat.*
*Inſignis ille Obeliſcus, Modinæo ſolo apicem imponit,*
*Machabæorum cunis & ſepulcris beato.*
*Ingentes illæ columnæ armis graves,*
*Cælo ingerunt quicquid formidaverat Tellus!*
*Inter hæc Trophæa Judæ Mauſoléum ſurgit.*
*Qui ſacro & militari Miniſterio, bis Princeps,*
*Majora quàm geri poſſint, geſſit.*
*Dignum Corpore Animum, res geſtæ docent:*
*Dignum Animo Corpus, Gigantea monſtrat lorica.*
*Huic pro patriâ lege contra Barbaros accincto,*
*Univerſa militavit Natura.*
*Angeli armis, Aer ſpectris, Somnus præſagiis.*
*Mortuos etiam ſortitus Auxiliarios,*
*Ab Oziâ animatur, armatur ab Jeremiâ.*

*Deus*

Digitized by Google

*Deus ipſe tanto Imperatori centuriatus,*
*Fulmineâ manu Fecialem ſe præſtitit.*
*Ut crederes Deum pugnare, Judam imperare.*
*Quin ab ipſo ſtetere Hoſtes.*
*Nam fulguranti Judæ obtutu dementantes,*
*Cæco ludo inter ſe mortes diviſere.*
*Hoc fuit Judæ pugnare, funebres ludos facere.*
*Claruit Virtus trium Tyrannorum periculo,*
*Epiphanis, Eupatoris, Demetrii:*
*Quorum primum ſolo nomine exterruit;*
*Alterum pugnando exarmavit; Tertium agitavit extinctus.*
*Nicanorem trium Regum Prætorem; ter inſurgentem,*
*Primo congreſſu nudavit, ſecundo fugavit, tertio occidit,*
*Ab Apollonio ſanguinem exegit:*
*Cujus gladium, Sanctorum cæde impium, impiorum cæde expiavit.*
*Seonem, Ptolemæum, Gorgiam,*
*Syro, Græco, Aſiano exercitu circumvallatos,*
*Dum ad ſpolia convolant, ſpoliavit.*
*Timotheum & Bacchidem, blanditiis quàm minis ferociores;*
*Menelaum & Alcimum, Mitrâ & Galeâ male uſos;*
*Ne ſemel perirent, ſæpius fugavit.*
*Idumæis palmas eripuit; Arabibus oleas conceſſit;*
*Fulminis more in obluctantia ſe exercentis,*
*Octoginta millia ſub Lyſiâ,*
*Centum quindecim millia ſub Antiocho,*
*Centum viginti millia ſub Timotheo,*
*Exiguâ manu, Ogygiâ ſtrage, diſperſit.*
*Sic numero impar, ſucceſſu major, cauſa melior,*
*Bella omnia lugendo concepit, ludendo confecit.*
*Victoriarum loca ſi quæris, Judæum Orbem diſcurre.*
*Rebelles Galaaditarum Urbes currente incendio deletæ,*
*Præſteris inſtar perpetuâ flammâ viam ſignantis.*
*Idola omnia immolata; immolatores omnes mactati:*
*Ut Dæmonum opprobria nunciarent Inferis.*
*Gazaræ præſidium Iero olymis æmulum,*
*Viginti non ampliùs commilitonibus patefactum,*
*Ferox Maſpha contrucidatis maribus evirata.*
*Altiſſima Caſphis, ideoque ventoſæ linguæ,*

*Civium*

Digitized by Google

*Civium ſanguine ſtagnum auxit, eâ die non ſtagnum.*
*Carnion ſitu, Ephron civibus vallata,*
*Didicere, impietatem, nec mœnibus, nec manibus tutam,*
*Joppitarum, Jamnitarumque maleſida navalia ſuccendit.*
*Fecitque è portu Pharum, ſuiſmet navibus metuendam.*
*Jeruſalem ſepties defenſam, quater Triumphator ingreſſus:*
*Superſtitione, ac ſanguine pollutam Dei Domum,*
*Novis natalibus dedicavit.*
*Æternaque lætitiæ imagine,*
*Tabernaculorum Feſtam diem quotannis reverti juſſit.*
*Fortiùs nihil agere poterat: debebat & fortiter pati.*
*Itaque Urbe donato Imperio, quod in ſolitudine invenerat;*
*Hebræo cultu, Græcâ pace, Romanâ ſocietate*
*Patria feliciter arrogatâ:*
*Domeſticis malis, ut Victores ſolent, extinguitur.*
*Ex illo tantum ſanguine conſtitit Hominem fuiſſe.*
*Hunc igitur, digniſſimo omnium loco,*
*Sua inter Trophæa, mœſtisſimi Fratres compoſuere,*
*Erectâ ingenti Pyramide virtutum metâ:*
*Situ, & mole Nautis conſpicuâ;*
*Ut votis aſſueſcens Judas, Æquora placaret poſt Terras.*

# JONATHAS

## *Judæ Frater.*

## POLYTICON.

*In Judâ quid Divinum robur;*
*In Jonathâ quid Humana prudentia poſſit,*
*Viator diſce.*
*Parando Regno plus virium; ſervando plus ſolertiæ requiritur,*
*Regnabat Aſiam interfector Antiochi Demetrius,*
*Aſiam repetebat interfecti Filius Alexander;*
*Inter Aſiæ Procos meritoria proſtabat Judæa.*
*At qui ſe geſſerit Jonathas, dicam.*
*Audiant Principes majoribus intercluſi.*
*Urbanis tunc diſſidiis agitabatur Jonathas;*

Fff Nam

*Nam Judâ caſo ad victorem Bacbidem vulgus defecerat:*
*Et alterius Fratris cruorem ſparſerant Jambrenſes.*
*Adeò Leoni mortuo inſultant Lepores.*
*Itaque in Urbe Urbes erant; & nullum caput quia multiplex.*
*Utriſque imminebat jam victor Jonathas:*
*Jambrenſibus lanceas inter lances,*
*Baccbidibus tumulos inter thalamos intulerat:*
*Ut pari ſomno, accubantes & cubantes, occumberent.*
*Hic igitur externas rixas odoratur, civiles ſtatim compoſuit:*
*Et fraternæ ultioni præpoſuit pacem.*
*Actum enim de Imperii ſalute, cum inteſtina ſovuntur.*
*Rebus domi compoſitis, utrique externo videri utilis cæpit.*
*Exiguo quippe momento victoriæ lances inclinantur.*
*Quid eligeret Jonathas?*
*Inter geminum Martem neutri accedere, intutum:*
*Utriuſque alea ſuper te curret, niſi ludas.*
*Aut unum perditurus es, aut à duobus perdendus.*
*Ergo æſtimatis hinc illinc viribus, fortiori plaudens,*
Jungitur Demetrio Jonathas contra Alexandrum,
*Solerter. E factionibus, urgenda ſemper infirmior.*
*Ni à Brutis doceri pudet; canes docent:*
*Qui rixantibus ſuperveniunt, macilentiorem allatrant.*
*Sed in fœderis pretium milites petit, obſides repetit,*
*Quos cum Sionis Arce tenebant Græci.*
*Hoc ſtatim ſatage, ut Mars finitimus tibi ſit frugi.*
*Inter aliena negotia, tuum matura.*
*In turbido naſſa mittitur.*
*Poſt paulùm; fortunâ bellicas ſortes verſante,*
*Jam fortior Alexander præmiis ſolicitat Jonathan,*
*Pontificatu, Coronâ, Purpurâ.*
Jungitur Alexandro Jonathas contra Demetrium,
*Qui primum tantum claſſicum audiit:*
*Nam velocior ut fugeret, à tergo vitam reliquit.*
*Levem credideris Jonathæ fidem: non fuit.*
*Norat Demetrianum ingenium, injurium, & perjurum.*
*In pugnâ comes, in pace hoſtis, expectabatur.*
*Fœdus ferierat, ut fœderatum feriret.*
*Soluit quippè felicitas neceſſitudinem, quam neceſſitas ſtringit.*

At

*At rurſum mutatâ ſcenâ,*
*Demetrii Filius, Ptolemai Soceri armis præpollens,*
*Alexandrum interpellat.*
Jungitur Demetrio Jonathas contra Alexandrum,
*Quem fugacem Arabicus gladius invenit.*
*Non fuerat melior Alexander, ſed utilior.*
*Pelaſgi omnes.*
*Judæis fidem non ſervaſſet, qui oderat Judæam fidem.*
*Capiendus ergo fuit, ne caperet.*
*Nec interim parvo lucro:*
*Nam vel annuente, vel non renuente Demetrio,*
*Hebræam immunitatem, & Judæ fines aſſequitur;*
*Hieroſolymæ arcem vindicat, minax munimentum,*
*Quod Urbis jugo impoſitum, Urbi jugum imponebat.*
*In æſtuario non dormiendum.*
*Neque hic ſtetére vices.*
*Patrios ulturus cineres puer Antiochus,*
*Auguſtioribus præmiis Jonathan demeretur.*
Jungitur Antiocho Jonathas contra Demetrium,
*Quo ſtatim fugato, ſecuritati conſulens,*
*Urbem muris præcingit.*
*Hoc agendum cum malæ fidei muneratore.*
*Beneficium cape, cave à benefico:*
*Ut ſuummet munus timeat ſi repoſcit.*
*Poterat huic Fortunæ acquieſcere,*
*Si quieſcere poſſet Fortuna.*
*Tryphon Antiochi Præfectus,*
*Regni dulcedine captus quod Antiocho acquiſierat:*
*Aſianæ libertatis ſpe Jonathan mulcet.*
Jungitur Triphoni Jonathas contra Antiochum.
*Sic callidus Heros, cum Græcis græciſſans,*
*Inter præſentem Hoſtem, & futurum;*
*Altero Alterum trudens,*
*Aliquid ſemper ex utroque libavit.*
*Sed heu cæcam Politicorum ſapientiam?*
*Nemo omnibus horis ſapit, ne Jonathas quidem.*
*Quem Pelaſgâ ſcilicet fide recepit Tryphon:*
*Receptum, vinculis ſuo fœdere ſtrictioribus occupat:*



Digitized by Google

*Occupatum cum Filiis immolat:*
*Et alterius oculos alterius cæde funeſtat.*
*Inclytus tamen Heros, nec Judâ minor.*
*Nam ſi utrumque conferas, dices,*
*Deum pro Juda militaſſe, Jonathan pro Deo.*
*Extinctum flevere Populi.*
*Magis ipſi deflendi.*

# ELEAZAR

## *Jonathæ Frater.*

## EMBLEMA.

*Eleazari tumulo inſculptus Elephas,*
*Magnanimæ mortis Emblema eſt.*
*Sic periit, ut tumulatur.*
*Hæres paternæ perfidiæ Antiochus Eupator,*
*Aſiam moverat contra Judæam.*
*Nec homines tantum, ſed elephantos conſcripſit:*
*Bellum non ratus, niſi Belluæ pugnarent.*
*Incedunt ordine horrifico Mortis bajula Monſtra,*
*Premente humeros machinâ, viris preſsâ.*
*Ut arcem arci impoſitam putes, ferream carneæ.*
*Tubam & telum deformibus exerunt buccis:*
*Totaque Judæorum jacula barritu provocant, cute refellunt.*
*Nec Fera tantùm, ſed Ferarum ſarcina militat.*
*Nam Barbari plus triginta, ſingulorum tergo impoſiti,*
*Suorum ictuum ſecuri ſpectatores,*
*Funera laudant quæ faciunt.*
*Tot Beſtias una geſtat, neque dixeris utra major,*
*Quæ geſtat, an quæ geſtatur.*
*Sanè ab Hominibus Beſtiæ ſævire diſcunt.*
*Quippè acuendo furori illarum oculos miles inebriat:*
*Propoſito uvæ ſanguine, humanum imitante.*
*Nova res, purpureo incitari Elephantos, non albo.*
*Sed fortaſſe ſanguinem ſitire à ſuo Tyranno didicerant.*
*Una præ cæteris, mole ornatuque ſuperbior,*

Rega-

*Regalibus exuviis loricata,*
*Regem teſtabatur inſeſſorem.*
*Hanc Eleazar virtuti ſuæ ſcopum deſtinat.*
*Sic eunt humana: in conſpicua collimatur.*
*Ergo per obſtantes cohortes viam rimatus:*
*Hinc inde ferream capitum ſegetem ferro demetens,*
*Per hominum vulnera ad Beſtiam venit,*
*Quam tamen invenit telis imperviam;*
*Nam genuinæ ſoliditati, ſqammoſæ acceſſerant bracteæ.*
*Armatum ſcopulum, aut mobile armamentarium dixiſſes.*
*Sed habent etiam maxima quà petantur.*
*Succedit ſtylo diſtricto Eleazar,*
*Cataphractæ pecudis inermem uterum ſuffoſſurus:*
*Ut uno ictu tres caderent;*
*A vulnere Moles, Tyrannus de Mole, ipſe ſub Mole;*
*Uterque ſuâ morte: nam Seculi fatum eſt,*
*Bonos opprimi, malos ruere.*
*Procumbit furtivo ictu eviſcerata Martis fera.*
*Evertitur prono armo ferrata turris;*
*Cui puſillus pugio fulmen fuit.*
*Sparguntur humi præſidentes Barbari:*
*Victor ſuperincidentis Beſtiæ ruinâ teritur.*
*O qualis Machabæorum libertas!*
*Malunt ſub Belluâ frangi, quam vivere ſub Tyranno.*
*Sed heu fruſtrata virtus!*
*In Elephanto Antiochi arma erant, non Antiochus:*
*Loricam telis objecerat, pectore vacuam.*
*Hi mores Tyrannorum;*
*Arma geſtant, non animum:*
*Timent dum timentur.*
*Ergo Eleazar Antiochum petiit; ſed pro Antiocho periit Beſtia:*
*Prô ſimili ſimilis, imò idem.*
*Uterque Fera; uterque duplici corde, & excors.*
*Sed Elephas inter Bruta Rex eſt, ille inter Reges Brutum.*
*Gaude feliciſſimo iſto errore magnanime Martyr.*
*De Elephanto, non Tyrannum, ſed Tyrannidem dejeciſti!*
*Habes quod optas:*
*Sentis ex trophæi pondere, victoriæ magnitudinem,*

 *Novo*

Digitized by Google

*Novo ritu triumphaturus.*
*Nam plerique Elephanto vehuntur, tu Elephantum vehis.*
*Non potes vulgari funere involui Sanctiſſime confector.*
*Mortem inter opima inveniſti.*
*Ornant te inſignia, quæ te onerant;*
*Et extinctus Regem ſpolias.*
*Nec tumulum cura. Elephanto tegeris pro Mauſoleo.*
*Neque incidendo emblemati petenda procul ſegmenta:*
*Debellatus Elephas ebur miniſtrat.*

# SIMON

*Eleazari Frater.*

## DIPLOMA.

*Bonum factum.*
*Anno Græcæ Tyrannidis CLXXVII. Menſe IX.*
*Non immemor Senatus Populuſque Judæus,*
*Quantum Simonis Machabæi divinis virtutibus debeat.*
*Prudentiæ:*
*Quâ Parentis optimi judicio, cunctis mortalibus anteferendus,*
*Fortiſſimis Fratribus perpetuùm Conſul aſſedit,*
*Pietati:*
*Quâ paterna germanaque buſta,*
*Honorificis molibus incluſit.*
*Charitati:*
*Quâ nutantem fraterno caſu Principatum in ſe recepit:*
*Domeſticis licet exemplis monitus quanti Purpura ſtaret.*
*Religioni:*
*Quâ ſupremo Pontificii faſtigio impoſitus,*
*Profanos cum Templo animos depuravit.*
*Strenuitati:*
*Quâ ſacræ militiæ nuncupatus,*
*Septem Tyrannorum conatus, aut eluſit, aut eliſit.*
*Felicitati:*
*Quâ Hieroſolymitanam Acropolim potitus,*
*Pacem Hebræis inſuetam exhibuit.*

Mu-

Digitized by Google

*Munificentiæ:*
*Quâ Rempublicam ære & ſanguine inaniſſimum complexus,*
*Suo auro publicum ferrum conflavit.*
*Providentiæ:*
*Quâ rem agrariam maritimamque, turribus Portubusque communiit,*
*Ut tellus & unda tutò ſulcarentur.*
*Majeſtati:*
*Quâ, vultu, habituque corporis Semideo ſimilis,*
*Athenobium Tyranni emiſſarium attonuit.*
*Vigilantiæ:*
*Quâ Quiritium ſocietate opportunè procuratâ;*
*Ab Romanâ Aquilâ auxiliare fulmen obtinuit.*
*Denique Fortitudini:*
*Quâ ingratiſſimi Generi proditorio epulo receptus, & deceptus,*
*Suum, duumque Liberûm, fidelem ſanguinem dedit.*
*Ob ea promerita;*
*Atque ut Virtutum tantarum notæ,*
*Æmulationi ac ſolamini extarent;*
*Hoc Monimentum,*
*Honorarias in tabulas immortalibus literis referri,*
*Easque, Gazophylacii Templique frontibus affigi,*
*Decrevit.*

# JOANNES HIRCANUS

*Simonis Filius.*

## EPILOGUS.

*Requieſce parumper, Viator.*
*Antiquioris Teſtamenti volumen ad calcem devenit.*
*Cum Orbe nata Orbis Hiſtoria.*
*In Joannis præconio ſiſtitur;*
*A Præcurſore Joanne redordienda.*
*Idem nomen, Synagogæ Heſperus, & Eccleſiæ Phoſphorus,*
*Priori libro exodium, poſteriori exordium præbet;*
*Et paginam utramque compaginat.*
*Conſonant enim ſibi divina: extrema primis reſpondent.*

Æter-

*Æternus igitur Scriptor,*
*Pro exactis operis colophone,*
*Memoratorum Principum virtutes in Joanne collegit,*
*Ut omnes in uno ligentur, & legantur Principes.*
*Ac ne brevitas Epilogo deſit,*
*Triginta annorum geſta, verbis tribus complectitur.*
*Quid enim de Joanne Hircano narrat?*
Sicarios perdidiſſe, ſtrenuè bellaſſe, muros refeciſſe.
*Totum elogium, trilogio expeditur.*
*Plura memorare poſteritas geſtiet.*
*Quòd Sororium parricidam, ne matricida fieret, impunè demiſit.*
*Septimum Antiochum pace, tertium Demetrium bello, avertit.*
*Hircanorum ſuperbiâ, Idumæorum impietate repreſsâ,*
*Ex iis nomen, ex iſtis palmas reportavit.*
*Hæc, vel inter penſa, canuntur.*
*At Cæleſtis Encomiaſtes, laudes dum ſupprimis, exprimis.*
*Satis ergo faſtigii ad Joannis gloriam accedit,*
*Quod ipſe poſt omnes, poſt ipſum nemo laudatur.*
*Eximius planè Princeps.*
*Qui humanis actis, & divino commentario, metam ponit.*
*Nam pneumaticus calamus in ultimâ hac cerâ hæſit.*
*Quis neget magnæ molis fuiſſe Joannis Elogium?*
*Dei manum laſſavit.*
*Hoc nempè exarato, reſpiravit divinus Spiritus,*
*Et feriatum calamum poſuit.*
*Hic Tu quoque reſpira.*
*Difficile eſt vera ſcribere; difficilius audire.*

NOVA

Digitized by Google

# NOVA ÆTAS,
## SANCTI.
## ELEAZARI FILII.

Chriſti linea. — Ex Levi.

S. Mathan. — S. Panther.
S. Jacob. — S. Bapanther.
S. Joſeph. — S. Joachim. —— S. Anna.
S. Maria Virgo. — S. Joannes Baptiſta.

## Jeſus Chriſtus Servator.

# S. PANTHER

*Eleazari Filius,*

S. MATHAN *Pantheris Frater.*

## PARTITIO.

Auditis? ſonant divinæ tandem cognationis optata nomina,
Vicini Servatoris teſſera;
Qui promiſſus ſemper, & negatus, Orbis vota irritat, dum irrita.
Hic Eleazari truncus duos in tramites finditur:
Quorum alter ad Virginem Maritum, alter ad Virginem Matrem,
Uterque ad miraculum deſinet.
Itaque inſectilis Patriarcharum linea, ut Salus intret, agit rimam.
Nobilitas geminatur, ut germinet; germinat, ut geminetur.
Fœcunditatis terminus Virginitas eſt, Virginitatis fœcunditas.
Debebatur hic concentui conſenſus,
Ut unico Stemmatis amplexu, Homini Deus necteretur;



Digitized by Google

Et redeunte beneficio, Homo fieret qui Hominem fecit.
Felices Mathan & Panther tanto Nepote:
Cujus propinquâ jam luce affláti,
Divinarum virtutum fulgorem trahunt ex intervallo.
Nulla tamen eorum virtus clarior,
Quàm quòd ſuas obſcurarunt virtutes.
Nam ſacræ Hiſtoriæ nihil commiſit Mathan, niſi nomen:
Panther ne nomen quidem.
Quod, niſi memori Africani calamo effoſſum, lateret.
Rarum votum, inter ambitioſos Humilitas.
Illo enim Seculo, ſi unquàm, claritas crudelitate quæſita.
Ariſtobúlus, Hircani degener Filius,
Innocentem Principatum ad Regni invidiam reſtituit:
Primuſque tyrannico diademate frontem perfricans,
(Neſcius quantum malorum ſub eâ bracteâ occuleretur)
Securiùs ut regnaret, noluit eſſe quibus regnaret.
Patritios carcere, Fratrem ferro, Matrem fame, confecit.
Nec dilato ſupplicio,
De pectoris venâ ſanguinem vomuit.
Crudelitatis conſcientiam pro vomicâ devoraverat.
Huic Jamnæus, Salóme Matris aſtu, ſufficitur;
Fratricidæ fratricida.
Hem quò devenerit Machabæorum gloria!
Hoſtilis olim ſanguinis prodiga nunc cognati.
Nimirum nullum patrimonium citiùs decoquitur, quam Virtus.
Raró ad tertium peruenit hæredem.
Magnæ mentes, amentes gignunt.
Immodeſto igitur Sæculo, modeſti Fratres
Mathan & Panther,
Tyrannicum faſtum è Bethleheme in Galileam fugére,
Optimum quippè in Tyrannos bellum eſt fuga,
Et in Nazarenâ Urbe, hoc eſt inter Flores,
Nazareo nidificarunt.

S. BA-

Digitized by Google

# S. BAPANTHER

*Pantheris Filius.*

## S. JACOB *Mathani Filius.*

## N A U F R A G I U M.

Vos quoque geminum Sidus Jacob, & Bapanther,
Miſerrimi Naufragii ſpectatores ex tuto,
Procellarum finem ſerenæ lucis augurio præmonſtratis.
Tenebat Judaici Regni clavum Jamnæus.
Nauticam doctior ex naufragiis.
Nam malè regnando regnare diſcitur.
Ibat ridente malaciâ felix, lætumque Regni Navigium.
Et æquatos velorum ſinus ferente Spiritu,
Gazam, Dium, Eſſam, Gaulanum, Seleuciam,
Novo triumpho alligatas onerarias remulcabat.
Sed inſolito ſereno tempeſtas ſuberat,
Acerbo ſtatim letho Naviculator demergitur.
Succeſſit Gubernaculo Hircanus alter, Jamnæi Filius;
Idem Magiſter & Proreta; Rex & Pontifex.
Hunc ſubvertere Ariſtobúlus Frater adnititur?
Æquali navis periculo,
Sive geminus præſideat Rector, ſive nullus.
Errat alnus in pelago, in alno nautæ.
Duobus imperantibus obtemperat nemo.
Inter hæc intima navigio mala,
Externorum bellorum inſana hiems ſupervenit.
Heſperius Zephyrus, cum Armenio Euro,
Cum Tigrane Lucullus,
Aliéno exitio rixantur.
Non capit ſeſe Italicum Mare.
Tyrrhenum in Eoum refunditur, & undas miſcent.
Vorticoſa Charybdis Antipater,
Per diſcordiarum rimas armorum æſtum immittit,
Navarchum merſura Ariſtobúlum, qui clavo hæret.
Hic, cui neceſſitas pro arte,
Demiſſos velorum ſinus adverſo obliquans vento,



Digitized by Google

Ad Pompejanam Scyllam ultro declinat:
Quæ rapido turbine,
Judaici Regni clavum ſuis de cardinibus vellit:
Puppim calcat & proram, Arcem ac Templum:
Anchorales avitæ Fidei rudentes præcidit:
Et ſera vota diſſipantibus ventis,
Legum tabulas, navigii compages, diſſolvit.
Fluctuatum denique, nauſeantemque Ariſtobulum,
In cæcos Romæ vortices abſorbet.
Hic bis emerſus, bis ſubmerſus,
Amicâ Cæſaris manu ſpirans educitur.
Sed Pompejanorum vi fluctuum circumfuſus,
Nauteam bibit, venenum.
Hic exitus Judeæ Regnum, & Machabæos Rectores tulit,
Miſerrimam Romanorum Pyratarum prædam;
Qui ſacras opes, aureaſque trabes,
Sparſa tempeſtatis analecta, reliquiaſque collegére.
Eximio documento,
Fraternis diſcordiis Regna naufragare.
Vos vero amica lumina, ſalutareſque Dioſcuri,
Bapanther & Jacob,
Virgineam è Cælo Navim, cui nomen à Mari,
Divinis mercibus onuſtam;
Cæleſtemque Gubernatorem Joſephum,
Dexteriore alite velificaturum, oſtendiſtis.

# S. JOACHIMUS

*Bapantheris Filius.*

S. ANNA *Joachimi Uxor.*

## EPITHALAMIUM.

Deſcende Cælo ubi nil agis ſanctiſſime Hymen.
Duas extrà Cælum Cæleſtes Animas copulaturus,
Joachimum & Annam.
Illum Regiâ, hanc Sacerdotali ſtirpe:

Ut

Digitized by Google

Ut dotali utroque apice, Nepotem inſtituant
Inter Reges Pontificem, inter Pontifices Regem.
Age: jugalibus nodis quos Æternitas nexuit,
Cor geminum ſtringe, vel unicum divide:
Ut alter Sponſus ex altero ſpiret.
Sed heu ſpinoſa primordia! initio planges, dùm panges.
Ultrà viginti annos ſterilis ille thalamus,
Nihil niſi lacrymas gignet.
Sed verte ſtatim lætioribus hanc næniam.
Nam ſterilis Parens,
Majorem prolem utero capiet, quàm mente.
Stupente rerum Naturâ
Tàm fœtam, quàm fœtum extrà ſuas leges,
Adde novam inter fœminas laudem,
Citrà Sobolis crimen Matrem fieri.
Nam cæteræ, Carnifices antequàm Matres,
Partum conficiunt, dum concipiunt.
Unoque momento,
E Cælo demiſſam Animam Orco exponentes,
Vitam largiuntur, & lethum.
Sola Maria Parentis honos, non onus,
Maternum uterum condecorabit intrando.
Nec deerunt puerperio præſagia.
Renaſcente enim Templo naſcetur Virgo.
Alteram Dei Domum parabit Anna, alteram Herodes reparabit.
In alterâ Numini fient Victimæ,
In alterâ victima fiet Numen.
Creſcet cum Prole Parentum felicitas.
Nam mutuo repignerati amoris officio,
Filia ex Parentibus, per Filiam Parentes vivent.
Ita Joachimi Penates alterum Cælum meritò voces;
Ubi Sacra Familiæ Trias,
Corporibus tripertita, Animis una,
Genitor, Genitrix, Genita,
Beabitur, & beabit.
Omnia denique in unum vota colligent
Longævi Conjuges;
Cum ſeſe Numinis Avos mirabuntur.



Digitized by Google

Tanta gaudia,
Nec illi ferre, nec tu fari potes. Tace.

# S. J O S E P H

## *Jacobi Filius: Virginis Sponſus.*

## TITULI.

Senis hujus magnitudinem, tergemino metire Titulo.
*Vir MARIÆ fuit.*
Solùs nimirum toto Orbe ſelectus,
Viragini Vir, Virgini Virgo.
Fortunatum Conjugium,
Cui dexter Ales Angelus,
Divinitas Pronuba, Flammeum Flamen, Dos Verbum.
Unica hæc Hymenæi teda fumo caruit,
Virgineo candore non denigrato,
Jugalia hæc vincula nihil ſtrinxere præter Animos,
Nec ultrà Amorem ivere amantium vota.
Nec novum Joſepho, Dominæ nolle miſceri.
Dubito nuptialem cælibatum, an cælibes nuptias vocem.
Nam Sponſæ contubernio, Sponſi virginitas geminatur;
Novoque miraculo, forma pudicitiæ ſuffragatur.
Denique ſic Palmæ nubunt.
Hinc alter ille, majorque Titulus:
*Pater JESU fuit.*
Quippe naturâ Patruus, conjugio Vitricus, officio Pater;
Privignum Numen educavit, erudiit, aluit;
Et vitam ſi non dedit ſervavit?
Deumque oculis genuit cuſtodiendo, toties Pater.
O quanta dignitas! Filium participare cum Deo:
Et ulnis Alumnum regere Orbe majorem:
Qui vel parendo Parentem facit.
O gratas educationis vices?
Ille ſervat, hic ſervit: & Altorem ſuum Alumnus alit.
Orant alii Numen, hic cogit.

Nam

Digitized by Google

Nam Patris vota, imperia ſunt.
Adjice poſtremum Titulum.
*Filius DAVIDIS fuit, & FABER.*
Quis credat ?
Regia Davidis linea in Materiario finitur.
Novæ nimirum nobilitatis Fabro.
Nam retrograda generis claritas
A Deo in Fabrum, à Fabro in Reges Avos, refunditur.
O nexa Providentiæ opera!
Regalis Genealogiæ Princeps Adam, poſtremus Joſeph:
Ille Agricola, hic Faber.
Nam lignum, peccati materiam, ille ſævit, hic ſecuit.
Haud alienum à Chriſti Patre miniſterium.
Quid enim Deus, niſi Faber?
Tornare Orbem, inſpicare montes, dolare campos,
Excidere Homines, fabrilia ſunt.
Verè ut dicas, Fabrum Deum, & Fabri Filium.
Reſpondent verò morienti Chriſto hi natales:
Ut inter eandem artem viveret, & occumberet.
Malleus, forfex, terebræ, clavi, ligna;
Vitæ miniſteria, Mortis inſtrumenta, fuére.
Eâdemque domeſticâ arte cunæ dolantur: & cruces.
Suæ igitur neci naſcendo proludit,
Dum ex Fabro naſcitur.
Nec minor Davide Joſephus,
Avítum Regnum gerit in officinâ.
Stant illi ſua Imperii ſigna,
Fabriles ſecures, & lignei faſces, quos Puer alligat.
Summa illi authoritas.
Mortalibus imperat Puer, Puero Mater, Matri Sponſus.
Nec Imperii nomen abeſt:
Quid enim Joſeph, niſi Auguſtus?
Itaque uno tempore ſuum Roma Auguſtum jactat,
Nazareth ſuum.
At quanto dignior hic Magiſtratus,
Rerum Dominum Domi poſſidere?
Solus igitur Mortalium, Joſephus
Cælum non impetravit, ſed exegit.

Nam

Digitized by Google

Nam quæ aliis divina donaria ſunt,
Joſepho iſagogicum fuit, & nutricia.

# SANCTA MARIA VIRGO

*Joachimi Filia, Chriſti Mater.*

## SCULPTURA.

*Lauretana hæc Statua, Lucæ ſcalpellum ſenſit.*
*Utinam vitæ quoque ſimulacrum calamo edidiſſet.*
*Sed Hiſtoriographi officium argumenti divinitas vertit.*
*Nam cæleſti calamo in ferreum cælum degenerante,*
*De ſcriptore ſculptor, pro verâ effigie ligneam dedit;*
*Totamque exanimavit hiſtoriam.*
Falleris, Viator, Figmentum hoc, Evangelium ſupplevit.
Facundus codex eſt caudex.
Atqui diu ſecum cogitabundus Artifex,
Animi Idéam ligno impreſſit.
Audi myſteria, & mirare,
Primùm, Cedri Regiæ Arboris, trunco exciſa effigies,
Nobilitatem refert.
Quæ undeviginti luxurioſa Regibus, Virginem tulit,
Tanti Generis non tàm ſtirpem, quàm ſtipitem.
Præterea, ex areſcente Materiâ ſculpitur,
Nam ſterili Matri ingenita eſt Virgo.
Quid enim mortuâ ex Venere gigneretur, niſi Virgineum?
Nullum in hoc Typo peccatum culpes;
Nullum in Prototypo.
Nè illud quidem Mundo cognatum.
Nam ſola Maria Adami lutum non oluit.
Jam ſi Templo Imago, Imagini Templum dicatum;
Templis etiam colenda Maria, Templum coluit.
Cùm trimula caſtis Aris admota,
Ipſa Deo, ipſi Deus, Virgineum florem ſervavit,
Munuſque impetravit, offerendo.

At

At quod Fabrili materiæ nubilis adhæret forma:
Speciosum cum Fabro conjugium refert:
Imò in conjugio cælibatum.
Nam ſi Statua nuberet, ſic nuberet,
Cernis eodem trunco
Exculptam cum Filio Matrem, cum Matre Filium,
Gemino, & uno corpore;
Ut dubites utrum ex alio naſcatur?
Habes prodigium illud maximum,
Cùm Deo genita, Deum genuit:
Novoque reciprocæ cognationis vocabulo,
Dei Filia, Filii Sponſa, Sponſi Domina, Domini Ancilla;
Cæleſtia humanis, humana cœleſtibus, compaginavit.
Sed heu brevis voluptas! Vide ut Chriſtifera Imago,
Infantem gremio ſtringit, atque ſcalpenti porrigit.
Sic Filium, Simonis gladio ſcalpendum, obtulit Mater.
Miraris Ægyptium Statuæ cultum, colorem, ſolutum crinem?
Non alia ſpecie profuga hæc Aſtræa,
Herodianam Vulpeculam latuit inter Ægyptios;
Gemino Sole felices.
Sic rerum Arbiter, ne Tyrannum perderet, Filium proſcripſit.
Inſigni documento, excutiendos malos Principes,
Non cædendo, non cedendo, ſed recedendo:
Hoc ipſo miſeros, quòd Juſtitiæ deſertores Juſtitia deſerit.
Mirum potius, cur dexterâ Puerum ſuſtinente,
Vix dexteræ fidens læva, medium amplectitur.
Nam pia Genitrix, in Templo recuperatâ Prole,
Rapaces adhuc Synagogæ manus formidat;
Et inter voluptatem & timorem,
Amplexus geminat, ut affectus.
Quæris divino ut Amore flagraverit?
Habes calorem ex colore.
Fuliginoſum hoc lignum, Amoris torrem oſtendit.
Silentium quæris? Statuam taciturnam interroga.
Verecundiam? nil ſuis oculis amplius indulſit,
Quàm Statua ſuis.
Clementiam? ſuſpice prolatam Chriſti dexteram,
Veluti miſeris benè precantem.



Digitized by Google

Hanc rogavit Parens; & quicquid rogavit, irrogavit.
Sanè primum ac poſtremum Chriſti miraculum,
A Partheniâ Matre impetratum conſtat.
Ut pervicacia ſit dubitare de cæteris.
Refert jam Opificem ſcitari,
Cur diſcriminatis ut in funere crinibus,
Dolentem dolavit, ſed erectam.
Certè ſic ſtetit juxtà Crucem, Cruce altior & ſolidior.
Callidè igitur fœmineam Statuam ſculpſit Lucas.
Nam Filii mortem ut Fœmina ſenſit, ut Statua tulit.
Quin etiam Cedro ectypam Virginem elaboravit:
Simili cum Cruce ligno.
Nam Crucis inſtar, Cruci oppoſita, ſic ſtetit;
Et altera alteri patibulum fuit.
Quid? ultima ejus fata nil argutius exprimat,
Quàm incorrupta è Cedro Statua,
Exanimati ſed incorrupti Corporis typus.
Æterna hæc ſanctio, ut omnia pereant vel immerentia:
Damnata, quia nata.
Poſt omnium mortes, Mors ipſa morietur.
Adeò Parcæ, ne ſibi quidem ſunt Parcæ.
Sola Deipara periit, non putruit; & in ſcrobe refloruit.
Reſtabat erudito operi labor extremus,
Triumphalis ad Cælum Heroinæ curſus.
Hunc denique Imago refert,
Erecta, paludata, auro coruſca.
Tali ſiquidem pompâ
Ad illum veniens, qui ad ipſam venerat,
Cælum addidit Cælo.
Quin operi coronam impoſuit Sculptor,
Dùm ſacrum Simulacrum coronavit.
Nimirum, Cæli Auguſta, Terras diſpiciens,
Regia ſemper munera
Optantibus donat, ignaris ingerit, ingratis obtrùdit.
Neminem relictura miſerum, niſi qui eſſe velit.
Dubitas? Statuam do teſtem.
Ante hanc nemo vacuus rogavit:
Ne Turca quidem.

SAN-

Digitized by Google

# SANCTUS JOANNES BAPTISTA

*Virginis ex Conſobrinâ Nepos.*

## PRÆCONIUM.

*Jamiam Numen aderit,*
*Adeſt jam Numinis Præco.*
Hoc Præcone,
Nemo major, nemo minor;
*Prophetarum poſtremus, Martyrum primus,*
*Solis Lucifer, Luciferi Veſper,*
*Meſſiæ magnitudinem ex ſua imagine expreſſit.*
*Imò Meſſiæ Myſtes, & Chriſti Chriſtus,*
*Mundi Luſtratorem luſtrali aqua ſancivit.*
*Ambigente Jordane, lavaret an lavaretur.*
*Nobilis fluvius, cœleſti Eridano minimè invidus.*
*Nam ille in Cœlum translatus, huic Cœlum delatum,*
*Hem quantus; at quantulus fuit?*
*Tantam ſanctitatem ad nihilum redegit,*
*Cum ſe* Neminem *dixit.*
*Tantòque ſe diminuens quantò cœlitùm auctior,*
*Cum Omnipotentia certavit.*
*Hic ne vinceretur, augentem vicit, ſe minuendo;*
Adde, hoc Præcone,
Nemo taciturnior, nemo vocalior.
*Vix conceptus, ſilentium Patri indixit;*
*Vix formatus, Deum hoſpitem nutibus excipit;*
*Vix utero egreſſus, ſolitudinem ingreſſus,*
*Hirtus, jejunus, vigil,*
*Cum Angelis Angelus, Mutus cum Mutis vivens,*
*Quod loqueretur, tacendo didicit.*
*Nemo diutius infans fuit; nemo altiùs fatus:*
*In deſerto diſertus,*
*Et jam nihil niſi vox,*
*Rudes inſtruxit, avios reduxit,*



Digitized by Google

*Peccantes increpuit, Reges terruit.*
*Trunco etiam capite clamoſus.*
*Utrum ſe morti approbavit,*
*Et ad Mortuos vitæ Præco deſcendit.*
*At at, procumbito Viator,*
*Præco ſiluit, Meſſias adeſt.*

# JESUS CHRISTUS

## *DEI, ac Virginis Filius.*

## META.

Siſtimur ô tandem tibi Clementiſſime Aſſertor,
Sacri Voluminis Alpha & Omega:
Non longiùs vagaturi, Te contacto.
Quò enim procedat qui te accedit, ultimam rerum Metam?
*Tu Aviti Generis Meta:*
Matris annos in Proavis numeraturus,
Trium & ſexaginta Patriarcharum Stemma claudis;
Omnium nobiliſſimum, quia notiſſimum.
Nam Patritii Stipites reliqui,
Quâ commendantur vetuſtate carioſi,
Simul eduntur, & exeduntur.
Tu antiquorum antiquiſſimus, noviſſimorum noviſſimus:
Majoribus major, poſterior poſteris;
Seviſti nobilitatem tuam, & meſſuiſti:
Verè tuam, quia à Te fluxit, in te rediit.
*Tu Divinorum Operum Meta:*
Cæleſti ſatu mortalia cæleſtibus nectens,
Ex Deo Homo, ex Virgunculâ Deus;
Quod unum deerat univerſitati miraculum, expleviſti.
*Tu Temporum Meta:*
Summo ſolſtitio, nocte mediâ, anno extremo, natus;
Solis fugam, umbrarum incrementa, anni lapſum, inhibuiſti:
Et geminus verè Janus,

Anti-

Digitized by Google

Antiqui noviqui Seculi intercaláris Spectator,
Pacem, uti terminales Ferias, Orbi indulſiſti.
*Tu Dignitatum Metæ:*
Quâ in Stabulo contactâ, Purpurati Aſtronomi retroceſſére.
Nam quis ultra Bubíle illud faſtus explicet,
Ubi ſuperbiæ frænum eſt fœnum?
O novæ Aſtronomiæ ſectanei Reges!
Cæteri Præſepe inter Stellas, hi Stellas in Præſepi obſervarunt.
Scitè igitur capitum décora tuos ante pedes projecére:
Gnari, dignitates deſinere ubi incipiunt.
*Tu Moſaicæ Legis Metæ:*
Duriſſima jura circumciſus circumcidiſti,
Et inamœna Synagogæ ſpatia metaſti;
Lapideo illo gladio pro limitaneo lapide, infixo.
*Tu Sapientiæ Metæ:*
Phariſaicam Templi Exedram duodennis evertiſti.
Nam te audito, qui omnia docebant, nihil ſe ſcire didicerunt:
Et Infante Magiſtro, ſe noverunt Infantes.
*Tu Infernæ potentiæ Metæ:*
Spectante Solitudine cum Lucifero congreſſus,
Avidum eſuriendo ſtrangulaſti;
Et inceſtam illam naturam, æternæ flammæ cuſtodem,
Malarum Veſtalium ſupplicio de rupe impellens,
Heſperum feciſti ex Lucifero.
*Tu Peccati Metæ:*
Jordanem intrando abluens, ut aliorum ſordes elueret,
Herculeæ inſtar columnæ, fluctibus demerſus,
Undarum & ſcelerum curſum progredi vetuiſti.
*Tu Votorum Metæ:*
Patrium orbem benemerendo diſcurrens,
Fatigato ſæpiùs pede, numquam manu,
Supplicia à ſupplicibus avertiſti.
*Tu Mortis Metæ:*
Arboris ejuſdem paxillo, quo Mors Adamum transfixerat,
Æquâ talione Mortem confixiſti:
Quæ funeſtiſſimo exacto ſtadio,
Ad eundem ſtipitem undè mota fuerat, ſtetit:
Et Adamo altero abſorpto, priorem vomuit.



Digitized by Google

*Tu Gloriæ Meta:*
Æneos Orci poſtes cruentâ dexterâ eluctatus,
Gementem ſub Terras Patriarcharum Populum,
Ab Tartareis ignibus ad Empyreos evexiſti:
Relictiſque in Monte veſtigiis, quæ inſiſteremus,
Tam faciles ad te aditus pandis, ut volare ſit velle.
*Te igitur Beatiſſimam omnium rerum Metam:*
Ex deſtinato aſſeqvutus; exacti operis curſum ſiſto:
Hoc uno rectum, quòd ad te pervenit.
Is enim errat, qui à te deerrat.
Hic feſtivo celeuſmate Stationem occupans,
Foliorum carbaſa complico:
Et pro anchora, emeritum calamum figo,
Anno Tuo M DC XLIII.

INSCRI-

Digitized by Google

# INSCRIPTIONES ADSTRICTÆ NUMERIS.

## HORTI RACONISII.

*IN Hortis Sereniſſimi Emmanuelis Philiberti à Sabaudiâ Cariniani Principis, fabuloſa Cæleſtium Imaginum Simulacra in areolarum angulis ſolido opere conficta ſunt: & cuique Simulacro hexaſtichum ſubſcriptum, moratam aliquam ſententiolam emblematica venuſtate continet: ut in uno Viridario Cæleſtem ſimul Aſtronomiam, & humanam Philoſophiam, deambulantes Principes contemplentur, nec tàm flores legant, quàm documenta.*

### PLANETÆ:

I.

Saturnus ſive Tempus.

*Falcatus Senex, Infantem mandit.*

Annorum dirus Pater, Annorumque vorator,
    Quæ priùs ediderat Tempora, Tempus dit.
Magnarum largitor Opum, largitor Honorum,
    Omnia quæ donat, devorat iſte Senex.
Heu, quid Opes? quid Regna? tuum nihil eſt, niſi Virtus,
    Devorat illa Senex, devorat iſta Senem.

II. Ju-

II.

Jupiter.

*Nudus Fulmen torquet, aſtante Aquilâ.*

Splendida cùm toto diffundat munera Mundo
Rex Superûm, nudus Fulmina ſola tenet.
Et licet archetypâ tot pinxerit arte Volúcres;
Fulmineam tantùm diligit ultor Avem.
Nam pauci officiis, plures terrore moventur:
Fac ut amet Populus, fac tamen ut metuat.

III.

Mars.

*Armis horridus acinacim rotat.*

Hic licet infeſtis nuſquam penetrabilis Armis,
Securus propriâ conditione Deus.
At caput Ætnéo munit, pectuſque metallo;
Ceu Mortem impavidus terreat, & paveat.
Conſilium cauto, Princeps, à Principe ſume.
Sint tibi cuncta licet proſpera, cuncta time.

IV.

Sol, ſive Apóllo.

*Radiatus Lirâ ludit.*

Una Chelys Cælum eſt, ſeptenaque fila Planetæ
Lux plectrum, numeri Tempora, Vita melos
Hanc Sol concordi Cytharam modulamine ſolus
Tangit; & Aſtrorum ducit in Orbe Choros.
Una nequit gemino tangi Lyrâ Cælica Sole:
Unica nec Reges perferet Aula Duos.

V.

Venus.

*Cupidinem complexu fovet.*

Deciduum alternis reparat quid fœtibus Orbem?
Fertilis hæc Cælo nata favente Venus.

Quid

Quid mentes vireſque Virûm lethaliùs haurit?
Hæc eadem Pelago nata furente Venus.
Quid Venus eſt igitur? Lethalis vita, lucroſus
Jactus, barbaries blanda, bonumque nocens.

VI.

Mercurius.

*Caducëo inſtructus, & avolaturo ſimilis.*

Quadruplici excellit quem cernis dote Miniſter,
Velox, Facundus, Callidus, atque Latro.
Hujus ab ingenio Regum fluxere Miniſtri,
Quos & Mercurios Aula diſerta vocat.
Tres poterant ſolidum dotes formare Miniſtrum:
Sed rarò, ſi adſit Tertia, Quarta aberit.

VII.

Luna.

*Dianæ inſtar, lunatâ fronte.*

Candida Fraternæ ſectatrix Cynthia Lucis,
Non eadem, atque eadem: nunc fugit, inde redit.
Hæc procul à Phœbo, pleno micat integra vultu;
At propior Phœbo, Cornua fronre gerit.
Virginibus ſpeculum: ſplendent ſi ſplendida vitant.
Si dant ſe in lucem, deficit integritas.

SIGNA ZODIACI

I.

Aries.

*Lanigerum inſidet Phryxus.*

Impia clamoſæ fugientem Regna Novercæ,
Auratus Phryxum per mare vexit Ovis.
Poſt ubi conſedit ſeculo in litore Phryxus,
Velleris nt pretium vellat, Ovem jugulat.

Qua potes arte ſtude cupido ſervire Tyranno:
Talia ſervitii præmia crede feres.

II.

## Taurus.

*Europam rapit.*

Lætus Agenòreo ludit dum litore Taurus,
Taurus furtivo qui locat ora Jovi.
Inſidet huic, redimitque roſis Europa Juvencum:
Neſcia Raptorem ſe redimire ſuum.
Quid tibi, Raptor, opus Taurinos ſumere vultus?
Literulam (1) Tauro detrahe, plus rapies.

(1) *Auro.*

III.

## Gemini: ſive Caſtor, & Pollux.

*Mutuo complexu impliciti.*

Hi ſunt Tyndaridæ fidiſſima pectora Fratres,
Qui duo Corporibus: Corde ſed unus erant.
Unanimi Regnum ſtudio rexère Paternum:
Turbavitque piam nulla querela Domum.
Sic olim gemino Cor unum Pectore Fratres:
Nunc uno gemina in Pectore Corda gerunt.

IV.

## Cancer.

*Retrògradus à Nimphâ tenetur.*

Sylveſtrem Proteus Driadem per aprica petebat,
Aſt avidum pavido fugerat illa pede.
Verſus ad inſidias, refugus fit Cancer: at illa
Retrogradum ſequitur: dumque capit, capitur
Noverat ingenium Protheus. Hoc Fœmina more eſt;
Si ſequeris, fugiet: ſi fugias, ſequitur.

V.

Digitized by Google

V.

## Leo

*Super Aram immolandus.*

Africa Sidereo ſqualebat hiulca vapore:
Non imber miſeræ; non dabat amnis aquas.
Horribilem Phœbi monitu mactare Leonem
Conſulitur, Populi qui Leo terror erat.
Conſilium ſapiens: lætum vis copia Regnum
Atque quies recreet? talia Monſtra quare.

VI.

## Virgo, ſive Aſtræa.

*Alata: Spicam lævâ, dextra gladium tenet.*

Impia cùm Superis inferrent Arma Gigantes;
Una omnes Virgo perdidit aligera.
Hinc eadem Virgo, fixis numeratur in Aſtris,
Fida laboranti quòd tulit Arma Jovi.
Non mirum eſt, Mulier quod tantos perdidit: at, quòd
Fixa ſtet in Cælo Res volucris Mulier.

VII.

## Libra, ſive Bilances.

*Venus ancillari ſpecie, Libram & Poma defert.*

Ridebat Venerem Juno, *Tu florea ſemper*
*Serta geris; Frugum nulla caniſtra geris.*
At Venus aſſumptâ Famulæ ſimulamina Librâ;
Poma Deæ rapuit; vendidit illa Deæ.
Quot modò ſe frugi didicerūnt fingere ſervi,
Qui Domino vendunt, quæ Domino rapiunt?

VIII.

## Scorpius, ſive Nepa.

*Mars ejus caudam flammis armat.*

Diffiſus Getico Titanas figere Ferro,
Hanc Stygio Mavors imbuit igne Nepam.

Sic Genus indomitum quondam ferroque, manuque,
Diſſipat exiguæ flammea cauda Feræ.
Silicet, in Superos ubi perfida turba rebellat;
Parcendum Gladio, bella gerenda Face.

IX.

## Sagittarius, ſive Chiron, Centaurus.

*Biformis, alatus, arcum dirigit.*

Cur humeris alæ? *Quòd mente ad Sidera ſurgit.*
Miſſile cur telum? *Mentis acumen habet.*
Cur Eqvus eſt partim? *Frænis obtemperat æqui.*
Cur & Homo? *Humanum docta Minerva facit.*
Talem igitur magni Reges meruere Magiſtrum,
Quos non eſſe Feras edocet iſta Fera.

X.

## Capricornus, ſive Capripiſtrix.

*Pallas hoc Monſtrum irritat.*

Prælia Phlegræi Cælo indixere Tyranni,
Queis Hominum cervix, cauda Draconis erat.
Objicit hoc Monſtris Monſtrum ingenioſa Minerva:
Caprea cui cervix, caudaque Priſtis erat.
Nimirum extremis extrema pericla periclis;
Atque Malum pelles deteriore Malo.

XI.

## Aquarius.

*Ex urna fluvium fundit.*

Hunc Juvenem Capulo fundentem Flumina prono;
Conſtituit ſummo ſummus in Axe Pater.
Ut cûm Diluvii trepidet formidine Tellus,
Obruat innocuus crimina ſola pavor.
Sic oſtentatis Clementia Faſcibus inſons,
Ut mala devitent hac monet arte malos.

XII.

Digitized by Google

XII.

## Piſces Gemini.

*Venus maritimæ Bigæ alligatos regit.*

Ut Venerem veherent Triton Auriga ſubegit
Hæc duo Cærulei lubrica Monſtra Maris.
Hos Dea Vectores exacto Cypria curſu
Grata per ætherias ludere juſſit aquas.
Præmia rara; duos tantùm Venus alma Miniſtros
Dat Cælo: reliquos Tartara in ima trahit.

# IMAGINES BOREALES.

I.

## Urſa Minor.

*Jovem lactat.*

Hirſutos effœta ſinus, ſcabramque papillam
Gnoſia lactenti præbuit Urſa Jovi.
Hinc tenuit primam prima inter Sidera Sedem;
Navibus irato ſuſpicienda Mari.
Sit vilis, ſit inops, ſit agreſti agreſtior Urſo:
Quem Regum extollit Gratia, Sidus erit.

II.

## Urſa Major. Calliſto. Helix.

*Nympha prægnans, erecta: Urſino capite, ac plantis.*

Me caſtam caſtæ ſacratam ſponte Dianæ.
Sed mea furtivus vota fefellit Amor.
Senſit, teſte utero, miſerandum Cynthia crimen:
Senſit, & ex Nymphâ protinus Urſa fui.
Diſcite vel nulli quicquam ſpondere Potenti:
Vel quam ſpondetis, non violare fidem.



Digitized by Google

III.

## Draco.

*Circa pomiferam Arborem contortus: erecto capite.*

Circuit Heſperidum flavos Draco pérvigil Hortos,
Ne cupidæ rapiant Aurea Mala manus.
Paſcitur ipſe tamen ſervati frugibus Horti:
Quáſque alios prohibet mandere, mandit opes.
Quàm ſimiles vigilant Angues? Quàm ſæpè ſeverus
Raptorum plectens crimina, Raptor erit?

IV.

## Cepheus.

*Rex Æthiops, ingens, deformis.*

Mempheos hic fuerat, nigrique Dynaſta Canópi:
Ore niger, vaſtus corpore, crine brevis.
Pulcræ igitur Sobolis turpis Pater, atquè peróſor,
Innocuam Monſtris obtulit Andròmeden.
Hos cave Deformes: nam reſpondere viciſſim
Mos ori, os mori, nomine reque ſolent.

V.

## Bootes, ſive Arcas.

*Bubulci figura, cum ſtimulo.*

Quid facit iſte boum ſacra inter Sidera ductor?
Aula Deûm Caula eſt? Arva per Aſtra colit?
Calliſto hunc Pellex genuit: rigidumque procaci
Cuſtodem Matri præpoſuere Dii,
Lubrica res Mulier. Rigido cuſtode remoto,
Caſta nec in Cælo vivere poſſet (1) Helix.

(1) *Helix & Calliſto, eadem eſt.*

VI.

VI.

## Corona Ariadnæ, ſive Borealis.

*Ariadna Coronam Cælo gemmis inſignem offert.*

Florentem baccis, crebroque adamante Coronam
Hanc Bacchus Sponſæ, Sponſa dat ipſa Diis.
Fronte puellari nimis ambitioſa ſupellex,
Dignior eſt Divum cingere viſa comas.
Sola decet caſtos pudibunda Modeſtia vultus,
Sed Gemma eſt, gemmis rarior Inde tuis.

VII.

## Hercules.

*Quieſcenti ſimilis, inverſâ Clavâ.*

Hic habet Alcides, quam neſciit ante, quietem:
Quæque humeris tulerat, nunc premit Aſtra pede;
Nempè, quod infeſtum Junonis Numen haberet,
Supra Junonis hunc tulit Aſtra Pater.
Principis egregia eſt Virtutem attollere Virtus,
Surgat ut inviſus celſior invidiâ.

VIII.

## Lyra vel Vultur.

*Orpheus Lyram tractat Vulturiformem.*

Hæc Lyra Caucaſei quæ ficta eſt Vulturis inſtar,
Sitne rapax Vultur neſcio, ſitne Lyra.
Orpheus hac rapuit Neptuno Monſtra, Leones
Saltibus, Aſtra Jovi, Mânibus Eurydicen.
Quam ſimiles habet Aula Lyras? Quam ſæpe ſuavi
Qui tibi blanditur carmine, Vultur erit.

IX.

## Cychnus.

*Ledam rapit.*

Se Cychnum ſimulans Aquila inſectante fugacem,
Ledéum refugit Jupiter in gremium.

Can-

Candidulum rapuit Virgo: ſed candidus illi
Candorem rapuit Luxurioſus Olor.
Quid ſatis eſt cautum! quem non præſentia fallet,
Si niger in niveo Corvus Olôre Latet!

X.

## Caſſiope, ſive Sedes.

*Æthiopis Cephei Conjux, mire ornatà ſedet.*

Hic ſedet illuſtris luxu, radiata pyrópis,
Nigrior at nigro Caſſiopea Viro.
Prava Virago quidem, potiuſque inferna Vorago;
Sed quia dives erat, Diva repentè fuit.
Turpibus inſignes turpe eſt conſcendere ſedes.
Fœdius aſcendit Simia, quàm jaceat.

XI.

## Perſius, vel Caput Meduſæ.

*Eques, anguineum Meduſæ Caput oſtentans.*

Perſeus horrendæ prætendens ora Meduſæ,
Frigida ſpectantum protinùs ora facit.
Squammigera hoc Monſtra lapideſcere Monſtra coëgit:
Nexuit hæc vivos mortua forma Duces.
Rex fuit hic ſapiens, armis jura omnia cedunt,
Omnibus at Sapiens imperat Armigeris.

XII.

## Auriga, ſive Myrtilus.

*A Pelope præcipitatur.*

Proditor hic Domini, curruſque Auriga doloſi,
Nomina Myrtoo liquit & oſſa Mari.
Nec ſatis: in Cælum raptus, raptatur in orbem,
Ut quoties Cælum vertitur, ille ruat.
A Pelope hanc retulit, Dominum cui vendidit, arrham.
Proditio grata eſt; proditor eſt odio.

XIII.

XIII.

## Serpentarius, vel Phórbas.

*Rex Lyræ concentu, Serpentes excantat.*

Theſſalus hic dulci docuit modulamine Princeps,
Ad ſua vipereos currere juſſa greges.
Vidiſſes humili criſta, poſitoque veneno,
Sibila Regales lambere Monſtra pedes.
Mollia verba domant Angues: pariterque feroces
Blanda Viros, pluſquam verbera, verba domant.

XIV.

## Æſculapius, ſive Serpens.

*Barbatus, togatuſque, Serpentem tenet.*

Regia Phœbigenam Juvenem cur cingit abolla?
Eſt Medicus: vitæ jus habet, atque necis.
Docta veneniferum cur dextera porrigit Anguem?
Eſt Medicus: miſeros ſæpè medela necat.
Cur Pater imberbis, barbato Filius ore?
Eſt Medicus: plures qui necat, eſt Medicus.

XIV.

## Sagitta, vel Prometheus.

*Aquila Promethei jecur depaſcens, telo figitur.*

Jupiter exardens rapti ſibi fulminis irâ,
In mea mordacem viſcera miſit Avem.
Sed quia me nimiâ vindex feritate ſecabat,
Herculeæ meruit cuſpidis eſſe labor.
Namque Reos avidè nimium qui ulciſcitur, æqua
Ultio ſit quamvis, ultor iniqvus erit.

XVI.

## Ganymedes.

*Ab Aquila rapitur.*

Olim fida Jovi nectar libaverat Hebe:
Hoc Juvene accito, pulſa Miniſtra fuit.



Digitized by Google

Hunc tulit Empyream rapidus Jovis Ales in Aulam:
Cœpit & ignotâ fundere mella manu.
Delicias cupidi ſitiunt, mutantque cupitas.
Vita ſed heu citiùs, quàm ſitis illa petit.

XVII.

## Delphin, ſive Arion.

### *Cytharedus Delphinum inequitat.*

Jonium dives Pelagum dum ſulcat Arion,
Arma miſer Comitum perfidioſa pavet.
Confugit ad Cytharam: Cytharæ modulamine captus,
Per medias Delphin de ne nece ſervat aquas.
Divitiæ damno; Virtus fuit una ſaluti:
Quâ ſine, ſunt inopes quas colit Orbis opes.

XVIII.

## Eqvus minor, ſive Cyllarus.

### *A Polluce inſeſſus.*

Fraterno ut junxit Pollucem Jupiter Aſtro,
Te quoque Sidereis, Cyllare, junxit Equis.
Atque ibi, tot feſſum ſtadiis, bellique cruentum,
Pulvere, cum Domino te quoque nectar alit.
Turpe eſt emeriti Senium non paſcere Servi:
Non eget hoc Dominus, aſt eget hic Domino.

XIX.

## Eqvus major, ſive Pegaſus.

### *Cum Bellerophonte præceps.*

Argolicâ tumidus palmâ, domitaque Chymærâ,
Summa per Iſthmiacus Sydera ſaltat Eques.
Jupiter in præceps Equitem deturbat, & Aſtris
Sacrilegi teſtem criminis addit Eqvum.
Sic avidos ſua ſæpè Duces Victoria perdit,
Qui cùm vicerunt plurima, plura petunt.

XX.

Digitized by Google

XX.

## Andromede.

*Vinculis à Perſeo exuitur.*

Hæc inviſa nigro Genitori candida Proles,
Irreparanda Feræ præda natantis erat.
Perſeus hanc ſummo delapſus ab æthere ſolvit,
Atque ſibi vinclo nobiliore ligat.
Scin miſeris quando ſint allatura ſalutem,
Numina? ſpes quando nulla ſalutis erit.

XXI.

## Delta, vel Triangulus.

*Ægyptius cum Triangulo Stellis angularibus illuſtri.*

Æthereum triplici radiatur Sidera Delta,
Inſula Niliacæ quod fuit alma plagæ.
Omnibus hoc Delta felices influit auras:
Omnis ab hac triplici lampade vita calet.
Aſtra ſuum Delta: ſed habent quoque Tartara dirum:
Delta: Divitias, Dæmona, Delicias.

# IMAGINES AUSTRALES.

I.

## Balena, ſive Priſtis.

*Andromeden ſcopulo alligatam voratura.*

Hanc quoque in Andromeden vetito fraudatus amore,
Rex Pelagi, undivago miſit ab Orbe luem.
Sed neque blanditiis, neque Monſtro Virgo movetur:
Ut ſcopulum in ſcopulo dixeris Andromeden.
Dum Deus ille Feram mittit, dum Virgo reſiſtit,
Digna Deo Virgo eſt; & Deus ille, Ferâ.



Digitized by Google

II.

## Orion.

*Venator, cujus talum figit Scorpius.*

Tot mihi montivagæ perierunt Monſtra Dianæ,
Prætulerim telis ut mea tela, Deæ;
Uſa perexiguo Dea vindice, Scorpion armat:
Qui mihi vix calcem pungit, & intereo.
Heu quàm magnorum veneranda potentia Regum,
Tam facilis quibus eſt ultio, & ira gravis!

III.

## Phaëthon, vel Eridanus.

*E curru deciduus.*

Frigida dum vitat, ſumma inter Sidera torret
Hic Juvenis, mediâ neſcius ire viâ.
Hinc ſubito lapſu Taurinum fuſus in Amnem,
Stultitiam flebit, dum fluet, unda ſuam.
Summa vel ima fuge: extremum deflebis utrumque,
Sors nimis alta ruit, ſors nimis ima jacet.

IV.

## Lepus.

*Caſtor Leporem jaculo configit.*

Unica fœta Lepus tot fœtibus implet Hyéram,
Ut pavidos Lepores Inſula jam paveat.
Viſa eſt magnanimo victoria Caſtore digna,
Tam viles jaculis exanimaſſe Feras.
Nil magis eſt audax timidis denſo agmine junctis:
Opprime diviſos, Caſtore major eris.

V.

## Canis major, ſive Lêlapa.

*Cephalum Venatorem ſequitur ſolutus.*

Non minus hic Aſtris Catulus, quàm nomine clarus,
Auroræ in Cephalum pignus amorit erat.

Non

Digitized by Google

Non jaculis, non retis egens; quemcumque ſagaci
Nare procul legeret, dente tenebat Aprum;
Tam fidos trabeata Canes ſi Curia paſcat,
Nullus Aper Populi depopulabit opes;

VI.

## Canicula, vel Syrius, ſive Procyon.

*Flammas expirans, ab Orione loro tenetur.*

Patria veſanus ſuper Aſtra vocatus Orion,
Hoc ſine veſano noluit ire Cane.
Teſiphone hunc aluit, facibuſque implevit Averni;
Quas vomit, & rauco territat Aſtra ſono.
Nimirum ſimiles ſociat ſibi quiſque Miniſtros:
Talis erit Catulus, qualis erit Dominus.

VII.

## Jaſon, ſive Argonavis.

*Erectus, nautico gubernaculo innixus.*

Ut trucibus raperet pretioſa pericula Colchis,
Per non tenatas primus hic ivit aquas.
Hinc ubi victrici contraxit vela Carinæ,
Fulſit in æthereo ſacra Carina Tholo.
Mergi dignus erat, docuit qui primus Amicos,
Quærere tam fragili non ſua Regna trabe.

VIII.

## Chiron.

*Centaurus cum flagello, Achillem puerum docet.*

Diva Tethys puerum Chironi miſit Achillem,
Ut mores docili flecteret arte feros.
Strenuus hic igitur, pariterque diſertus Alumnus,
In labris nectar, fulmen in enſe tulit.
Eſt Quadrupes Puer: inde bipes Vir: poſtque tripes fit.
At ſine Chirone, ſemper erit Quadrupes.



Digitized by Google

IX.

## Patera, vel Demiphon.

*Rex, tria Filiarum capita in paterâ tenens, exhorreſcit.*

Quòd Famuli ſobolem Rex iſte necarit iniquè,
Nequior hanc plectit nequitiam Famulus.
Nam Regis ſobolem lauta inter fercula Regi,
Condiit, & vultus obtulit in Paterâ.
Vel memor illatæ non eſt mens Regia noxæ,
Vel Rex ante epulas ebrius iſte fuit.

X.

## Corvus.

*In arbore ſesſitat.*

Quòd malè commiſſos Dominæ vulgarit amores,
Hæc Avis, ex niveâ, nigra repente fuit.
Debuerat teneræ Catulum memorare Corinnæ,
Qui Dominæ fidus, Furibus aſper erat.
Vera quidem narra, ſed non narra omnia vera;
Vel lauda Domini facta, vel illa tace.

XI.

## Hydra.

*Erecta, ſeptemplici capite.*

Colla quot extulerat Lernæo ſordida cæno,
Herculea toties concidit Hydra manu.
Nunc Cælum rediviva tenes: quam proximus Hoſtis,
Communi ſociam non vetat Axe frui.
Herculis eſt viciſſe Feros: at parcere victis,
Herculeo eſt major quoque labore labor.

XII.

## Ara.

*Flore ac lemniſcis redimita, gliſcente flammâ.*

Anguipedes poſtquàm perjura caterva Gigantes,
Montibus exuſti ſuccubuere ſuis,

Hanc

Hanc Aram ſtatuere Dii, cùm mutua pacti,
Fœdera, juratas conſeruere manus.
Si prius in Superis concordia tanta fuiſſet.
In Superos nullus verterat arma Gigas.

XIII.
## Lycâon, ſive Lupus.

*Rex, Lupino capite, corona decorato.*

Iſte per Arcadiòs irato Numine Lucos,
Rex ferus ut fuerat, fit ferus ecce Lupus.
Auſus hic humanis fœdare cruoribus Aras;
Terruit horribili religione Jovem.
Qui malus eſt, ubicumque mali veſtigia ſignat;
Erumpet media de pietate ſcelus.

XIV.
## Corona Auſtralis.

*Hanc Auſter Ventus complectitur.*

Cum Polus indueret Boreus Borealia Serta,
Ambiit Auſtralis Auſtria Serta Polus.
Sic Polus inſigni decoratur uterque Coronâ;
Nomen & à Ventis bina Corona tulit.
Ah miſera ambitio! Quid ſunt Regalia Serta,
Pro quibus arma moves? Ventus, & Aura levis.

XV.
## Piſcis Notius, ſive Memnon.

*Memnon Rex cum Piſce colludit.*

Ultima Memnonii ſunt credita Sidera Piſces:
Non Homines ultrà vivere, nonve Feras.
Ut tamen Auſtralem Ratis Auſtria repperit Axem;
Perdidit ignavam fabula priſca fidem.
Noſtra hæc errores Priſcorum ſæcula ridenti,
Ridebunt noſtros poſtera: nemo ſapit.

IMA-

# IMAGINES IN AUSTRALI POLO A NEOTERICIS REPERTÆ.

## XVI.

### Pavo.

*Junoni adhæret.*

Hæc Stellas cauda, Solem alis, vertice Lunam;
Collo Irim, Cælum pectore, geſtat Avis.
Jure Avis hæc igitur Cæleſtis, reddita Cælo,
Auxit priſca novis Sidera Sideribus.
At pede turpatur fædo tam pulcra Volucris:
Ultima ſunt cœptis ut mala ſæpè bonis.

## XVII.

### Indus.

*Indico more nudus, cum telo & arcu.*

Abdidit aurifero Natura hæc Aſtra ſub Orbe:
Magnaque pars Orbis merſa latebat aquis.
Cuncta ſagax vaſto numeravit Sidera gyro;
Et dum quærit opes, invenit Aſtra Ligur.
Ipſa ad Virtutem (quis credat?) crimina ducunt.
Sola tot Aſtronomos fecit Avaritia.

## XVIII.

### Manucodiata, ſive Avis Cæli.

*Sine pedibus: ſupra nubes volitans.*

Hæc quoque ad Aſtronomos alio venit Ales ab Axe,
Syrmate fulua humeros, ſtemmate flava caput.
Hæc ſomno, pedibuſque carens; non ocia pennis,
Non oculis requiem, non capit ore dapes
Conſimilis Regum Volucris: quorum integra laus eſt,
Cura vigil, Fiſcus ſobrius, haud requies.

XIX.

Digitized by Google

## XIX.

### Phœnix.

*Stellatâ ſuper Arâ, radiis flagrans.*

Illa Arabum Phœnix fragranti gramine nidum,
Nidum ex Sideribus conſtruit iſta ſibi.
Illa redit Phariam poſt ſingula ſæcula in urbem,
Hæc procul ignoto ſemper in Orbe latet.
Illa ubi conſpicitur, felicia Secla reducit:
Conſpecta hæc Seclo deteriore fuit.

## XX.

### Piſcis volans.

*Jupiter avolantem arripit.*

Et Pelagum pinnis, & pennis aëra findo.
Aër mi Piſcem, me Mare credit Avem.
De me inter geminum lis eſt contermina Numen:
Imo ſuum dicit, me Tethys ima ſuum.
Me intereà Cælum rapuit: nam ſæpè minores,
Dum certant; prædam tertia dextra rapit.

## XXI.

### Camæleo.

*Viridi ſuper ramo, viridi colore imbuitur.*

Hæc quoque in oppoſito comperta eſt Axe Volucris,
Quæ præter Ventos pabula nulla capit.
Una colore carens, omnes trahit una colores:
Candorem tantùm diſſimulare nequit.
Sic & Adulator, vento nutritus; in omnem,
Se vertit ſpeciem; candidus eſſe nequit.



Digitized by Google

# PICTURARUM, SCULPTURARUMQUE VARIARUM INSCRIPTIONES.

## *JULII CÆSARIS Statüa corrupta, integro Nomine.*

BIs deluſe peris gemino diſcrimine, Cæſar;
Bis tua diverſo Vita ſub Hoſte cadit.
Quam dederat Genitrix, Ferri tibi ſuſtulit ira,
Quam dederat Ferrum, Temporis ira necat.
Vivis parte tamen, Cæſar, meliore ſuperſtes.
Perdere nam Nomen vis nequit ulla tuum.

## *Filius Patrem pingit.*

VIvificâ extinctum reſtauras arte Parentem!
Munus & alternum reddit amica manus.
Qui ſine te periit, per te Pater ipſe reſurgit:
Et Vitam Juvenis quam dedit, æger habet.
Ergo Patris Pater es: Nati Natuſque: creatur
Qui genuit: Patrem Filius ecce parit.

## *Pictor ſeipſum pinxit.*

VErane forma fugit, dura ſi ficta ſuperſtes;
Sorteque nobilior deteriore perit?
Servat adoratam contusâ forfice telam,
Et tabulæ Auctorem tetrica Parca ſecat.

Si

Digitized by Google

Si facit Ars firmos Homines, Natura Fugaces;
Ars facere, hæc dici fingere debuerat.

*In Effigiem S. Brunonis*
*Carthuſienſium Patriarchæ.*

NOn fucata levi minio te ludit Imago,
Nil fictum lepida hæc forma, nil artis habet.
Adſpicit, ac ſpirat: ſed cauta Modeſtia motum,
Supprimit; & circùm lumina ferre vetat.
Rumperet ore ſonos etiam: ſed ſancta ſilendi
Regula, compoſito non ſinit ore loqui.

*Gigantomachia in pariete,*
*imbribus obnoxio.*

IMpia Phlegræi renovant perjuria Fratres;
Et nova compoſitis Montibus Orſa parant.
Sulphureis rurſum minitaris Jupiter Armis;
Nec valet Anguineum perdere flamma genus.
Pone faces: rident renovatis viribus ignem;
Hæc dirimet gelidis prælia tempus Aquis.

*In Judæ effigiem argenteos*
*rejicientis.*

PRojicis infames effuſor Prodige Numos:
Nec fugit extentam Numus Avare manum.
Exoſum refugit contingere terra metallum;
Jactaque contigua copia pendet humo.
Siccine vos poſtquam tetigit fera dextra, profanæ
Et pretium, & pondus demeruiſtis opes?

Fallor: furacis ſunt hæc miracula dextræ:
Dum rejicit Numos, attrahit illa manus.

### *Ejusdem ſuſpenſi Imago.*

NOn mea me poteris Tellus haurire nocentem?
Non Thetys innocuas ſæpius ulta rates?
Non tumidæ Nubes igni mulctare caduco?
Non terere infidum ſtella revulſa caput?
Me refugit Cælum, refugit Terra, Ignis, & Unda:
At mediam inveniet Spiritus iſte viam.
Dixit; & infami ſe Proditor Arbore librat,
Nec terris, nec Aquis, neve Polo immoriens:
Reſtant contiguis Fœdandæ tactibus Auræ,
Aſt animæ aſſuetas denegat Aura vias.
Ergo Anima obſeſſi Antico illuctabilis Oris,
Poſtico ſolitum lapſa fefellit iter.

### *In Effigiem D. Ambroſii Theodoſium Templo arcentis.*

CErnis ut in vetitos Princeps irrumpere poſtes,
Nititur, & fixo vi parat ire pede,
Vana coloratæ non eſt hæc forma tabellæ;
Spirat; habet noſtrâ vivus ab Arte animam.
Quin etiam foribus Victor ſe immitteret altis,
Ni Sancti obſtaret Præſulis Imperium.

### *In Effigiem Aſſumptæ Viginis, non abſolutam.*

FUlgida dùm raptæ pingebas Virginis Ora,
Raptus inexpleto munere Pictor obis.

Non

Non tibi crudelis, non invida Parca labori,
Sed Populi Votis officioſa fuit.
Nam ſi, qui tantum deerat, motum arte dediſſes,
Egreſſa è Tabulâ vivida Virgo foret.

*In S. Urſulæ Statuam, cum Lictoribus.*

VIbrat, non vibrat; replicat, non replicat ictum,
Pennigeras Lictor datque negatque neces,
Perge: quid ambigui cunctaris lucra pericli?
Damnant ignavas pectora nuda moras.
Vera eſt hæc Pallas Virgo: nam candida dirus,
Pectora dum ſpectat, fit lapis Arcitens.

*In effigiem mendacis Fœminæ.*

VIvis adhuc? ſpiras fallendi callida Priſtis?
Et fida infidos recreat aura ſinus?
Mene putas falſæ rapturam in retia linguæ?
Saga, tuos novi Parthenopea dolos.
Finge oculos, mentire genas, tu falleris ipſa,
Si poteris rurſum fallere, diſperеam.
Cui loquor, heu pictâ deceptus Imagine? viva,
Quid faciet, quæ vel fallere picta poteſt.

*De Zeuxi.*

MEntitam Tabulis Zeuxis formaverat Uvam,
Adque ea deceptas pabula traxit Aves.
Poſt diræ miſer ipſe famis diſpendia paſſus,
Non niſi quas tabulâ finxit, habebat Aves.



Digitized by Google

Scilicet illuſæ mulctam petiere Volûcres:
Suppliciumque Avibus quod dedit, ipſe tulit.

## *In Effigiem Chriſti Patientis à Gaulo malè expreſſam.*

LAnguentem nemo divinum expreſſit Amorem:
Hactenus egregiæ deſipuere manus.
E grege te Pictor primum ſecerno: ſapiſti,
Veris Gaule modis exanimare Deum.
Namque illi non forma fuit, non gratia vultús:
Pinxiſti informem ſolus, & exanimem.

## *In malè pictam à Gaulo Venationem.*

RAra colarato finxit ſolertia Lino,
Et Leporem, & Libycum per juga picta Canem.
Hoc mirum eſt; nullis Leporem quòd curſibus Umbes
Urget; & irriſo non fugit Hoſte Lepus,
Haſce Feras etenim retinet diſcordia formæ,
Quæ velit eſſe Canis, quæ velit eſſe Lepus.
Ergo Feras ſi Gaule cupis per inane fugaces,
Cernere; ſubſcribas, *Hic Canis*, *ille Lepus*.

## *In effigiem Promethei à Gaulo malè redditam.*

CAucaſeâ lacerum ſub Rupe promethea Gaulus
Mancipat, & rapto vendicat Igne Reum.
Tam miſeris tortum exemplis ſi cerneret Ultor,
Quas petiit flammas, Jupiter ipſe daret.

In

## *In effigiem Leonardi Gambaranæ.*

QUam ſpectas mitemque Togâ, Galeâque micantem,
Bis Clari gemina eſt, unaque Imago Senis.
Humanam gerit hic ſpeciem: Nomenque Leonis;
Fortior, ut dubites, Doctior an fuerit.
Nam Belli & Pacis geminâ ſimul inclytus Arte,
Et Martis Lauros, & Thémidis meruit.
Tutatus Calamo Cives, Ferro uſus in Hoſtes:
Arces æquè acriter, Juraque ſuſtinuit.
Doctorum Senior, Senior ſimul Armigerorum.
Exemplum Doctis, Armigeriſque fuit.
Solus hic ergo ſuæ geminavit Stamina Vitæ:
Nam Docti Vitam vixit, & Armigeri.

## *Marci Antonii Gambaranæ ejus Filii, Regii Advocati Generalis; Heroicum Symbolum pictura expreſſum.*

CAndida nocturno latitans ſub Gurgite Lotos,
Surget ab Arcanis, Sol ubi ſurgat, aquis.
Obruat ingenuam tenebroſa Calumnia Laudem:
Hanc tamen è tenebris *extrahet una Dies.*

*Lotos ſub Euphrátis undâ pernoctans, ſurgente Sole conſurgit, Solemque ſequitur.*

S. FRAN-

# S. FRANCISCI XAVERII HEROICA GESTA.

## *Ad Indos ſoluit.*

NAvis, ſoliciti jucundos Orbis Amores,
Per vada quæ Zephyro læta ferente vehis,
Marmora feſtivo tranquilla celeuſmate rumpe;
Humida terribilis comprime terga Sali.
Hybleas depaſta roſas tibi flamina dulces,
Adſpirant Animæ, ſuppara tenſa canunt.
Cedunt Monſtra Maris, Venatriceſque Phalanges;
Sarcina Securam te pretioſa facit.
Invidet Argóæ Puppis tibi lucida Prædæ:
Illa vehit ſtellas, tu vehis una Deum.

## *Peregrè, ſe funiculis adſtrictum cruciat.*

ARctata duris membra nectit Vinculis,
Nudoſque Divus implicat nodis toros.
Hoſpes remotam deſtinat Viam: Omnia,
Vult ferre ſecum. Colligat Pauper quæ habet.

## *Acerbiſſimis duntaxat Pomis diu alitur.*

FAucibus Autumnos ægris indulget acerbos,
Tantalea Xavier pallidus ora fame.
Compar ſupplicium, diſpar tibi Tantale cauſa eſt:
Hic veniente cibo, tu fugiente doles.

Tam

Tam mala ſi parerent Sylvæ tibi Tantale Mala.
Supplicium majus ſi fruerere foret.

*Sacra faciens excedit ſenſibus.*

PRonus adoratas rem confecturus ad Aras,
Durior Alpino Xavier it ſilice.
Hunc Puer audaci tardantem vivere dextrâ,
Vellicat; immemorem, prærigidumque vocat.
Siſte Puer: quem cernis abeſt. Deus advenit Hoſpes:
Obvius en vacuum deſerit iſte Domum.

*Verminoſam bibit.*

DEficit illimis, Xavier dum navigat, Unda:
Deficit in medio quam bibat Unda Mari.
Haurit ſoligenis animatum Vermibus æquor,
Et tumulat vivos viſceribus latices.
Es tibi cauſa mali, Xavier. Te vivere cuncta,
Præſente incipiunt: ipſæ animantur Aquæ.

*Singulis ſua Idiomata pro concione referens, Angelus creditur.*

PErcitus Empyrei Franciſcus Pneumatis æſtu,
Tergeminum Monadis Concilium memorat.
Concio Pennigerâ properat Malabarica Mitrâ:
Et brevis intorto vertice Pumilio.
Unœ Sinus adeſt, & preſſæ Naris Jápon:
Durus Tapróbanes, mollior aſtat Arabs.
Thrax pallam, faciem pictus Canarínus aduſtam,
Et tereti hirſutus cum Patagone Scytha.

Pendulus unam Orbis linguam miratur uterque,
Lingua refert Patrios omnibus una ſonos.
Hoc alii potuere. Sacer cum diceris Ales,
Plus eſt uno omnes quod facis ore loqui.

### *In ora Piſcaria lacbrymatur.*

CAndida Piſcoſam Baccarum copia Terram
Fecerat, è gelidis copia dives Aquis.
Trajicit Heſperias temeraria turba Columnas,
Roſcida quo lacero pignora lintre legat.
Linquite Aquas: Xavier quó luget pergite Nautæ;
Quod medio petitis gurgite, litus habet.

### *Nutibus Indos erudit.*

SI loqueris, quocunque libet fera pectora pellis;
Atque Aures Populi vivida verba vident.
Si vibras Franciſce manus, tua dextera fatur;
Atque oculis audit ruſtica Turba manum.
Quis credat? manus eloquitur, promptiſſima geſtit
Lingua, vident Aures, audit iners Oculus.
Non ſunt hæc Hominum Miracula: Numinis inſtar,
Eſt quiſquis mutat ſenſibus officium.

### *Negata Navi, Pedibus Mare decurrere aggreditur.*

ERige pugnaces ſcopulos, Mare Montibus abdo:
Invia Xaverio non erit ulla Via.
Tolle Rates, erit ipſe Ratis: Terram Æquore ſterne,
Æquora calcabit dura, natabit Agros.

Quid

Quid non poſſit Amor? legem dedit omnibus Idem,
Legem qui potuit condere, ſolvet Amor.

*Uno tempore duabus inſiſtit Navibus.*

UNa duas cæco Naves rotat Orbe procella,
Unaque fit geminis Navibus urna Mare.
Unus adeſſe cupit geminâ Franſciſcus in Alno:
Velle habuit pretium; Quò cupit eſſe, fuit:
Et fugit, & remanet: puppi ſe partit utrique;
Fit duo, nec duo ſunt: diſtat, & unus adeſt.
Miraris? quid tam facile eſt quàm pluribus unum
Stare locis, geminus quo minor Orbis erat.

*Sacco indutus Aulicis miſcetur.*

PReſſerat Heſperias armata ſuperbia terras,
Arx Aula infelix Ambitionis erat.
Lumina quicquid amant, Poſtes, Laquearia, Menſæ,
Omnia pro telis explicat Ambitio.
Arcus erat Diadema: arcus fœdata cruentus,
Purpura: & hæc oculis cernere, vulnus erat.
Xavier at lacerâ velatus membra lacerna,
Loricam dixit, ſi potes, hanc penetra.
Quę nullæ poterant Arces perfringere tela,
Tela hæc Xaverii frangere fracta poteſt.

*Indiis peragratis emoritur.*

MAgnus, ut exiles Macedo pervenit ad Indos,
Sanguine jam lacrymas deficiente dedit.

Ex aliis alios ſuſpirans Orbibus Orbes,
Virtuti Meras mœruit eſſe breves.
Xaverio invideat Macedo. Poſt Indica Regna,
Cæleſtes Orbes invenit, & ſuperat.

# VARII CASUS.

*Eridani exundatio, Anno 1629.*
*Regnante Magno Carolo Sab. Duce.*

CErnis ut Alpinæ indignans Cunábula ripæ,
Patrius immodicis curſitat Amnis Aquis?
Impoſitos liquido Fontes pede calcat inultus,
Et ſuper everſas ſibilat Unda Domos.
Lanigerûm nat turba: Greges ſtabulantur in undis:
Advena per cultam Piſcis anhelat humum.
Cælicus Eridano Eridanus procùl influit imo:
Pronaque fraternis Sidera merſat Aquis.
Prodigioſa pavent lævi ſpectacula Myſtæ;
Et tumor ille Padi, corda timore quatit.
Magnanime inſanos deride Carole Vates:
Augurium Fato dexteriore traho.
Itala diſſidiis Regio Regalibus ardet:
Ut flammam extinguat dat tuus Amnis Aquas.

*Latinum hoc Vaticinium Italice recinuit ingenioſiſſimus noſtri Ævi, Philippus à Sancto Martino, Alladii Comes.*

ROtti i ceppi d' argento i Fiume altero,
Freme torbido d'ira; e ſenza ſponde,
Fatto immenſo nè campi ſi diffonde;
Emulando del Mare il vaſto Impero.

Ove

Ove lieto l'Augel volò leggiero,
Guizzan veloci i Peſci; e giù per l'onde,
Van le Selue, e le Piante più feconde,
E con le ſue capanne il Gregge intero.
Queſti è Carlo il tuo Fiume, che cotanto
Minaccioſo ne corte, e gonfico ſorge:
Ma degli Aúguri ſpregia il flebil canto.
Già di bellico ardor fiamma ſi ſcorge:
Arde l' Italia; & egli verſa il pianto:
Et à ſpegner l'ardor, l'Acque ti porge.

*Sitiente exercitu*
*oblatam aquam reſpuit Cato.*

AFrica belligeros amburit arena Quirites,
Nullaque jam querulæ ſubvenit unda ſiti.
Forte breves galeâ legit udo e pumice lymphas,
Demeruitque levi munere Lixa Ducem.
Delicias oculo ſpectant ſitiente Phalanges;
De nihilo Princeps invidioſus erat.
At Cato, defectis quanquam trahit ilia venis,
Attonito intactas Agmine ſpargit Aquas.
Principis exemplo dolet ægrum mitiùs Agmen?
Nulla ſitim culpat, nulla querela Ducem.
Augebat ſpectata ſitim procul omnibus unda,
Jam ſparſa excuſſit omnibus unda ſitim.

*Attritis Arcuum nervis,*
*Romanæ Capillos ſufficiunt.*

VIctor Agenoreos Tybris dum vendicat Hoſtes,
Vulnificum nervus deficit Indus ebur;



Digitized by Google

Irrita ſecurus decidet ſpicula Pœnus,
Et ſua felici ſpargit inulta manu;
At non Auſonidum latuit ſolertia Matrum:
Nimirum Auſonidum ſat fuit eſſe genus.
Cornibus attexunt ſibi quos minuere Capillos;
Martia fœmineus munera crinis obit.
Spicula luxuriant tenero vibrata Capillo:
Spicula tam crebras nulla dedere neces.
Fœminei ſed enim lethalia tela Capilli,
Semper erant: quid cum ſpicula, & arcus erant?

## *Flammam pudicitiæ teſtem Nupta impunè tractat.*

TEſtatura fidem juratæ Lælia Dextræ,
Pronuba magnanimâ fert elementa manu.
Attonitas inopina tenet reverentia flammas;
Caſtaque ſupplicium Dextera verſat iners.
Si tibi læva fuit mea credule Dextra, Marite,
Sit rogus iſta mihi Teda jugâlis, ait.
Teſtis mira fides. Propriæ qui Crimina Nuptæ,
Non tacuit, Caſtam Mulciber eſſe probat.

## *Servatorem ſuum ſervat Leo.*

TAbentem levi trajectus cuſpide plantam,
Flebile Marmaricus perſonat Antra Leo.
Fors ea Venator luſtrat juga: tùm Fera prodit.
Is pavet: hæc ſubitam ſaucia poſcit opem.
Tractat fulmineos medicus jam certior Ungues,
Et Medicum pavidæ ſe ſtupet eſſe Feræ.
Inde Theatrali captus dum ſervit Arenæ,
Appoſitum memori protegit ungue Leo.

Mi-

Mites eſſe Feras Homines docuere : viciſſim,
Ut ſit Homo Humanus hæc Fera capta docet.

### *Illæſo Filio, ſerpentem circumvolutum perimit Pater.*

ADſpicit amplexum nati peritura Draconem,
Colla Pater: mors eſt, quælibet acta mora.
Protinùs in viridem jaculo collineat Hoſtem;
Et læſo illæſus proſilit Angue Puer.
Figitur in ſolo docilis Serpente ſagitta,
Et præſcripta Patris lumine, ſigna tenet.
Nunquam ſynceri jaculum mentitur Amoris:
Id malè collimat, quod malus urget Amor.

### *Patrem fami devotum lactat Filia.*

FOemina per denſas intrat generoſa Phalanges,
Quà Pater eſt lentâ juſſus obire fame.
Arida per vacuas numerat jejunia venas,
Oſſaque diductâ proſpicit alba cute.
Ah dolor! affectare dapes cavet arduus Hoſtis,
Jamque fame Genitor, Nata dolore, perit.
At male fœmineo dum verberat ubera planctu,
Quid queror hoc, inquit, Pectoris aucta penu?
Ergo Patri lautas impendit Nata papillas:
Fitque Patris Genitrix ingenioſa ſui.
Expugnat rigidum Pietas deprenſa Tyrannum,
Corpora non paſſum tam benè paſta mori.
Quam non vincet Amor cauſam? movet ecce Tyrannos:
Et mites, legem tranſgrediendo, facit.

Ma-

Digitized by Google

*Mater Hebræo filio veſcitur.*

QUam Patriæ peperit, miſeram ſibi devovet eſcam
Cognatis dapibus luxuriata Parens.
Ingeſtus materna puer per viſcera currit,
Cuna idem venter qui fuit, urna fuit.
Plaudunt exemplo Furiæ. Jam vicimus, ajunt,
Invidiam; populus nos facit iſte pias.

*Periclitante Patre, loquitur impeditus Cræſi filius.*

SEgnia Regalis, vegeto jam firmior ævo,
Non poterat vocis ſolvere vincla Puer.
Proditor ecce neci Patrem cum poſceret enſis;
Exmovit facili verba reperta viâ.
Extremis Natura malis eſt provida. Primos
Servarat Patria pro pietate ſonos.

*Avarus ſuperſtitioſus.*

QVando dives ero? ſecum quærebat Avarus:
De ramo Corvus, *cras*, ait: & tacuit.
Auguriis firmata bonis ſua vota moratur;
Cras populaturus quas malè condat opes.
Ergo auro ingentem miſero dum præparat Arcam,
Cras perit: atque Arcâ conditur ipſe ſuâ.
Nec malè fatidicus Volucris mentitur. Avarus,
Cùm moritur, Dives incipit eſſe aliis.

*Ava-*

Digitized by Google

## *Durante Spinâ, perit Roſa.*

AUroræ ſoboles, Auræ pulcerrima Rore
Paſcitur, atque perit cum Genitrice Roſa.
Spina ſed in longum ridens felicior ævum,
Hæres deciduæ vivit acerba Roſæ.
Hoc, Natura, licet? Spinam ſervare nocentem.
Atque hilarem ſubitâ plectere morte Roſam?
Eſt Roſa flos Veneris; Veneriſque ſimillima flori.
Quod cruciat longum eſt: quod placet, exiguum.

# ODARUM.

## *In Patriam reducis Votum.*

HÆC, *cum ſequentibus duabus, Chori ſunt Tragœdiæ Hermenegildi, quam latinè panxit hic Author: ſibi raptam fruſtrà queſtus: communi cum pleriſque aliis laboribus jacturâ. Hoc interim habe fragmentum: ex quo reliquum judices. Atque hic eſt Chorus Primi Actus, quo Hermenegildus Patriæ reſtituitur.*

QUàm dulce laſſis Iſthmia Navitis
Preſſiſſe conto litora, cùm Notus
Fervore dediſcit ſupino
Cæruleis equitare Campis.
Quàm dulce collo nectere patrio
Dextram ferocem, quæ prius aſpero
Stridens metallo, fulguranti
Horrendum tonuit Sariſsâ.

Nil eſt Paterno Sole beatius,
Certiſque noti finibus Oppidi;
Seu juvit errantes Volucres,
Seu genus undivagum tueri.
Olim paternis indita fontibus,
Arcana vis eſt, quæ latet Advenam;
Ad nota dulcis labra ſerpit,
Et Patriam monet eſſe lympham.
I qua Rogali ſol petit Æquore;
I qua recenti ſe reficit ſatu:
Scrutare Getûlos receſſus:
Non Patriæ fugies Amorem.
Merge hunc ſub undis transfuga Caſpiis,
Emerget ardens. At tua litora
Mentem reſorbebit fugacem,
Et tacitos feret ore Morſus.
Sprevit placentes Ogygiæ minas,
Sprevit decoras Alcinoi fores,
Et cælibem nunquam racemum.
Præ ſcopulis Ithacus Paternis.
Tanto implicatus litora Patriæ,
Nativa duræ quò repetat Scytha;
Quercéta Gargáni dolebit,
Et tepidas habitare Bajas.
Ille ô beatus, cui vice Conſulis,
Prognes paternam dum relinit trabem,
Diſtinguit Annos; atque avito,
Herculeum Mare ſinit agro.
Et qui coævæ dum videt Arboris
Pendere crines, ſe meminit Senem.
Campiſque lentis, atque adulto
Se Nemori videt eſſe Patrem.
Felix volantem cui proprii datur
Metare Vitem limite Prædii.
Miſcere cui prodeſt ſepulcra,
Et cineri cineres Paterno.
Felix Parenti qui ſibi creditum
Multo reſignat fœnore pulverem:



Digitized by Google

Quem terra poſtquam fruge pavit,
Cuna eadem fuit, & ſepulcrum.

## *Chorus Tertii Actus.*

### *Hominum nequitiam Fato non imputandum,*

ANceps ſolicitat cura
Humanaſne regat,
Fati conſilium vices:
An noſtris aliter conſiliis eant.
Hanc cerne Cauſarum Catenam;
Dices, Agit Fatum omnia.
Ut fata jubent ſtabilis rerum
Lege tenaci nectitur ordo.
Turbinat vitas Lacheſis, neceſque:
Sub rapido pendent Regum faſtigia fuſo:
Ac ſi nefaſtus figitur clavus ſemel,
Proſpicies mala, non cavebis:
Venturam quoties cladem
Præſcia mens cecinit,
Quam vitare nefas fuit!
Ex Urbe monitus dum procul Æſchilus
Vitat ruinas; ſubdialem
Teſtudo protrivit cadens.
Canibus votum dum vovet ignibus
Aſcletarion Domitianus,
Imbribus flammæ pereunt rogales;
Prævisique Canes madidum rapuere Cadaver.
Stat ergo fixo Fata quod ponunt loco;
Et moneant licet, haud moventur.
Quid cùm prodigiis Numen
Aut Natura cluet?
Nunc cæco vagus æthere,
Depectit rabidis prælia crinibus
Terror Tyrannorum Cometa.



Digitized by Google

Nunc Præco Mortis Regiæ,
Regia Fulmen limina pulſans,
Mortem propiùs aſtare monet.
Inclyti nuper (1) Ducis ante cladem
Eridanum fractâ bacchantem vidimus Urnâ.
Quid ergo pendens proloqui Fatum juvat?
Ut mala bis noceant timenti.
Vinci ſi jubeant Fata;
Milite Cecròpio
Crimiſſus lateat licet,
Hos fundet modicâ claſſe Tymòleon.
Si Fata Sceptrum deſtinarunt;
Sævis necandum Gàrgoris
Monſtris puerum tradat Abydum;
At Sceptra tamen repet Abydus.
Fata ſi vinclum fabricant jugale;
Carcere diviſi Thalamo jungentur amores.
Vocante Fato denique, ad Fatum vocans
Quæ fugitur via ſæpè ducit.
Quem Fortuna premit læva.
Navigas, unda furit.
Appellas, reſidet Mare.
Mercetur, ſpolium comparat Æquori,
Ludat, fritillus vota fallet.
Aret, putris languet Ceres.
Agat, ah melius ceſſaſſe foret.
Ceſſet, melius egiſſe foret.
Quicquid aggreſſum citò pœnitebit.
Conſulit hic illinc aptè, decernit ineptè.
Quod ſi benignâ riſerit Fatum vice,
Cuncta cadent benè, dormienti.
At ſi Res Hominum certis
Nexibus Aſtra ligat;
Rebus quid dubiis juvat
Votum purpurei quærere Conſulis?
Centumuirales quid moratur

(1) *Magni Caroli Sab. Ducis.*

Fe-

Ferâle longævos Forum?
Cur tergemino verbere fractum
Infauſta Reum cruciat arbos?
Quidve Machaoniæ ſolertia proficit Artis,
Pejora morbis gramina ad morbos legens,
Si ſtatuunt tibi Fata metas?
Annon in ſolidis regnat
Libera vis Animis;
Quam nec Fata rudentibus,
Nec centum geminâ compede mancipant?
Hanc tolle; cur vindex Avernum
Intentat horrendum Deus?
Quidve calenti thure calentes
Mulcere juvat Vindicis iras:
Nulla ſi vis eſt Animæ imperatrix?
Ergo nulla ſenes Animos Prudentia frænat.
Ergo ferinis Animus eſt Animis Comes.
Poſt cineres nihil ergo reſtat.
Ah mentes Hominum cæcæ!
Qui fera Fata pavet,
Se tantum paveat, decet.
Vis nulla ingenuis mentibus imperat.
Nos imus in præceps volentes:
Proſpectat ituros Deus,
Et quæ ſpectat mente reponit.
Nullis unquam delenda notis.
Quæ ſemel ſpectat, venient; Quid inde?
Non animi tamen arbitrium Mens præſcia cogit.
Tua ergo ſcripta Scelera ſi Fatum vocas;
Quiſque ſibi ſua Fata ſcribit.
Sic cùm Trinacriam vecors
Scyllam Nauta petit,
De ſummo excubitor loco
Mergendam Pharius ſi videat Ratem:
Certumque prædicat periclum;
Author pericli non fuit.
Igitur fruſtrà Mortale Genus
Conſcia Fati Numina, & altos

Siderum lapſus, Geniumve culpat.
Ni malus eſſe velit, nemo malus eſſe jubetur,
Ac ſcelere Victor ſurgit ex noſtro Deus,
Fine regens mala geſta recto.

*Chorus poſt Actum Quartum.*

*De ſerâ Gentilium Converſione.*

RES eſt Relligio nota,
Anne ignota magis?
Numen Relligio patens
Quas non conſpicuis verberat Ignibus
Terras? quod Æquor belluoſi
Tranare Boſphori pavet?
Hoſpes inhoſpitis lucida Lucis:
Conſtans trepidâ ludere in undâ:
Ingredi cæcos animoſa Calles:
Solis utranque Domum liquidis fulgoribus implet.
Obliqua ſi quam deſerit Plagam dies,
Hæc tetricas radiat per Umbras.
Numen Relligio vaſtum,
Pandit ubique Deum.
Doctor conſileat licet
Novit Nauta fero prenſus in Icaro
Cælo ſupinas ferre palmas.
Cæſurus agreſtes opes
Tornat ſolidum ſi Notus imbrem,
Properat Divos mulcere Sator.
Hoſticas Victor minuat Phalanges,
Tardet Aprum Marſæ Venator arundine Prædæ:
Ille grave ſacro ferculum appendit Tholo,
Horrificos dicat iſte rictus.
Auroræ croceos Currus,
Aurea fræna vide.

Audi

Digitized by Google

Audi turbine conſono
Intercalatum ſideribus Globum;
Longoque non feſſum rotatu
Aſtrum vide Præſidem.
Condam lucis Promamque bonæ:
Aliam ſemper, ſemper eandem
Progredi cernas minuique Phœben.
Sylvarum, PelagiquePecus, pictaſque Volucres,
Varioſque Florum cerne ridentum Choros;
Cuncta Deum ſine voce clamant.
Securis trabibus fixum
Advena Hyrundo larem
Quo Doctore linit? Deo,
Quis mœſtam Cytharâ pangere plumeâ
Carmen ſub Umbrâ luctuoſum
Prognen Choragus erudit?
Quo dictante Gens Florifera
Stipat cereis Nectara thecis?
Quo celer netis Opifex medullis,
Argutos Culici laqueos prætexit Arachne?
Aut quo penum Formica parcit frigori?
Tam minimis Deus eſt Magiſter.
Cur vel ſolivagis Culpam
Horret Virgo locis?
Teſtem Virgo timet Deum.
Umbras crudus adhuc quid Puer avias,
Motumque Virgultum tremiſcit?
Numen Puer ſentit latens.
Cur algentes tangere vitat
Cari cineres Nupta Mariti?
Quidpiam ſentit ſupereſſe Morti.
Nocturnæ Lemurum facies, & præſcia veri
Somni, Poetis entheum Pectus ſacris,
Eſſe Deum, ſuperoſque clamant.
Olim ſanctum Animal, vivax,
Humanumque ſuo
Sculpſit de Ingenio Faber.
Libratis teretem partibus indidit

Sta-

Statuque & inceſſu figuram.
Huic Dædalas finxit manus,
Linguam præpetem; tùm Sideribus
Nata tuendis ſidera frontis:
De ſuis tandem radiis favillam
Excuſſit, claræque dedit ſanctum Icona menti.
Ac, ni Cupido noſtra nos cæcos facit,
Artificem è ſpeculo videmus,
At ſi multigenos cultus
Miſtaque ſacra vides,
Res eſt Relligio abdita.
Hic truncam ſalicem ſtare Deum jubet;
Edace quem finxit dolabrâ,
Blattis futuram mox dapem.
Hic colit Undæ lene capur ſacræ.
Sarculo amicas colit hic fruges:
Et ſuum hic mandit, bibit ille Numen.
Quondam etiam Numen pavidâ ſtetit Hinnulus arâ;
Bipartiendum Capreæ ac Viro decus:
Illa Deos parit, hic precatur.
Quantæ Vatibus heu nugæ!
Thura quid alba crepent
Sacris impoſita ignibus:
Quo fulgur ſonitu Nubila dirimat:
An dextrum an obliquum laceſſat
Oſcen volatu Dædalum,
Servat Aruſpex: Fataque Principum
Volucrum pennis fatuus alligat.
Conſulit Mutas alius Bidentes,
Viva cruentatâ ſcrutatus viſcera dextrâ.
Quid plura? ſanguine Rhodus humano litat:
Et ſimilem ſibi Myſta cædit.
Caligo ſed enim major
Quos arcana juvat
Scitari Superûm, implicat.
Hi vera e Cathedris dogmata ventilant,
Verumque perdunt ventilando,

Scom

Scommata ludit alter in alterum:
Et ridetur alter ab altero.
Veritas falſis petitur duellis.
Jam calamus gladio mutatur, pagina peltâ:
Sanguis rebellat ſanguini: ſcandit furor
Per ſcelera ad Pietatis arces.
O lucis Faber alternæ,
Et lux certa animis;
Tandem nubila diſiice:
Te noſci Dominum ſi nihil intereſt,
Quò Templa, & Aras tot moramur?
Te noſtra ſi tangunt ſacra,
Quid conſortem pateris Orcum?
Aut quæ Ságanis tanta poteſtas,
Ut tuas dirus ruat ignis Ædes:
Interea impunes Phlegethon contaminet Aras?
Audis: micabit luce Religio ſuâ,
Et dubius requieſcet Orbis.

## *Ludovici Pii Romanorum Regis & Imperatoris laudes.*

NOn ſemper Umbris miſtus inertibus,
Lethæa propter litora luridas
Sorbebis undas, ô canori
Cura prior Ludovice Thybris.
Thybris ſuperbi, quem liquidam tui
Prædam (1) Parentis, finibus avium,
Undâque raucùm lacrymante
In patrias revocaſſe Ripas
Te Roma ſenſit; cum propè Séquanam
Læto renidens Nominis omine,
Romanus Auguſtum Paternâ
Te implicuit (2) Stephanus Coronâ.
Quos non triumphos hæc ſacra preſciit
Deditque Laurus? Dacus, & algidi

(1) *Caroli Magni.*

(2) *Pontifex Max.*

Novere Cimbri, quo cruenti
Detonuit Rhodani procella.
Novit rebellis in Patruum (3) Nepos
Quem Signa Signis Itala Gallicis
Jam triumphantem, luce captus
In ſcopulis oculus moratur.
Decentiori non poterat probro
Libido plecti cæca. Piaculum
Agnoſcit Orbus: ſed rogatæ
Deſtituunt lacrymæ dolentem.
Sat hoc fuiſſet. Scilicet heu nefas!
Nepote victo, (4) ludibrium Pater
Natis vagaris; ſede motus.
O propriûm Genitor dolorum.
Huc uſque Fortunæ licuit; tuâ
Ut expiatam laude reponeres,
Regiſque, Patriſque in Nepotes
Dulce (5) Pii Ludovice Nomen.

*(3) Bernardus Italiæ Rex: à Ludovico exoculatus.*

*(4) A Filiis depoſitus, & exauthoratus.*

*(5) Reſtitutus, Filiis ignovit.*

*Horum carminum ſenſa f[illegible] percipies ex ejuſdem Ludovici Vitâ, quam in Italia Reg[illegible] Author exſcripſit.*

*In adventum*
*Principis Peretti Braydenſis Præpoſiti,*
*Ex Gentilitio Stemmate Vaticinium.*

QVis te Virorum, quisve Deûm, Lyra,
Tam dedicatam provocat impetus?
Quæ fœta Delos, quiſve Pindus
Per tumidum mihi pectus errat?
Favete linguis: hic Genium loci
Aſtare certum eſt. Huc Puer inſulam, &
Indos Vapores, cumque Veſtâ,
Aſſyriam properato lænam.

Bis

Bis bina torto jam lituo Polum
In Templa findo. Jam decumus notat
    Poſtica, & Antica trames,
    Quem bifido ſecat axe limes.
Spectatis? an me de ſolido furor
Mentis recellit? Stella ſororibus
    Curuum ſepultis invidendo
    Zodiacum ferit Alba citro.
Heros litaſti. Te Patruus ſuo
Phœbus nitori ſufficit Heſperum.
    Phœbum repones, cùm Pyropo
    Canicies triplici calebit.
O quantus olim Threicio cruor
Inſtat Tyranno. Tum Tyrium Mare
    Bis purpuraſcet: Stella peſſum
    Barbaricam ruet iſta Lunam.
At quale Monſtrum? Primus inutiles
Surgit per iras Herculeus labor,
    Tergum flagellans: Num præuſto
    Axiferum bibit ore Sidus?
Odiſſe bruto Fulmine longiùs
Lævos Leones Augur agens ſolet.
    Tunc Hoſte Matres, tunc inultas
    A Boreâ negat ire Sylvas.
Fallor. Quirini quatinus Imperi
Natale Sidus fertur hic Aureus,
    Qui Victor Autumnum micante
    Incolumen Leo verſat ungui.
Dediſce fletum Roma: quid utiles
Circa ruinas fœmineum latras?
    Non vana Phœnix Fabuloſi
    Suppliciis recreanda buſti.
Hic, cui Cleones ſe Fera temperat,
Pomumque diſcors aſſerit: Artibus
    (Pacemque, terroremque miſcens)
    Romuleis, Populum beabit.
Sed quanta textit Machina Montibus
Offendit auras? num genus Anguipes

Stridente Centauris Olympo
Pelion inſtituunt, & Oſſan?
Heheu ruinæ materiam ſtruis.
Permitte Divis ſidera. Quid Jovis
Ignem laceſſis jam quietum
O propria tumulande Matre!
Agnoſco: Diris Augurium vacat.
Ni fata peccent, jam Capitolio
Te Roma fundato ſuperbis
Verticibus ſuper Aſtra tollet.
Quo te inſolentem proripies Lyra?
Jam parva magnis pone modum modis.
Hæc alta Minci plectra poſcunt;
Parthenopen melius ſonabis.

## *Diræ*
## *In pluviam perennem.*

AT quis Nigrantum Verna, plus nimio potens,
Spirabilis compendium ingreſſus viæ,
Mundi Ruinis Tartari ingluviem beat?
Vel quæ ſepulcris altilis Venefica
Torto ſabellum concrepans carmen labro,
Caduca Cælo ſidera orbato rapit?
Et hunc ſereno Turbinem vultu vides
Ultor Mulierum Jupiter? num te ligat
Enode Pellex brachio? aut udus gravem
Stertis cicutam? ſortis aut primæ incapax,
Dum ſeminale cuncta confundit Chaos,
Exoſa peſsùm arbitria, & ſceptrum jacis?
Nullusnę cauſæ cognitor? nullus Forum
Mundi Clientis Rabula, vel Rhetor terit?
Quid tu Pupilli tarde Curator Jovis,
Falcate Senio? quid ſatellitio frequens
Apparitor Majugena? quid Acinace
Gradive inermem ſiderum terres Gregem?



Digitized by Google

Et lucis ille Circitor, mens Ætheris,
Dynaſta Phœbus: ille tum Pedaneus
Tum Conſularis Ordo Stellarum, potens
Mundum rotatis regere pupillis, tacet?
Vides ut alto penſilis Aquator loco
Ambas ſupinat frigidus capedines,
Ulniſque nitens ſtiriam preſſo negat
Hærere fundo? Cernis ut ſpurius, iners,
Semigenitus, projectus, inceſtam putris
Glebam renidens, municeps Cæli novus,
Ceu civis, atque Indigena ſtellatæ Domus
Geniale nivibus conſpuit Orion ſolum;
Superque cilio ductat humanas vices?
Hinc quæ polari dote venalem Jovi
Dedit Pudorem, Bajulum Cœli Patrem
Ingrata proles vexat, & liquidam necem
Infundit Urnis. Hinc gemella Numina
Recens probroſo cortice exutas manus
Edita ruendis Raribus, Oceanitidum
Inefficaces irritant riſu preces.
Valete liquidis fertiles quondam Plagæ
Merſæ ſepulcris: Montium limbus
Nuſquam Nivoſa dente vos ultrà levi
Tondebit Agna: vomere aut acri, pius
Promota fundo germina in palàm trahet;
Sulciſve edaces Cultor inhibebit Vepres,
Squammoſa flexo Monſtra per ſulcos gradu
Errare Paſtor cernet; ac veſtris penum
Piſcator unca quæret in glebis acu:
Tritaſque Aratro, trabibus urgebit vias.
Ite, ite quondam Nobile Hortorum decus,
Animæ Virentes. Flammeum merges Caput
Superba Cnicus; Phœbus illæſam fugit
Caltham ſequacem: tuque Pæonis potens
Arcere virus fonte, non abs te potes
Arcere Fontem: teque ſubmerget tu
Narciſſe Lympha: Lympha quæ vitam dabat,
Succoque teneros vivido implebat toros.

Et vos valete Vota Virginibus Cohors.
Flores adulti, floſculique puberes.
Valete florum Candidati Lilia,
Stolatus ordo Nivibus: ah quale Nivium
Per aſtra vobis invida ſepulcrum venit!
Terræ Cadaver languida rependet Roſa:
Collum Hyacinthus ponet: algebit Crocus:
Sativa triſtis Sidera Occaſus bibet.
Quid hoc ruinæ? Quaſſa dum queſtus tero
Stridescit Æthra. Num gravida nubes cavo
Immugientes Viſcere Leones parit?
Vertigo Cæli nutat? an laſſum Gigas
Stellare fractus exigit oneri latus?
Nunquid bibaces nimia perpeſſæ vada
Valles anhelant? tota vel Mundi ſenis
Anima laborat? Proh Deum atque Hominum fidem!
En quanta ſulco rima ſerpenti ſcidit
Nubem dolentem diſtrahi. An tantas valet
Incendiarium parere flammas gelu.
Animam calentem frigido ejectat ſinu
Irata nubes: moxqne pertæſa impium
Scelus, flagranti liquida ſe impendit Solo:
Nimium nocenti mœſta pœnitentiâ,
Flammis præuſtum, lacrymis Mundum obruit.
Fatiſce Cœlum: Vertice emoto rue:
Confunde Terris Aſtra; nec ſummo Inferum
Lunaris orbe fibula hunc mundum liget.
Jam Sole vulſo Cæcus ingemitet Cyclops;
Et Regna in unum terna Neptunus legat.
Argoa rurſum ſyrtibus ſtridat ratis:
Per noſtra Delphin Maria ſtellatus abeat:
Tandem veneno tabidos artus liqua;
Et rupta molli latera ſyntexi fluant;
Orbis ruinas Vertice infracto feram.

*FINIS*

*NON FINIS.*

Digitized by Google

# INDEX
# Rerum Notabilium;

*Novus, decuplo major, non ſolùm ad ERUDITIONEM ſed unà ad IMITATIONEM utiliſſimus, adpaginas exactus.*


## A.

AARONIS Inſcriptio. Narratio 326. Pro columna. 66.
ABBATIS CÆSARIENSIS elogium ſepulcrale. 229. In Abb. LAURENT. SCOTI effigiem. 261. ABBAT. SECUSINI laurea. 221.
ABELIS. Inſcriptio. Tumulus. 278.
ABIÆ Roboami Filii. Inſcriptio. Edidictum 352.
ABIUDI Zorobabelis Filii. Inſcriptio. Genethliacon. 388.
non Ablues, ſed allues. 268.
ABRAHAMI Inſcriptio. Narratio. 303.
ACADEMI hortorum Allegoria 194.
Academici fulminales. 200.
Acanthidem cavea incluſam Amor nutrit. 150.
Accipiter cucullatus nihil captat. 151.
in Acerrimis bellis animus ducis ſedatus. 28.
ACHAS. Inſcriptio. Hiſtoria. 364.
ACHILLIS umbra equeſtris. 166.
ACHIMI Sadoci Filii Inſcriptio. Vices. 394.
ACHIVI Palladium aſportantes. 64.
Acredulam cavea incluſam Amor nutrit. 150.
ACROCORINTHUS. 28.
ACTÆON. 152.
Adamantinum monile. 102.
Adamas 145. acuminatus 147.
ADAMI Terræ Filii Inſcriptio. Ænigma. 275.
ADELAIS vel IDA, Cognom. Vindex. 131. 135. Mamfredi filia. 118. Humberti I. Uxor. 131. Humberti II. filia. 135.
Admiranda. 390.


Ad-

Admonitio. 377.
Adoleſcentia mundi 294.
qui Adorat ſe, omne Numen ſpernit. 154.
in Adventum Principis. 474.
Adverſa ſæpe juvant. 169.
Advocati generalis Gambannæ, Symbolum Heroicum. 455.
Adynaton. 344.
Ædes Marchionis à S. Thoma 267. Arduini. 270. Ædium novarum molitio. 48. regiarum ornamenta. 111.
Ægyptii includentes Joſephi craterem ſacculo. 64.
Ænigma 275. Virgilianum in Hyacintho. 99. Ænigmatium Symbolum. 99.
Æolus Græcis navigantibus Trojam inimicus. 157.
Æquitatem mavult, quàm rigorem Phil. III. 6.
ex Ære Inſcriptio. 260.
Æripes Taurus Martis. 109.
Æsculapii ſive Serpentis Emblema. 441.
Ætas nova mundi. 417. Virilis mundi. 343. Ætate mediâ mori. 11. Ætatis aureæ Beatitates. 98.
Æternitati pingo. 112. Æternitatis imagines. 146.
Ætherea poteſtas Dianæ. 160.
Ætna feſtivos ignes continet 42. Ætnæus mons. 41.
Affabilitas 8. erga reos ibid. ejus ſymbolum. 9.
Affluunt ſed effluunt 269.
Aglaia. 139.
Agnato jungitur Ludovica ſedandis cognatorum diſſidiis. 137. in Agnatum ſanguinem imbellis manus. 158.
Agriculturæ inſtrumenta. 113.
Alaricus, Gothorum Rex. 178.
Alatus Genius cum Liliis 140.
Albæ bigæ } in certamine
Albi equi } Olympico. 114.
Album Hiſpanis & Italis ſignificat Scopum 150.
Albis, ut pictus. 112.
Alciati imagines fabuloſæ. 268.
Alcides Antæum ſuffocat complexu in pugnâ 128. floreo in gramine reclinis. ibid.
Alcyones geminæ. 129.
Alexander M. pictus Symbolicè. 146. ſolus cum Leone colluctatur. 164. ejus nomen inſcriptum collari cervi. 169.
Aliena ſpectans ſuum ſpectat malũ. 152.
Alieni rapax. 85.
Aligeri puelli in picturâ. 112.
Alios minimè inſectabitur ipſum ſe qui ſpectaverit. 171.
Allegoria hortorum Academi. 194. Allegoricum argumentum 69.
Allues, non ablues. 268.
Aloysia Venatrix ſtrenuiſſima. 170.
Alſine, cibus Acanthidis. 150.
Altarium inſignia cum Trophæis. 113.
Alterna requie. 142.
Amans verus, amari dignus. 155.
Amari dignus, qui verè amat. ibid.
Amasiæ Joaſi Filii. Inſcriptio. Saxifragium. 359.
Amat inclyta lucem virtus. 267.
Amathus à favis celebris. 107.
Amato nihil nimis, hôc nihil felicius 16[illegible].
Amatores taciti. 161.
Amatorium Symbolum. 143.
Amazon chlamydata, tria ſceptra tenens. 133.
Ambra. 147.
in D. Ambrosii imaginem, Theodoſium templo arcentis. 452.


Amb-

Digitized by Google

AMEDEUS Dux Sabaudiæ Rhodianam diſſolvit obſidionem. *172.*

*Occiſo Rhodianæ Claſſis Præfecto Amedeus præficitur. 173.*

*Amedeus Turcicæ Claſſis Præfectum cædit:* ibid.

*Captos Rhodon ducit Amedeus.* ibid.

*Rhodii Equites Amedeo gratias plauſusque referunt.* ibid.

*Amedeo Triumphus decernitur.* ibid.

*Amedei contra Saracenos Terreſtris pugna. 174.*

*Sua manu Saracenorum Regem interficit.* ibid.

*Gentilitia Stemmata Rhodienſibus permutare injuſſu Cæſaris recuſat.* ibid.

*Annuente Cæſare inſignia mutat.* ibid.

AMEDEUS Magnus. *126.* Pacificus. *144.* Quartus. *143.* Ruber. *144.* Secundus, Humberti *11.* Filius. *125.* Stator dictus. ibid. Septimus. *120.* Ejus ex Comitibus Sabaudiæ ultimi, & Ducum primi Elogium. *212.* Viridis. *144.*

Amnis exiguus rivulis augeſcens. *144.*

Amœna. locus deliciis exſtructus, quæ & Grotteſcæ. Luſthäuſer. *148.* eorum cellæ ſeu conclavia. ibid.

AMON Manaſſes Filii. Inſcriptio. Symbolum. *372.*

Amor cæcus, improbus. *124.* Amorem invictum ſimulans puella. *147.* Amor erga ſubditos ejusquè Symbolum. *4.* Amores alites arguta Symbola tenentes. *149.* pennigeri cum Myrthearum frondibus luctum ſignificant. *149.* Amorum turba volitans. *131.* variè picti, ad colorem viridem alludentes. *149.* Amoris faſcinus vincit omnem faſcinum. *155.* Amoris muliebris conſtantia. *131.* Amoris mutui monimentum. *252.* Amoris reciproci ſignum. *145.* Amoris Symbola quatuor. *161.* Amor Cupido novies pictus, vario habitu. *149. 150.* Amor, pronubus ſæpe mortis cruentæ. *157.* Amor pungens, myrtus Italis dicitur. *149.* Amorum conjugialium conclave. *129.* Amor verus, quia Somnium, quid eſt vanus? *155.*

AMPELUS Dianæ conviciatus. *153.*

Amphitheatrum condit Veſpaſianus. *89.*

Amphysbæna. *129.*

Anathema. *295.*

Anchoræ duæ complicatæ, Conjugii Symbolum. *102. 129.*

Ancile liliatum cœlitùs miſſum. *143.*

Ancile Numæ ſecuritatem portendebat. *143.*

ANDESENNI Comitis Elogium ſepulcrale. *235.*

ANDROMEDÆ Emblema. *443.*

ANGELI FELICIS Gabaleonis Andeſenni Comitis Elogium Sepulcrale. *235.*

Angeli, ſtatuarum loco. *65.*

Angliæ Dux Vertegerius. *116.*

Anguibus virulentis lilii planta gravis. *142.*

Anhaldiæ Comes. *114.* Dux. *115.*

Animus Ducis in bellis acerrimis. *28.*

ANNA, Amedei viridis filia. *136.*

ANNA DELPHINIA. *132.*

ANNA JOACHIMI Bapantheris Uxor. *420.*

Annalium Cæſareorum fundamentum & cardo. *49.*

ANNIBALIS Somnium. *130.*

Anni imagines Symbolicæ *146.*

ANTÆUS ſuffocatur complexu in pugnâ cum Alcide. *128.*

ANUBIS canis, fidelitatis emblema. *168.*

Apiarium in lilieto. *142.*



Digitized by Google

Apices & honeſtamenta Cæſareæ Majeſtatis. *113.*

Apis, inſectum, prudentiæ Symbolũ. *96.*

Apollinis cythara. *112.* Delphici oraculum. *157.*

Apollinis. Solis Emblema. *432.*

Apoſtolica vocatio. *51.*

Apparatus funebres. vid. Funebres.

Apparatus literarius. *71.*

Apri Caledonii fabula. *154.*

Aquæductus à Claudio conditi. *86.*

Aquâ pereat, quiſquis aquam denegat. *154.* oblatam in militiâ reſpuit Cato. *461.*

Aquarii Emblema. *436.* Aquarius, flumen. *47.*

ad Aquas Sextias triumphus. *26.*

Aquatilis poteſtas Dianæ. *160.*

Aquila cur Romæ & Romani Imperii inſigne. *115.* panem rapit Auguſto comedenti. *74.* pileum eripiens. *119.* Ganymedem vehens. ibid. rapit. *441.*

Aquilæ bicipitis in pectore equus concluſus, cujus inſigne. *115.*

Aquilinus pullus in Solem intentus. *145.*

Aræ Emblema. *446.* Aræ impoſita ſimulacra. *66.* ſuper Aram immolandus. *435.*

Aræ Majoris Minimorum Taurini Inſcriptio. *256.* Majoris S. Thomæ. *258.* Aræ Sancti Pauli Taurini Inſcriptio. *257.* Aræ Votivæ Foſſani Inſcriptio. ibid. Ara cœlitus irradiata & inflammata. *132.* Ara, cum liliorum congerie & inſcriptione. *142.* Ara Eliæ, totius apparatus allegoricum argumentum. *69.* Ara Nymphis ſacra. *142.* Ara Saxea Jacobi, pro Symbolo. *66.*

Arcella, in quâ corda Principum condita. *19.*

Archiepiſcopus Taurinenſis. *226.*

Architectones Principi adſtantes in Monumentis. *66.*

Architectonica pro Simulacro. ibid.

Arcuum attritis nervis capilli ſufficiuntur. *461.* Arcu contento. *150.* Arcus duo triumphali additi. *64.* in quâcunquè pompâ. ibid. Arcus gemini chorda. *102.* Arcus in flammas abiens. *96.* Arcus triumphalis. *42. 43. 94. 95. 109.* Arcꝰ triumphalis in honorem Chriſtianæ Svecorum Reginæ. *94.*

Arduini ædes. *270.*

Areæ Theatri ornamentum. *197.*

Argiva Theleſilla. *128.*

Argo navis. *445.*

Argumentum. *337.*

Arietis Emblema. *433.*

Arionis Emblema. *442.*

Arma Dianæ cuduntur. *156.* cui Arma ſola ſuperſunt. *145.* ex Armis lux clariſſima. *270.* Armorum Trophæum Leonino ſpolio velatum. *143.*

Armamenta navalia. *113.*

Armelinus mus, ſeu Armenius, pudicitiæ Emblema. *95.*

Armeni piſcatores Tigrin paſcunt innoxiê. *172.*

Armigerorum ſimulacra in funeribus regiis. *17.*

Arphaxadi Semi Filii.
Salemi Arphaxadi Filii.
Heberi Salemi Filii.
Phalegi Heberi Filii.
Revui Phalegi Filii.
Satagi Revui Filii.
Nachotis Satagi Filii.
Thares Nachotis Filii.
} Inſcriptio. Catalogus. *301.*

Arrha cœleſtis. *143.*

Arte vis vincitur. *267.* Artium & Scientiarum enumeratio. *195.*

Artifex fraude ſuâ prenditur. *267.*

Arundo, piſcatus Symbolum. *151.*

Asæ Abiæ Filii. Inſcriptio. Rogus. *354.*

Aſtra nova novas vires ſignificant. *45.* Aſtrum donec favet. *146.*

Aſtræa Virgo. *142.* ejus & Saturni ſimulacra

ſacra in conjugiis principum. *98.* Aſtreæ ſ. Virginis Emblema. *435.*
Aſtrologum conſulens opportunitatem notat. *146.* Aſtrologus Endymion. *155.* Aſtronomus cœli conſtitutionem oſtendens, Symbolum. *104.*
ATALANTA præſtans Venatrix, fruſtra petit Aprum Caledonium. *155.*
Attritis Arcuum nervis Romanæ capillos ſufficiunt. *461.*
Avarus ſuperſtitioſus. *464.*
Avis Paradiſi religionis Symbolum. *96.*
AUCEPS HENRICUS, vide Henricus.
Aucupii Symbolum. *151.*
Augurium regni Cypri. *186. 187.* Augurium ſpernit I. Cæſar. *73.*
Auguſtales notæ Imp. Rom. *113.*
AUGUSTI Cæſaris Elogium. *73.*
*Auguſto comedenti Aquila panem rapit. 74.*
*Dei nomen iniquè aſſumit.* ibid.
*Audita Civium Clade caput ad parietem allidit. 75.*
*Veneno ab Uxore propinato interit.* ibid.
ejus in horoſcopo non Capricornus, ſed Virgo aſcendit. Natus ergò in Virgine, paullo ante exortum Solis. *49.* ejus felicitas quoſigno oſtenſa. *50.*
Aula dignitatum. *117.* Palatii Urbani. *184.* conſilii. *181.* Conclavia. *154.* & ſeqq. miſcetur ſacco indutus Xaverius. *459.* regiæ ornamenta. *112.* venatoriæ ornatus & inſtrumentum. *150. 151.*
Aulica lætitia. *48.*
Aulicismus. *321.*
Aurea lilia, argumentum integrum. *98. 99.*
Aurea lilia. *142.*
Aurea planta, lilii genus. *141.* Aurea retia, ſimulacrum inſigne. *160.*
Aurea ſecla. *142.* Aureæ ætatis beatitates. *98.* Aureo jaculo peti. *164.* Aureorum liliorum flores. *103.* Aureum diadema. *78.* Aureum ſeculum mole repræſentatum. *97.* Aureum, ſed infelix telum. *164.* Aureus leo, vandalicum inſigne. *113. 114.*
Aurigæ ſive Myrtili Emblema. *440.*
Aurora Tithonum complexa. *142.*
Auſtrales imagines in cœlo. *443.* repertæ à Neotericis. *448.*
Autores Scientiarum. *195.* & Symbola ibid.
Autoritas. *7.* in ſuos. ibid. etiam defuncti poſt mortem. *8.* ejusque Symbolum. ibid.
ad AYACIS nomen deſignandum ænigma. *99.*
AYMON, Amedei VI. filius. *144.*
AYMON & EDOARDUS Fratres. *126.*
AZORIS, Eliacimi filii Inſcriptio, Dialogiſmus. *391.*

## B.

B. B. B. B. βασιλεὺς, βασιλέων, βασιλεύων, βασιλεύοντας. Latinè: Rex, Regum, Regnare faciens, Regnantes. *117.*
Baccæ margaritarum, Cyrines in litore optimæ leguntur. *107.*
Bacchum Leo invadit. *153.*
Balænæ ſive Priſtis Emblema. *443.*
BALTHASARIS Caroli Dominici, Hiſpaniarum Principis Natalitia. *35.*
BAPANTHERIS Pantheris filii. Jacobi Matani filii. Inſcriptio. Naufragium. *419.* Bapantheris filius S. Joachimus. *420.*
Baſilica ornamenta, in funeribus Principum. *3.*
Beatitates aureæ ætatis. *98.*
BEATRIX, Amedei III. filia. *135.* Gebennenſis. *131.* Luſitana, fortiſſima Regina.

gina. 134. 135. Petri filia. 136. Thomæ I. filia, ſeptem Reginarum mater. 136.
Bellerophon Chimæram interficit. 161.
Bellum Monferratenſe. 29. Liguſticum. 30. Bello invictus Rex. 14. Belli origo & pacis, bellua. 169.
Bellicoſa Princeps. 145.
Beneficentia. 9. ejus Symbolum. ibid. allicit exteros. 162.
Beneficii memor vel fera; tribus exemplis 170. Beneficiis vincitur maleficium. 267.
Benefactori poſitum monimentum. 256.
Berenices capilli & coma. 129.
Bernhardus Anhaldiæ Comes, Dux factus. 115.
in Bernenses clemens victoria. 106.
Beroldus, Saxonicæ ſtirpis. 117. & ſeqq. Beroldus Saxo, primus Sabaudiæ dominator, ejusque inſigne in ſtemmate. 115.
Bibitur venenum bis, ſemel impunè, ſemel exitiosè. 91.
Biceps grus. 129.
Bigæ albæ in certamine olympico. 114.
Bilancis emblema. 435. Bilanx & gladius. 133.
Bis venenum bibens, ſemel impunè, poſt noxiè. 91.
Blanca Monferratenſis. 134.
Bobbæ Marchionis vinea 261. Villa. 266.
Bombarda ſolo ſemiſepulta & exploſæ ſimilis. 144. ad vindicis arma ingenioſè refertur. ibid.
Boni viri iracundia graviſſima. 270. Boni florentiſſimi, ſed citò amiſſi Symbolum. 49.
Bonna Borbonia. 132.
Bonna Ludovici filia. 137. 144.
Booz Salmæ Filius } Inſcriptio. Myſte-
Obed Boozi Filius } rium. 336.
Boreales in cœlo imagines. 437.
Britomartis, fidisſima comes Dianæ, Fidei præmiatæ Symbolum. 152. Templum vovet. 160.
Brixia. 121.
Broliæ Senunciarum Marchionis inferiæ, additumque epigramma. 226.
Broliorum Sacelli Taurini Inſcriptio. 257.
Bruno Saxonicus. 113.
in S. Brunonis Carthuſienſium Patriarchæ effigiem. 451.
Bunei elogium ſepulcrale. 234.

## C.

Caburri Expugnatio. 28.
Caduceus Mercurii, Concordiæ Symbolum. 102.
Caduceo proſtratus Leo. 123.
Cæcus amor, improbus. 124.
Cæleſtis Zodiaci orbis, Theatro applicatus. 45. vid. Cœlum per œ.
Cæsar ſpernit augurium. 73. ejus nomen, non cor gerit. 168. ejus cervus, familiaris & comes militiæ; inſcriptio in Collari. 170.
Cæsares. 71.
Cæſareorum annalium, fundamentum & cardo. 49.
Cæsaricensis Abbatis Elogium ſepulchrale. 229.
Cæsaris Malliani in Comitem Emanuelem Theſaurum Familiæ poſtremum Marem Epigramma. 250.
Cainami Inſcriptio. Oppoſita. 289.
Caini Inſcriptio. Epitaphium. 277.
Calais & Zethes. 162.
Calcarium mucrones in Clypeo. 115.
Caligulæ Imperatoris Elogium. 77.
Caligula naſcitur in caſtris. 78.
*Primus aureum Diadema tulit.* ibid.
*De Milite natꝗ à Milite occiditur.* ib.
*Saturnalibus diebus addidit Juvenales.* ibid.



Digitized by Google

CALISTO, Symbolum ſpondentis, ſed cum exitio ſuo non ſervantis. 152.
CALLIMACHI nobile figmentum de Venationis præſide Diana. 151. fabula de Diana. 155. hymnus. 163.
CALLIOPE. 112.
CAMÆLEONTIS Emblema. 449.
Camera di parata. 128. 155. Camera Ducalis Præſidis. 227.
CAMILLÆ cerva, ejus fidelitas & velocitas. 169.
CAMILLI RICHELMI Præſidis elogium ſepulcrale. 228.
Cancer cœleſtis. 46. Cancri emblema. 434.
Candidum cornu tenens amor. 149.
Canes, qui niſi cum prædâ non redeunt. 164. 167. ad venationē delecti. 167. Canicula nigerrima, Tiſiphones donum. 166. eadem in cœlo æſtus ſummos promittit. 166. Canis Anubis. 168. fidelitatis Emblema. ibid. Caniculæ, ſive Procyonis Emblema. 445. Canis Cephali. 167. majoris, ſive Lelapæ emblema. 444. minoris, vide Canicula. Canis tacitus pejor latrante. 161. odorator & vertagus, alter latrat, alter capit. 164. Canis Corinnæ fures ab amicis diſtinguebat. 168. Plutonis triceps. 168. Pyrrhi. 167. Vulcani. 168. Ulyſsis. 167. Canis fidelitas erga Dominum. 167. 168. Canum memorabilium conclave, Hiſtorica Emblemata continens. 167.
Capillos ſufficiunt Romanæ attritis arcuū nervis. 462. Capilli Berenices. 129.
Capitis Meduſæ Emblema. 440.
Capitolii inauguratio pro ſymbolo. 66.
Capricorni emblema. 436.
CAPRICORNUS ſignum cæleſte. 47.
Capripiſtrix. 436.
in Captivos dimiſſos. 105. vindiciae. 5.
Captos Rhodum ducit. 173.
Caput ad parietem allidere. 75.
CARIATIADES ſtatuæ bicorpores. 101.
CARMANIOLA expugnata. 25.
Carmina Abbatis Laurentii Scoti. 261.
CAROLI V. columnæ geminæ. 4.
CAROLI EMMANUELIS Sabaudiæ Ducis, Exequiæ. 20.
*Carolus naſcitur.* 24.
*Puer Patri ſuccedit.* ibid.
*Caroli Connubium.* 25.
*Salutianum bellum.* ibid.
*Bellum Gebennenſe.* 26.
*Ad Aquas Sextias Triumphus.* ibid.
*Ad Vinodunum Conflictus.* 27.
*Caburri Expugnatio.* ibid.
*Pacis Negotia.* ibid.
*Magnifica Opera.* 29.
*Monferratenſe Bellum.* ibid.
*Haſtam Pompejam ſervat.* 30.
*Bellum Liguſticum.* ibid.
*Verruca defenſa.* 31.
*Secuſina Pax.* ibid.
*Piè moritur.* 32.
*Sepulcrales Inſcriptiones.* 33.
*Caroli Emmanuelis ex ære in Vinea Mauritii Principis à Sabaudia Inſcriptio.* 260.
*Ejuſdem Elogium.* 210.
Caroli Emmanuelis Secundi, & Franciſcæ à Francia Publica receptio. 97.
*Prima Moles. Aureum Seculum.* 97.
*Secunda Moles. Junonis Pronubæ Templum.* 100.
*Tertia Moles. Libra.* 103.
*Quarta Moles. Regalium Virtutum Pantheon.* 106.
*Quinta Moles. Vota.* 108.
*Ultima Moles. Martis Taurus.* 109.
Caroli Franciſci Capris Ciliarum Comitis. Theſes. 198.
*Ad Mauritium Sabaudiæ Principem dedicatio.* ibid.

*Stemmatis Deſcriptio.* 199.
*Fulminalium Academicorum Stemma in Collegio Auguſto-Taurinenſi Societatis Jeſu.* 200.
*Heroici Fulminalium Symboli figura, & forma.* 291.
*Stemmatis totius Deſcriptio.* 202.
Caroli Franciſci Nicolis Vernantis, & Rubilantis Comitis. Theſes. 185.
*Ad Victorem Amedeum Cypri Regem dedicatio, & Cypri Regni augurium,* ibid. & 187.
*Sabaudæ Familiæ perpetua Series.* 186.
*Victoris Amedei Geſta, progenitorum geſtis æquata, & ſuperiora.* 188.
*Victoris Amedei Juvenilis Strenuitas.* ibid.
*Modus in Victoria.* ibid.
*Celeritas.* 188.
*Fortitudo.* ibid.
*Religio.* ibid.
*Suavitas.* 190.
*Prudentia.* ibid.
*Juſtitia.* ibid.
*Magnificentia.* 191.
*Minutiora Parerga.* ibid.
Caroli Philippi Morotii Magni Sabaudiæ Cancellarii Elogium Sepulcrale. 231.
Carolotta Cypri regina. 119.
Carolotta; infelix Regina. 133.
Carpit & carpitur unà. 269.
Carthaginis fundamento reperitur caput equinum. 115.
pro Casalensi urbe fiduciarium pactum. 215.
Cassiopeæ ſive Sedis. Emblema. 440.
Caſtanea Echinata. 143.
Castor & Pollux cœlum ſerenant. 161.
Castoris & Pollucis. Emblema. 434. flamma gemina. 129.
in Caſtris naſcitur. 78.
Caſtus honor. 159.
Caſuum variorum inſcriptiones. 460.
Catalogus. 301.
Cato aquam reſpuit ſitiente exercitu. 461.
